9. 4. 29

C. OCTAVII VALERII

DE

SUPERSTITIOSA TIMIDITATE VITANDA,

SIVE

VINDICIÆ VOTI, QUOD VOCANT, SANGUINARII,

Pro tutela Immaculatæ Conceptionis Deiparæ suscepti,

CONTRA

Censuram præcipitem Viri alioqui Clarissimi, qui se modo LAMINDUM PRITANIUM, modo ANTONIUM LAMPRIDIUM, modo FERDINANDUM VALDESIUM suevit adpellitare.

Accedunt EPISTOLÆ QUINQUE hac ipsa de re olim datæ, & nunc primum editæ in lucem, una cum PRÆFATIONE Typographi ad LECTOREM BENEVOLUM.

Sensi sæpe dolens, & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam Fratrum contentiosam obstinationem, vel SUPERSTITIOSAM TIMIDITATEM *qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ Traditione ..... ad certum possunt terminum pervenire (tantum quia subtili qualiscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit: .....) tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.* S. Augustinus Epist. *ad Januarium* LIV. Cap. 2. n. 3. alias Epist. CXVIII.

TRIDENTI, Ex Typographia Monauniana, Anno Æræ Vulgaris MDCCLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est: Quærite faciem ejus semper. „ *S. August.* Lib. I. *de Trinit.* Cap. 3.

9. 4. 29

Reverendissimo Patri

RAPHAELI A LUGAGNANO

LECTORI EMERITO,

NUPER

TOTIUS ORDINIS MINORUM

GENERALI MINISTRO,

NUNC VERO

Cismontanæ Familiæ Fratrum ejusdem Ordinis
Commissario Generali

C. OCTAVIUS VALERIUS

Perennem Felicitatem.

Opusculum istud in lucem mihi endituro, mole quidem exiguum, ipsa tamen rei dignitate maximum, nemini justius, quam Tibi nuncupandum fuit, REVERENDISSIME PATER. Tuum enim est, sive argumentum spectes, quo de agitur, sive ipsum Auctorem consideres, qui sponte sua hanc sibi durissimam pro-

vinciam suscepit, simul & ita obivit, ut conatum saltem in illo habeas, quem ipse probes. De auctore prius ut dicam: illud in primis sibi a Te rogat ignosci, quod ad Sæculi istius mores, quibus nonnihil indulgendum censuit, ementito & ipse prodeat nomine, seque Tibi ita sistere neutiquam pertimescat. Nam alioquin, qui ille sit, quod ejus genus, unde domo; etiamsi fugiant hæc ceteros, latere tamen Te minime possunt. Tot enim in illum, suosque, dum summa cum potestate universo MINORUM ORDINI quam sanctissime præeras, ingentia contulisti beneficia; tot tantaque confers in dies, novis semper nova cumulando, nunc etiam, ex quo nuperis Comitiis, invitus quamvis, ac Pontificio ad id præcepto adactus, secundum ejusdem ORDINIS regundi locum tenes; ut nec ipsum, nec gentem suam aut domum ullo sane pacto valeas ignorare.

Locus autem postularet ex veteri consuetudine, ut in laudes tuas heic excurram, deque virtutibus, quæ in Te fulgent admodum atque omnes suspicimus, copiose ego, apteque dicerem, ac singulatim. Verum, ab iis percensendis abstineo, quod noverim, Reverendissime Pater, ita Te natura esse comparatum, ut ab id genus laudum tuarum præconiis præ singulari tua modestia abhorreas quam qui maxime; nec jam videri aut dici, sed esse Te iis quam dignissimum, & optes enixe, & cures sane plurimum. Deinde non ea in me dicendi vis aut copia, ut non dicam exornare, sed ne enarrare quidem virtutes tuas, resque præclare a Te gestas possim. Quid quod etiam vereor, ne assentatiuncula quadam, si id facere adgrediar, aucupari ego tuam gratiam videar? Unum tamen dico, quin mihi assentationis crimen sit metuendum; videlicet idipsum, quod nuper de Te dixit in Comitiis Ordinis Generalibus, in Templo Aracoelitano XVII. Kalend. Junii celebratis Anno proxime elapso 1750., Sanctissimus, idemque Optimus Pontifex Maximus

BE-

BENEDICTUS XIV., quum eisdem, Purpuratorum Patrum corona comitatus, solenni sacra pompa præsidere Ipsemet dignatus est. Sic enim Supremum Sanctæ & universalis Ecclesiæ Pastorem, sane Optimum & Sapientissimum, dum Electores alloquebatur, ut strenue rem gerant, de Te, Sibi (si alius unquam) intime noto, dixisse & audivi, & Romanis etiam typis procusum legi: „ Dilectus „ Filius (ajebat) RAPHAEL A LUGAGNANO, totius „ Ordinis vestri Generalis Minister, *nullius incongruæ voluntati deservivit*, *sed vita & moribus decoratus*, *tanto Ordine dignus inventus est*. „Tam præclarum tanti Pontificis de Te judicium, Sancti *Gregorii Magni* (Tom. 2. Lib. 3. Epist. 22. *ad Antoninum Subdiacon.* edit. Parisien. ann. 1705. pag. 639.), Decessoris sui, verbis expressum, quin ego hoc loco referrem, nulla plane ratione, nullo cujusvis notæ incurrendæ metu prohibeor. Tanti autem a me fit (fieri etiam debet ab omnibus) tam Optimi Pontificis honorificum adeo de Te tuisque virtutibus testimonium, ut plane non videam, quid dici a quoquam possit illustrius. Certe instar omnium hæc laus est, Te a Pontifice Summo, eodemque Sapientissimo, utpote in quem nulla assentationis suspicio cadere potest, laudatum, nec parce, fuisse.

Ad beneficia ut regrediar a Te accepta: omnium plane sim ingratissimus, si tam pulchram opportunitatem nactus reddendæ alicujus gratiæ, non Tibi uni, quod alioqui tuum est, quippe quod ab uno ex tuis, tot Tibi titulis devinctissimo, elucubratum, non Tibi, inquam, uni inscribendum existimarem. Si argumentum porro ipsum tecum animo reputes; quæso, cuinam potius, quam Tibi lucubratio isthæc dicanda erat? Profecto caussa a me heic agitur, illa quidem non parva, immo & magna, non solum *Voti Sanguinarii* cohonestandi, sed Marianæ etiam *Innoxiæ Conceptionis* vindicandæ adversus omnes

Lam-

Lampridii conatus. Quam is, specie *præfati Voti* impugnandi ac funditus delendi, ipsam quoque Deiparæ *Immunitatem* ab primigenia labe insectatus fuerit, minusque decore tractaverit; nemo Te melius, nemo rectius novit, Reverendissime Pater. Hanc ego caussam, contra *Lampridium* ejusque assеclam *Valdesium* pro mea virili tutandam ac propugnandam mihi sumpsi, quæ licet Tibi cum ceteris Catholicis omnibus communis sit, peculiari tamen nomine Tua esse dignoscitur. Tu enim illi præsides ORDINI, dudum universo, nunc ejus parti maximæ (dignus, qui & ampliori imperio potiaris), cui semper in deliciis fuit, post *Joannem Duns Scotum*, Doctorem subtilem adpellitatum, pro *Immaculato* Virginis *Conceptu*, ceu pro aris & focis, dimicare. Et sane, vera, eaque magna Ordinis tui est gloria, quod *Vasquio* teste (Tom. 2. in 3. part. *S. Thomæ* Quæst. 27. Art. 2. Disp. 117. Cap. 2. n. 27.) *a tempore SCOTI* Pia id genus Sententia de Divæ Matris Præservatione *non solum apud Theologos Scholasticos, sed etiam apud omnes Christifideles ita percrebuit, & cum Hominum Sæculis inveteravit, ut nullus jam ab ea deduci & dimoveri possit.* Non quod *Scotus*, omnium primus, ejusmodi Piæ, Ecclesiasticæque Sententiæ & Auctor & Vindex extiterit; ut falso nonnullus cum Medina opinabatur. Vetustiorem enim eam esse multo, non tam ex Sanctis *Bonaventura* & *Thoma*, sed ex ipsamet etiam D. *Bernardi* Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses scripta plus satis discimus. Sed quod hanc ille primus, ut ita dicam, glaciem secaverit, primusque inter Theologos *Bernardi* auctoritatem, secus, ut creditur, sententiis, cuique ceteri pene omnes per illa tempora plus æquo hac in re deferebant, justis limitibus circumscribendam esse facto ipso docuerit, demonstraveritque.

Neque in eo audiendus (ut hinc paulisper digrediamur) *Natalis Alexander* in Hist. Eccl. Cap. 5. *de Scriptoribus illustribus*

XIV.

XIV. Sæculi, Art. 1. n. 11., ubi solennem illam, publicam ac pervagatam de Virginea *Immaculata* Conceptione disputationem, Parisiis ab *Scoto* habitam præsentibus Legatis Apostolicæ Sedis, eoque successu, quem *Wadingus* refert in *Annalibus Minor.* ad ann. 1304. num. 34., ex Historicorum silentio, qui de rebus Gallicis scripsere, aliisque quam paucissimis aut nullius aut levissimi sane momenti, ad aniles, ut assolet, fabulas amandavit. Siccine levicula, aut verius nulla conjectura, veteris memoriæ probatæque notæ nullo suffragante documento, Facti adeo illustris, omniumque in ore versantis, vel evertere, vel extenuare saltem fidem potest? Etenim si hæc conjectandi ratio valet, omnium pene historiarum fides procul dubio elevabitur. Mutato autem nomine, non ne eadem & in *Natalem Alexandrum* cudetur faba? Certe ipse ille *loco citato Cap. IV. Art. 4. n.* 3. de S. Thoma Aquinate, Magistro suo, Divinum illud commemorat testimonium, ceu prorsus indubitatum: *Bene scripsisti de me*, *Thoma*. Ejus autem rei ullus ne meminit Auctor, aut non æque obscuri nominis, aut non *Thoma* multo posterior? Quid ille ergo dicturus esset, si viveret, sua nunc videns in se arma converti? Plane, aut dicat fabulosum esse pariter, quod de *S. Thoma* ipse scripsit, nullo antiquo coævi Scriptoris monumento innixus; aut quod de *Scoto* refert Wadingus, a fabulæ suspicione alienum esse concedat.

E diverticulo nunc in viam redeuntes, a Te id petimus Reverendissime Pater, ut nostræ istius quantillæ lucubrationis, quam nomini tuo dicamus, patrocinium sucipias, illamque tuis, nec illubenter, foveas auspiciis. Nosti etenim varios esse hominum sensus, varia pro cujusque affectu judicia. Vix, ac ne vix quidem impetrabimus, ut ex iis non obloquantur nonnulli, maledictis forte etiam insectentur, *& vix lecto* (ut *Lactantii* verbis utar Lib. 5. *Divinar. Institut.* Cap. 1.) *fortasse*

prin-

principio, adfligant, projiciant; execrentur; ſeſeque inexpiabili ſcelere contaminari atque adſtringi putent, ſi hæc aut legant patienter, aut audiant. Horum motus ut comprimantur & conticeſcant, nemini rectius, quam Tibi opus hoc noſtrum adſcribi oportere eſt viſum; quippe ni juſtitiam cauſsæ, aut veritatem denique ipſam, certe verebuntur Nomen tuum: Auctorem proſcindant, ut lubet. Patere igitur Reverendiſſime Pater, ut noſter hic labor, tametſi exiguus, ſine tuo tamen præſidio non lucem adſpiciat: illique ſimul ac nobis, tantillo hocce munere ſummam erga Te obſervantiam teſtantibus, benigniſſime ut faveas, Te etiam atque etiam rogo. Id ſi feceris, ut nullus dubito; non erit profecto, cur illi, aut mihi, majorem Te, præſtantioremque alibi Patronum quæram, ſcilicet RAPHAELE A LUGAGNANO, quem Deus Opt. Max. communi omnium bono diu ſoſpitem ac ſuperſtitem ſervet, humilibus votis, impenſeque precamur.

AD

AD LECTOREM.

J*Am diu, multumque est, ex quo* Lamindi Pritanii *Opus*, de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio *inscriptum, publica est luce donatum, primum quidem Parisiis* [*ante triginta, & quod excurrit, annos*] *alibique postea, nec semel, recusum. Verus quis Auctor sit, qui adscititio hoc sub nomine latere voluit, non est, ut te edoceam, Lector Candide atque Erudite. Adeo quippe Vir is, sane Clarissimus, aliis etiam longe multis omnigenæ eruditionis editis Scriptis, quaquaversum notissimus est, ut qui eum de nomine non agnoscit, peregrinum fere se prodat atque hospitem in Republica Literaria. Is autem* citati Operis *Lib. II. Cap. 6. magna ingenii vi, summoque conatu sibi penitus improbari ait eorum consilium, qui Vitam vovent se daturos in rem Immunitatis Deiparæ, hoc est dictu, pro tutela* Conceptionis Innoxiæ. *Quanquam vero, quæ ibi habet Auctor, non omnia omnibus probantur, id tamen nemo sibi sumsit, ut prælo Typographico confutationem moliretur, perficeretque.*

Unus, quod ego sciam, atque omnium primus hanc subire aleam minime dubitavit Siculus quidam Theologus, qui sub ementito Candidi Parthenotimi *nomine (larvam Auctori adimerem, ni pertimescerem, moleste a se id latum iri) suam in* Pritanium *Lucubrationem anno MDCCXXIX. Panormi evulgavit, ita nuncupatam*: Votum pro tuenda Immaculata Deiparæ Conceptione ab oppugnationibus Lamindi Pritanii vindicatum. *At vero heic non est statum. Etenim* Pritanius, *novum sibi nomen adsciscens, in Theologum Siculum Opus adornare novum haud neglexit, quod & anno* 1740. *in vulgus emisit, cui titulus*: Antonii Lampridii de Superstitione vitanda, sive Censura Voti Sanguinarii in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ emissi. *Deinde duobus subsequentibus annis in novum hunc* Lampridii *fœtum Panormitanis, aliisque Typis varia variorum (facto veluti agmine) Opuscula, Italico etiam idiomate exarata prodiere, quæ in præsentia commemorare nihil plane refert.*

Illud silentio haud est prætereundum; scilicet Parthenotimum, *qui primus, ut dixi,* Pritanium *adgressus est, hanc in arenam rursus des-*

 cen-

cendisse: atque anno 1741. *duplici spissiore Dissertatione* = De Pietate in Deiparam amplificanda *iisdemmet, quibus prior, formis tradita, ante memoratum* Pritanii *in* Lampridio *Librum, quæ late patet, sibi expugnandum, subruendumque suscepisse. Verum, ecquid* Lampridius *sive* Pritanius; *an mutus ad hæc? Plane, ne ipse silens aut caussam prodere aut caussa forsan cecidisse videatur, respondere maluit; editisque anno MDCCXLIII. decem & septem Epistolis, in unum volumen congestis, istiusmodi titulo:* Ferdinandi Valdesii Epistolæ, sive Appendix ad Librum Antonii Lampridii de Superstitione vitanda: *usque adeo Adversarios ipse suos ad unum omnes Plautino sale perfricuit, ut nesciam, an præfinitos a se moderationis limites prætergressus sit Moderator Ingeniorum, quamvis provocatus. Atque ita alternis vicibus non sine animorum æstu utrinque depugnatum. Num exinde quid rursum novi in* Pritanium *aut* Lampridium *emerserit (quod est ad argumentum, de quo & mihi nunc propositum dicere) nimirum post indicatas* Valdesii *Epistolas: sane ignoro. Uter autem palmam tulerit*, Pritanius *ne, an* Parthenotimus? *audire ex aliis malim, quam a me quicquam temere pronuntiari.*

Si petis Lector: eccur ego, qui tacui ad hanc usque diem, nunc ausim silentium perfringere, bellumque, de quo nihil ad me, ac prope intermortuum, renovare? Dicam, quod res est. Fecit id cum primis amor meus, atque obsequium, quibus feror in Virginem; cujus primævo Candori apud complures non solide doctos, quorum plena sunt omnia, seu Pritanius, *seu* Lampridius, *seu* Valdesius *cum splendore sui nominis, tum bene multis, quæ hac illacque sibi exciderant (etiamsi, ut fas est credere, præter mentem) aut inconsultis aut importunis, falsis quoque nec rite confutis, minimeque ad institutum necessariis, haud parum detraxit. Fecit porro, quod & ipsomet teste* Lampridio *in* Præfatione *sui Libri* de Superstitione vitanda *res heic agatur non levis hercle, immo maximi momenti: ut proin eandem sæpius, per me quoque in examen adduci non inopportunum, non indecorum, non inutile sum arbitratus. Alioqui ipsius ego omnia, ut & illa* Parthenotimi, *hac super re publici juris facta ita legi, volvi, revolvi, ut in me habeat hominem, qualem sibi* Lampridius *(ibidem in* Precibus ad Lectorem*) depoposcerat, nempe ad hodiernam diem ab omni istius generis Voto, etiam citra sanguinem prorsus liberum, quique id genus controversiam suo non antea examini subjecerat unquam: atque adeo nihil a me sibi, nihil ingenii sui fœtibus, quod minus justum & æquum sit, erit pertimescendum. Ad hæc, nullum mihi cum* Parthenotimo *aut amicitiæ aut ejusdem vitæ generis vinculum: neque ego* Siculus *natione, neque* Hispanus, *ullave cum illis*

necef-

necessitudine junctus, quæ me in eorum partes, ut plerumque fit, trahere vel invitum possit.

Ejusmodi ergo Lectores & mihi maximopere cupio, qui omnibus hisce soluti nexibus, nullisque partium studiis abrepti, in veritatem duntaxat animum oculosque convertant; præterea nihil. Tum vero, postquam hæc, ut oportet, legerint, perpenderintque; illorum erit decernere, jure ne, an injuria, Votum Sanguinarium *Imprudentiæ, Peccati, Superstitionis* Lampridius *postulaverit. Hinc etiam larvatus in Scenam prodeo, quippe non nisi cum larvato dimicaturus: modo hujusmodi is sit aut vere dici possit, qui aliunde sat innotescit omnibus. Saltem ita statui, ut & ego tempori inserviam [amant enim id ætatis homines larvati incedere] itemque ut tu, Veritatis cupide Lector, multo queas melius, feliciusque multo, sententiam proferre. Quod enim jamdudum* Salvianus [*Epist. 9. ad* Salonium *Venetæ Editionis anni* 1724. *pag.* 214.] *de suis, de nostris ego nunc temporibus dixero:* „ Tam imbecilla sunt judicia hujus tempo„ris ac pene nulla, ut qui legunt, non tam considerent, quid le„gant, quam cujus legant, nec tam dictionis vim atque virtutem, „quam dictatoris cogitent dignitatem. „ *Ubi autem pauca isthæc lectitandi tantum tibi & otii & patientiæ indulseris, statim, opinor, deprehendes, quanta te* Valdesius [*in* Monito Auctoris *sub finem*] *fiducia lactarit, quamque confidenter scripserit:* „ Nisi mihi nimium blandior, „eo res adducta est, ut in agonem ultra descendendum minime vi„deatur, tibique satis suppeditatum sit ad dignoscendum, quam te„mere Voto Sanguinario Siculi sese obstringant. „

Id mihi certum, non eo me in illum armorum genere usurum, quo usus est Parthenotimus*: num infeliciter? ipse dijudicabis. Non quod ea, quæ in* Pritanium & Lampridium *urget* Parthenotimus, *flocci ego pendam [quin vero & facio magni) sed quod non me fugiat plane, hisce etiam umbratilibus in præliis solere homines aliis atque aliis cum hoste armis congredi atque luctari. Iterum te rogo atque obsecro, ut non nisi æquum justumque te mihi præbeas Judicem; neque prius damnes, quam universa cognoveris. Nam ut præclare* Lactantius *Lib. V. Divin. Instit. Cap. I.*: „ Si Sacrilegis & proditoribus & veneficis po„testas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognita „caussa licet; non injuste petere videmur, ut si quis erit ille, qui „inciderit in hæc; si leget, perlegat: si audiet, sententiam differat „in extremum. „

INDEX CAPITUM.

Immaculatæ, seu ab Originali labe præservatæ. In eum tamen complures ausu intolerando insurrexere; quorum audaciam altera excusa Constitutione idem Sixtus coercuit. Quid huc contulerit, quidve consilii ceperit SS. Tridentinum Concilium? Ne istud quidem ab sacrilega aliquorum mordacitate in tuto fuit.

CAPUT VI. *Sanctus Pius V. utrum faverit Sententiæ Impolluti Conceptus, nec ne? Is in Bajo Opinionem Piæ Sententiæ contrariam proscripsit, non quidem uti hæreticam, sed uti censura notatam aliqua ordinis inferioris. Judicium hoc & alii subsequuti Pontifices confirmarunt. Ille ipse primus omnium Missam & Officium ab universo Clero in id rei de præcepto recitandum indixit. Nogarolæ Officium & Missam cur sustulerit. Somnia Valdesii profligantur. Novi tumultus inde oborti. Ad eos sedandos novam Pontifex Constitutionem emisit, qua & Præcessorum Decreta renovavit.*

CAPUT VII. *De Paullo V. ac Gregorio XV. Romanis Pontificibus, deque non uno favore Piæ de Intemerata Conceptione Sententiæ, atque ejusdem Cultui per eos conlato. Silentium indictum pugnantibus pro Opinione contraria; idque sub Anathematis interminatione, non tam. quoad Actus publicos, quam privatos etiam. Cuivis insuper a Gregorio vetitum, in Sacrificio Missæ, Divinoque Officio celebrandis alio uti nomine, præterquam Conceptionis. Ex Pontificio hocce Judicio quæ consectaria fluant? Valdesii in id rimæ præcluduntur, quem cum suo Lampridio ab violatis Maximorum Pontificum Decretis difficile est defensare.*

CAPUT VIII. *Expenditur Bulla Alexandri VII. omnium sane præcedentium celeberrima. Ejus condendæ quænam mens & ratio? Quam multiplici hinc favore & sententia & Cultus Immunitatis decorentur. Lampridius non unam ob Caussam castigatus. Cur is bullam illam mutilaverit? Male a Valdesio defensus. Ambo illudunt Orbi, dum contendunt*

licere

licere cuique hac de re aliter sentire, hoc est sub alia intentione celebrare Conceptionis Festum, quam Praeservationis.

CAPUT IX. *Eadem de re, hoc est de Objecto Festi seu cultus Virgineae Conceptionis, in una Immunitate sistendo, paullo latius. Valdesiana in id commenta exsufflantur. Conceptionis vox idem sonat hodie, quod olim ac semper; id est, idem, quod Conceptio Immaculata. An extet Praeceptum de celebranda ab omnibus Immunitate? Negat Lampridius simul & Valdesius; sed omnino perperam.*

CAPUT X. *Festum Conceptionis S. Johannis Prodromi num recte a Lampridio huc pertractum, riteque a Valdesio defensum? Bellarmino occurritur, contendenti non unam Praeservationem esse Objectum Festi Marianae Conceptionis. An idem nunc liceat dicere, quod Bellarmino olim licuit? Quid de Cardinali Gotto, idem cum Bellarmino hac de re nuper sentiente? Valdesii in id conatus retunditur; ac Picinini calumniis & contumeliis nullo negotio aliterque respondetur. Solennis Cultus, per Pontificum Bullas soli Immunitati impendendus, an tanti sit, ut controversia de Conceptione Deiparae per Ecclesiam definita censeri jure possit?*

CAPUT XI. *De fel. record. Clemente XI. Pontifice vere Maximo. Novum ejus Decretum de agendo ab omnibus Christi Fidelibus Solenni Festo Conceptionis Innoxiae ubivis terrarum: id quod nemo antea. Gotti verba, a Lampridio huc adducta, trutinantur. De vitiata istiusmodi Pontificii Diplomatis impressione: an adjumento haec sit aut esse possit Doctori Mutinensi? Tam illustri facto Clementis Papae Decretum Basileensium non modo ab se aequatum est, sed longe etiam superatum. Istorum Canon refertur atque enucleatur, uti & alter Avenionensium: in quos Lampridius & Valdesius an recte subirascantur, ac aestiment nihili?*

CAPUT XII. *Immaculata B. V. Conceptio eodem loco est, quo ejusdem Nativitas & Assumtio. Momenta rationum, quibus*

qua-

quælibet immititur, proferuntur atque inter se comparantur. Valdesius notatur ac falsi arguitur, ubi ait nullum Veterum *agnovisse Mysterium Præservationis Deiparæ. Aliquot Patrum loca huc recensentur ac vindicantur, Amphilochii præsertim, Ambrosii, & Hildephonsi, seu potius Radberti, ab impolluta Conceptione liquido stantium. Argumentum vulgare, a Scriptura & Patribus ductum, facillimo negotio dissolvitur; ostenditurque, nihil id obesse Conceptioni posse, quin simul obsit Nativitati atque Assumtioni.*

CAPUT XIII. *Egregium pro Immunitate Virginis testimonium ex Actis S. Andreæ, seu Præsbiterorum Achaiæ. An id genus Acta inter Spuria, aut saltem dubia Vetustatis monumenta cum Lampridio & Valdesio rejicienda? Octavo Ecclesiæ Sæculo ea jam laudata fuisse constat: id satis est ad conciliandum magnum Antiquitatis pondus Sententiæ Præservationis, seu Conceptus Intemerati.*

CAPUT XIV. *De S. Augustino copiose: faveritne, an non, Mysterio Conceptionis Innoxiæ? Multa ejus loca in rem Præservationis adferuntur, atque explanantur. Refellitur Theologus Mutinensis, Augustinum obtorto collo ad suum sensum trahens, hoc est ad sensum fœdati Conceptus. Quid sit Caro peccati? Hac in re explicanda nullus præ Valesio inventus est tam insigniter lapsus.*

CAPUT XV. *Falsum de Patribus Valdesii dictum exploditur, cui nihil prodest Petavii suffragium, a veritate prorsus alienum. An cum Mutinensi Theologo fas sit dicere, Patrum Traditionem Impolluto Virginis Conceptui adversari? Cur rarior apud antiquiores Patres mentio Marianæ Præservationis? Hæc ipsa novo confirmatur argumento, ex S. Augustini doctrina petito. Sanctus Bernardus, si nunc viveret, an sententiam mutaret? Præclara in id rei S. Thomæ Sententia.*

CAPUT XVI. *De præfatis tribus Marianis Solennitatibus,* Con-

Conceptionis scilicet, Nativitatis & Assumtionis, quanam præstet aliis antiquitate? Ervigii Regis Lex pro Conceptionis Festo educitur, minus recte a Thomassino intellecta. Verus illius sensus cum Mabillonio & Martene statuitur, rationibusque firmatur. Etiamsi autem Thomassini intellectus præferendus esset, ac constaret quoque recentius esse ceteris Festum Conceptionis, nihil tamen istius Sanctitati, debitaque a nobis observantiæ idcirco detraheretur. Ecclesiæ auctoritas in hoc negotio.

CAPUT XVII. *Quanti semper facta a Patribus ac Theologis præstantioribus Ratio, ex Precibus & Ecclesiæ Cultu deducta? Refutatur Lampridius, nihil ex Festo Virgineæ Conceptionis evinci contendens. An tanta in Piam Præservationis Sententiam Certitudo promanet ex Conceptionis Celebritate, quanta ex Solenniis Nativitatis in ejusdem Sanctitatem* in Utero? *Vasquius id quidem negavit ætate sua, in quam, non vero in Auctorem, culpa est omnis refundenda. Confertur argumentum istud, ex Cultu & Festo acceptum, cum illo, quod trahitur ex Apotheosi, seu Canonizatione Sanctorum: simulque Eximii Suarez adsertum, a Valdesio prolatum, excutitur atque ad trutinam revocatur. An Præservationis Sententia æquiparari possit Canonizationi Sanctorum? Egregium ad rem monitum doctissimi Thomassini.*

CAPUT XVIII. *Tristis de Mutinensis Theologi morte nuntius perlatus. Indicantur ejus laudes: ejusque mortis genus describitur. De miro Academiarum & Populorum consensu in Piam Immunitatis Sententiam. An, & quo in loco habendus sit confluxus iste? Digna Petavio Sententia in id profertur, quæ adversus Doctorem Mutinensem vindicatur, atque is a Pritanio ipso, seu potius in hoc a semetipso discors ostenditur. Huic Ecclesiasticæ de Præservatione Doctrinæ novum accedit robur ex ipsis Ecclesiæ, potissimum Romanæ, Catechismis, Apostolica auctoritate comprobatis. Quanti Ratio*

tio Theologica in hac caussa? Lampridianus Valdesius notatus, atque explosus.

CAPUT XIX. *Lampridii & Valdesii Fraudes retectæ, & quasi nuce conclusæ. Utriusque Libri an pro expresse prohibitis haberi debeant? Benedicti XIV. de Mutinensi Theologo judicium. Consectarium primum propugnatæ usque hactenus Piæ id genus Sententiæ, seu Ecclesiasticæ Doctrinæ de Præservatione Deiparæ: Scilicet tam esse Veram Certamque Innoxię Conceptionis Sententiam, quam est illa Assumtionis Corporeæ, aut Sanctæ Nativitatis. Qua sit censura dignus, qui illam, aut harum aliquam, cum Doctore Mutinensi in dubium adduceret. An Opinionem pene enectam de Conceptu Maculato Falsam & Erroneam dicere liceat, nec ne? Valdesio occurritur, id non licere contendenti.*

CAPUT XX. *Alterum consectarium, idque ad rem præcipuum: An scilicet cujusque vel levis Peccati expers sit, qui apud se tantum & in intimis cordibus negaret Immunitatem Virginis a macula Originali? Obstet ne heic, an non, Decretum Alexandri VII., alteriusve Pontificis? Pulcherrimum Clictbovei dictum profertur. Quid tibi cum Tyranno agendum necem minitante, ni Piam de Præservatione Sententiam aut Cultum improbes, Hæreseosque damnes, seu Peccati Mortalis? Lampridii & Valdesii rationes, dubitationesque pensantur atque eliduntur.*

CAPUT XXI. *De Virgineæ Conceptionis Quæstione: mere ne Speculativa ea sit, an simul etiam Moralis? Mere Speculativam esse contendit Theologus noster, sed omnino perperam. In rebus Moralibus, in quibus agitur de Peccato vitando, dare Vitam, ne pecces (etiamsi non Certo constet, ibi adesse Peccatum) non solum omni vacat culpa, sed etiam in merito computatur. Pulchro id exemplo illustratur, ab Augustino desumto. Ruit hinc prorsus decantatum Lampridii Argumentum, quo uno instructus Votum impetiit Sanguina-*

rium, ac Superstitionis prædamnavit. Ubinam illud quid habeat roboris? In Moralibus certe Quæstionibus nunquam, tametsi, utcunque lubet, Incertis. An sine Lampridianis Fraudibus Sanguinarium Votum oppugnari potuerit? Valdesio respondetur Lampridium suum purgare conanti. Alvari Pelagii locus, a Lampridio adductus, additamentum esse cum Raynaudo ostenditur. Amentur ne, an non, ab Ecclesia, qui in Opinione vel hodiedum sunt, Præservationi Virginis contraria: & cur?

CAPUT XXII. *Dictorum conclusio: hoc est non solum Piam de Mariana Immunitate Sententiam, sed Votum etiam (ut Lampridius vocat) Sanguinarium, pro ejusdem tutela emissum, in tuto jam esse. In id genus Votum propendent admodum Viri cum doctrina, tum pietate insignes: immo & illud suscepit ante annos centum & amplius, Academia Granatensis. An qui pro hac re tutanda Sanguinem funderet, Veris sit Martyribus accensendus? Ad Lampridii Lectores monitum, ne sinant sibi imponi, neve heic trepident timore, ubi nullus est timor.*

SEQUUNTUR

Epistolæ quinque eadem super re, nunc primum editæ, una cum Typographi præfatione ad Benevolum Lectorem.

DE

D E

SUPERSTITIOSA TIMIDITATE VITANDA,

S I V E

Vindiciarum Voti Sanguinarii

CAPUT PRIMUM.

Duplex, prout ad rem, Voti genus: alterum probatum a Lampridio, alterum reprobatum. Quæ illi reprobandi Ratio? Quæve Parthenotimo contra sentiendi? Judicium hac de re, Parthenotimo favens. Argumenti summa, ac novæ hujusce in Lampridium Dissertationis partitio. Mens Auctoris ac Tituli ratio aperitur.

Disputaturus (Divino opitulante Numine) de Voto, ut ajunt, *Sanguinario*, ut ordine procedat oratio, operæ pretium existimo, primo in limine tantisper consistere, atque illud antea definire, quod nunc exigitur ad amussim, quodque heic, *Lampridio* impellente ac prædamnante, in dubium revocatur. Sapienter admodum M. T. Cicero: *Omnis*, inquit, *quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id de quo disputetur*. Sic igitur habeto. Votum istiusmodi, quod, circa tutelam *Mariani Conceptus* undequaque *Immaculati* unice versatur, cujusque heic caussam agere ac vindicare propo- Lib. 1. de Offic. num. 7.

positum est nobis, universim quidem captum, aut cum sanguine concipitur, aut citra sanguinem. Atque adeo duplex ejus Voti, prout ad rem, genus esse unusquisque statim animadvertit; alterum *Innoxiam Conceptionem* Beatissimæ Mariæ Virginis nunquam non tenendi ac defendendi verbo & calamo; alterum ita defendendi, ut, sicubi opus, nec sanguini parcas nec vitæ. Hinc est, ut istius posterioris generis Votum *Lampridius* & *Valdesius* post *Pritanium* Prodomum, perpetuo *Sanguinarium* vocitent: tametsi non desunt qui vel ad subsannandum, vel ad horrorem cunctis incutiendum ab sese id unice excogitatum velint. Scilicet, eodem pene modo, eodemque animo, quo & Zwinglius (sit verbo venia) nescio quam sævam ac crudelem in *Eucharistia* manducationem potationemque callide commentus est, *Carnalem* nempe, &, ut vocat, *Sanguinolentam*: quo nimirum sic & Catholicis detraheret vir post hominum memoriam sceleftissimus, & imperitam Plebem præ puerili hocce terriculamento, si fieri posset, a sententia devocaret.

In Confess. ad *Francisc.* I. Gallor. Regem.

Ut ut tamen sit; ad primum quod adtinet, nulla in præsenti est lis, nulla controversia. Aperte enim ipse *Lampridius* sui Operis Cap. I. pag. 9. ejuscemodi laudat Votum, non improbat. Quippe ait: *Itaque dico, Prudenter agere, qui voce & scriptis propugnaturos se vovent sententiam eximentem a Peccato Originali Deiparam*. Consentit & *Valdesius* Epist. VII. pag. 72. sub initium, qui & *Pritanii* verba (plura quidem nomina; at unus idemque sub iis Auctor latitat, neutiquam multiplex) huc exscribit, quo non aliam sibi insuisse unquam mentem persuasum eat. Verum, suspicantur nonnulli (recte ne, an secus, aliorum judicium esto) confessionem hanc a Viro quidem laudatissimo metum extorsisse, ne una cum Academiis fere omnibus Sacerdotium simul & Imperium in se concitaret, quibus nihil antiquius, quam tali Voto suum in Virginem obsequium atque observantiam testari; videlicet ne & sibi forte accidat, quod olim *Gasparo Ram*, qui hac ipsa de caussa (Auctore *Strozzio* Lib. VIII. *Controv. Concept. B. V. M.* Cap. XXI.) nedum Urbe *Cæsaraugustana*, sed toto etiam *Aragoniæ* Regno exesse jussus est. (*) Ceterum, vel *Petrus Cellensis*, etsi cum *S. Bernardo*, cujus & æqualis erat & Succedaneus, Conceptionis

(*) Augent ejusmodi suspicionem & alia, quæ eodem loco sequuntur *Lamprilii* verba, quum ait: *Prudentius agere, qui eandem Sententiam tuentur, sed Voto*

nis *Festum* ab Lugdunensibus inductum non probaret admodum, nihilo tamen minus ab id genus Voto non ipse plane abhorruit: immo eidem concipiendo aliis videtur omnibus, vel Academiis quoque, prælusisse, certe omnium primus id emisisse, disertis hisce: *Credo, dico, assero & JURO, Beatissimam Virginem Mariam in æterna Prædestinatione singulari Privilegio munitam, nec a sua Conceptione in aliquo violatam, sed semper mansisse & permansisse illibatam.*

Lib. c. Epist. 10. *ad Nicolaum Monach. S. Albani* in Biblior. Max. PP. Tom. 23. pag. 904.

Quod est ad alterum, hoc est dictu ad Votum Sanguinis ac Vitæ, in rem *Conceptus Immaculati*, quoties opus fuerit, impendendæ: hoc opus, hic labor est, atque in hoc præsentis cardo controversiæ vertitur. Nam præfatus Auctor, quo cum in præsens disputamus, ac trifariam, ut præmonitum, personatus, tam acriter in tale Votum invehitur, ut non oblique, non clanculum, sed palam ac liquido damnet *Superstitionis*, *Peccati*, *Temeritatis*, *Imprudentiæ*, nec qualiscunque, sed summæ atque intolerandæ. Tam decretorii autem Judicii ea est Ratio unica, quod Pia de *Mariana Puritate* Sententia humanæ opinionis limites necdum sit prętergressa, neque in Regnum Certitudinis plane immigraverit. Porro, inquit, nefas est maximum pro re Incerta Certum Vitæ Bonum prodigere; quippe quod Vitæ nostræ non Domini, sed Custodes tantum a Deo simus constituti. Hanc nos, addit, servare oportet, non temere projicere, pro humanis scilicet Incertisque Opinio-

Voto omisso. Quid ita, rogo? *Quia*, inquit, *libertatem ingenii sibi servant*, *quam multis aut Imperium Principum*, *aut aliæ humanæ causæ ademerunt*. Nolo singula persequi. At si isti *Prudentiores* dictam ob caussam: an illi *Prudentes*, qui edito Voto tam grande sibi Bonum abstulerunt? Aut ullum forsan esse potest Votum, quin sit plane *de meliori Bono*; ut Theologi omnes una voce proclamant? Neque vero mirifica illa *Vallesii* verba (Epist. XI. a pag. 127.) sat sunt, ut a censura *Lampridium* vindicent. Quis enim ferat Theologum, Critices Magistrum, sine ulla exceptione tonantem: *Prudenter agere, qui Virginitatem vovent; Prudentius qui non vovent, ne uxorem ducendi sinant sive libertatem adimi?* Deinde docet, & recte quidem, *S. Thomas* 2. 2. Quæst. 88. art. 6. longe esse melius, laudabilius etiam ac magis meritorium, quidpiam ex Voto facere, quam sine Voto. Porro, ad *ademptæ libertatis* argumentum audi *S. Augustinum* Epist. 127. olim 45. ita num. 8. respondentem: *Non est gratulanda libertas, qua fit, ut non debeatur, quod cum lucro redditur*. Et infra: *Felix est necessitas, quæ in meliora compellit*. Præmiserat enim ibidem de *continentiæ* Voto, quo se pariter *Armentarius*, hujusque Uxor *Paulina* obstrinxerant, in eandem sententiam: *Nec ideo te vovisse pœniteat, immo gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset*.

nionibus: alias nos insigniter peccaturos. Ita ille passim & ubique ac semper ingeminat; hocque uno telo munitus (neque enim aliud est super) non semel, sed iterum ac tertio in aciem prodiit: quo belli exitu, non ego facile dixerim.

Est igitur Votum, quod *Lampridio* placet *Sanguinarium* dicere; id, quo quis religiose ac sub juramenti vinculo Deo spondet vitam se daturum & sanguinem pro id genus Piæ defensione Sententiæ; nimirum quoties occasio tulerit aut necessitas postulaverit. Ab hoc sane Voto alienus minime fuit, quin & grate & pie in id propendebat admodum, magni nominis Historicus, Virque non pietate minus quam doctrinæ copia præclarus, Henricus Spondanus, qui in hæc verba suam nobis mentem reseravit: *Nos sane pro assertione Immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ Virginis, ejusque propugnatione paratissimi essemus toties VITAM profundere, quoties contingeret eam in dubium revocari; idque ex toto animo scribimus & profitemur.* Neque vero unus id Spondanus contestatus est, sed & alii in eandem, neque infimæ notæ Theologi, ivere sententiam, quos refert *Theophilus Raynaudus*: ut alios prætercam bene multos, qui *Parthenotimo* teste *de Pietate in Deip.* Dissert. II. Capp. V. & XIII. ab istiusmodi Voto steterunt, suoque id calculo comprobarunt; potissimum *Academia Granatensis*, cujus exemplar Juramenti ex *Latio* transcribit proxime laudatus *Parthenotimus*.

Tom. I. *Annal. Continuat.* ad ann. [illegible] num. XXIV.

Tom. VII. *de venu. Titu. Immac. Concept.* §. III. n. 6. necnon Tom. XVIII. *de Martyr per se.* Part. II. Cap. 7. num. 18. Edit. Lugdun. anno 1665.

Is autem, hoc est *Parthenotimus*, probe gnarus, quo cum sibi res esset, totus in id incubuit, ut adversus *Pritanium* & *Lampridium* Votum istud rationum citius pondere, quam numero testium propugnaret. Nimirum, ne in se quis regerat, quod in Pytagoreos olim, nec injuria, M. Tullius: *Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas.* Quam in rem ita ille rationem subducit (juvat enim multa in pauca contrahere, remque heic totam breviter cognoscere) ac lubens concedit *Pritanio*, Piam de Primævo Virginis Candore Sententiam *Catholica Fide* nondum Certam evasisse: neque licere, ut illam tueare, quatenus pura putaque Opinio est, Vitæ jacturam pati aut certum ejusdem discrimen adire. Inquit enim prioris Libri, quem inscripsit = *Votum pro tuenda Imm. Deip. Concept.* pag. 18.: *Quis unquam somniavit, pro Incerta Opinione fas esse jugulum offerre Carnifici?* Alibi tamen docet meliore loco habendam esse Sententiam hanc, eique *Certitudinis* quendam gradum adjudicat, infra tamen Fidem: unde & claudit ibidem pag. 28. = *Non est igitur adeo clarum, ut sibimet Pritanius blanditur, quod Pia Sententia sit Opinio & mera Opinio*

Lib. I. de *Nat. Deor.* [illegible] 5.

nio, cui subesse possit Falsum. Dein addit, Voventium mentem aliam omnino esse, ac somniat *Tritanius*. Nempe, non eos vovere Vitam pro *Veritate* aut *Certitudine* Sententiæ, Originis labem a Virgine depellentis, quippe quæ (si de illa Fidei loquamur) necdum illuxit plane; sed duntaxat pro *Pietate* ejusdem, *quæ*, ait cit. pag. 18. certo inest *Actui Opinativo*, id est Sententiæ, nondum licet sat Certæ, de *Mariana Immunitate*. Est autem *Pietas*, judice *Parthenotimo*, Bonum illud Certum, quod si tuo obsignes sanguine, tantum abest, ut a ratione, a vera id Pietate, aut Prudentia absonum sit, ut eidem & maxime consentaneum esse videatur. Id quod & multis *Parthenotimus* confirmat, productisque exemplis Sanctorum *Joannis Baptistæ* & *Thomæ Cantuariensis* oppido quam illustrat. Itaque Vovens non pro *Opinione*, sed pro *Pietate* moreretur: immo [ut is pag. 59. aliisque in locis adtexit] moreretur & pro *Cultu*, pro *Honore*, pro *Veneratione* Deiparæ.

Quid vero ad hæc *Tritanius* sub eo, quo exiit, *Lampridii* nomine? Sane is Libro, a se elucubrato *de Superstitione Vitanda*, omnem movet Lapidem, id teli clypeique *Parthenotimo* ut eripiat e manibus. Quapropter Cap. V., nec non & Cap. XIII. alibique sæpissime, quo omnem rixandi aditum præcludat, remque (ut ipsi quidem videtur) in aperto locet; duo *Pietatis* genera distingui oportere contendit: unum quidem ejus *Pietatis*, quam *Intrinsecam* vocat planeque Certam; alterum vero illius, quam dicit *Opinativam*, sive *Extrinsecam*. In hanc, ait, quia *Opinione* innixam, potest dubio procul Error cadere aut erroris saltem formido quædam; in illam contra, omnino non potest: nititur namque isthæc Fidei Dogmatis, de quorum certissima Veritate nemini Catholicorum licet ambigere. Similia his sunt, quæ, & de *Honore*, de *Sanctitate*, deque *Cultu* a Lampridio consignantur Cap. XIV. Nam & heic quoque animadvertendum apprime monet, alium esse *Honorem* & *Cultum*, qui *Intrinsecus*, alium atque alium, qui *Extrinsecus* seu *Opinativus* appellatur: idque, ut putat, in tempore, nequis forte sinat sibi illudi, aut tam speciosis patiatur nominibus in errorem se rapi.

Quibus ita constitutis, ad *Parthenotimum* se vertit *Lampridius*, pertenditque *Pietatem* illam, pro qua mortem oppeterent quotquot Sanguinario Voto se obstringunt, ex illo esse genere *Pietatis*, scilicet *Opinativæ*, non *Intrinsecæ*, non *Objectivæ* seu undequaque Certissimæ. Neque enim Sententia illhæc, qua B. Virgo adseritur sine labe concepta, quæque istius *Pietatis* Objectum est aut fons & origo, e finibus exiit Opinionum humanarum: saltem necdum est per Ecclesiam,

uti

uti *Fidei* Canon, definita. Eodem modo *Lampridius* differit & de *Honore* & de *Cultu*, ut evincat, frustra hæc esse a *Parthenotimo* excogitata; quemadmodum videre est indicato Cap. XIV., quo Lectorem remittimus, ejus rei videndæ percupidum. Videsis etiam hac eadem de re Caput XV. laudati Libri *Lampridiani*. Ideoque, quum *Pietas* (idem dixeris de *Honore*, deque *Cultu*) quæ inest Sententiæ, Deiparam solventi ab peccato Adami atque etiamnum Incertæ, non sit nisi *Opinativa*, sive mera Opinio *Pietatis*; consequitur, eum, qui hocce nomine moreretur, pro Opinione quidem *Pia*, at vero semper pro *Opinione* mori. Hactenus in *Parthenotimum* Lampridius. Atque hæc pauca ad institutum sat sunto: cuncta enim referre, hinc illincque operose producta, nec vacat nec lubet. Unum addidero, *Parthenotimum* Differt. II. alterius Libri *de Pietate in Deiparam amplificanda* in Lampridium adornati, compluribus huc congestis qua rationum, qua auctoritatum momentis adlaborasse, ut non sibi per hanc rimam *Lampridius* elabatur. Contra vero succenturiatus *Valdesius* non uno in loco, potissimum autem Epist. XII. nihil non agit, ut probet labores *Parthenotimi* inanes prorsum esse, nec negotii quicquam *Lampridio* facessere. Prostant Opera utrorumque. Uter utri insidias fecerit; qui legerit sine studio partium, judicabit.

Ast liceat mihi, quæso, unum alterumve heic verbum adjicere, anteaquam digrediar. Fatetur vel ipse *Lampridius* Cap. VII. pag. 44. (quidni enim fateatur?) cultum Beatissimæ Matris Dei ad Religionem spectare Catholicam; idque esse longe Certissimum. Subdit præterea pag. 46. in hæc conceptissima: *Ille verus est Dei & Virginis Cultus, quem Ecclesia probat*. Et paullo ante ibidem in eandem sententiam: *Ut hominum sententiæ ac opera sint actus veræ ac germanæ Pietatis atque Virtutis, debent versari in Cultu vero veri Dei, ejusque Sanctorum; hoc est exhibere Deo ac Beatis Civibus Cæli Cultum illum atque Honorem, qui a Deo ipso per Ecclesiam probetur, eique placeat*. Ita *Lampridius* perspicue admodum. Nunc quid, amabo, vetat, quominus inferamus: *Atqui Cultus, qui Deiparæ defertur, uti cujusque labis experti, nedum ab Ecclesia probatur, verum etiam* (ut propria in sede commonstrabimus) *cunctis Fidelibus præcipitur perquam diserte; Ergo de illius veritate Cultus quis ausit ambigere?* Dubitet, qui volet de *Sententia*, per nos quidem licet: at de *Cultu*, res est hodienum extra controversiam posita.

Neque refert *Lampridium* eo loci reponere: *Adhuc inquirendum atque ostendendum restat, num pro illa Sententia* (id est, Concep-
tionis

ctionis Intemeratæ) *mori sit Verus Cultus ac Veneratio Mariæ, hoc est, an Opus sit a Deo per Ecclesiam probatum ac Deo gratum. Heic* (ait quasi *Parthenotimo* insultans Lampridius) *heic rhodus, heic saltus.* Verum enimvero, is egregie fallitur. Non enim isthuc est, de quo *Lampridium* inter & *Parthenotimum* in præsens disceptatur; sed tantummodo, an pro Deiparæ *Cultu*, undequaque *Illibatæ*, nec qualicumque, sed ab Ecclesia jam *probato*, immo & vere ac districte præscripto, adeoque hoc nomine citra dubitationem *Vero*, occumbere liceat, nec ne? Heic sane [ut Lampridianis utar verbis] rhodus est, heicque ille saltus, quo de plura solidioraque *Parthenotimus*, cui id jure dimissum volumus, ne in alienam, quod dicitur, messem videamur falcem immittere.

Quod si Ecclesiæ suffragium a nobis petat *Lampridius*; sat foret respondisse, nondum id ad Ecclesiæ Tribunal fuisse delatum. Ex judicio tamen, quod de *S. Thoma Cantuariensi* Ecclesia tulit, quale etiam hac super re futurum sit, non obscure fortassis conjectari licebit. Nam ille animam suam posuit pro sacris Ecclesiæ Juribus propugnandis, sive (ut loquitur *Lampridius* Cap. XIV. pag. 103.) *pro legibus gravissimis, quas evidenter sciebat justas, atque ab Ecclesia certissime promulgatas & quas sibi custodiendas ex vi sui muneris agnoscebat.* Si Thomæ id licuit citra ullum crimen teste vel ipsomet *Lampridio*, quin & in laude ponitur: nobis non licebit idem facere pro non admodum dissimilibus Ecclesiæ legibus, hoc est pro ejusmodi Virginis *Cultu*, plane *Vero*, utpote ab Ecclesia & *probato*, & (ut suo evincetur loco) universis quam certissime indicto? An res forsan nihili, aut injusta hæc Ecclesiæ Lex? Nusquamve promulgata? vel eam servare, aut non, Ecclesiæ Filiis integrum pro lubito?

Ad hæc, quid si tanquam vera amplectamur atque inconcussa, quæ *Theophilus Raynaudus* tradit, carum utique *Lampridio* Caput atque ab se toties deprædicatum? En ejus verba: *Hæc propositio, PIUM est & probabile, quod Conceptio Deiparæ est Immaculata; hæc inquam propositio videtur esse de FIDE: ita ut ejus inficiatio sordeat explorato errore.* Id quod & multis Auctor prosequitur, & firmat, ibidem lectitandis. Ac si id quidem teneas & ratum habeas, tum ita conficio: Igitur Sententiæ *Pietas*, asserentis Conceptionem Mariæ nullo fuisse peccati nœvo vitiatam, usque adeo Certa est atque *Intrinseca*, ut *Opinativa* esse aut dici nullo pacto possit. Ex quo & illud suapte sponte fluit, morientes ob istiusmodi tutelam *Pietatis* tam abesse a quovis probro aut facinore, quam qui maxime.

In cit. Tract. de rat. ...it. Imm. Concep. §. VI. n. 15. & seqq.

C Verum

Verum, ridebit, opinor, ad hæc *Lampridius*, hancque *Raynaudi* doctrinam tantum non ad Orcum ablegabit. Strenue profecto, atque industrie! At, eccur non ille risit, non etiam *Raynaudum* eodem amandavit, quum Cap. VI. itemque Cap. XIX. pag. 144. ceu suffragatorem & hunc quoque exerit admirandæ illius doctrinæ, qua adhærescentibus, veluti *Fidei* Articulo, *Incontaminatæ Conceptioni*, proque illa tuenda vel sanguine suo decertantibus, (*) *hæreseos* etiam nota affricatur, nedum *Superstitionis*? an non vel unus *Suarez*, aut verius Ratio per eum allegata, invicta sane atque evidens (ut mittam cetera) sat esse debuit *Lampridio*, ut ab portento hocce referendo temperaret sibi? Deinde non video (ut dicam in transitu) quei ille heic dicta rite cum iis componat, quæ alibi olim exaravit, id est Lib. I. *de Ingenior. Moderat.* Cap. 21. sub finem, inquiens: *Ille TANTUM Hæreticus est, qui pertinaci animo dogma aliquod ab Ecclesia receptum, a Scripturis Sacris aut a Traditione commendatum, contemnit, rejicit, negat; aut Scripturæ loca ad fidei & morum doctrinam spectantia contra mentem Ecclesiæ & consensum Patrum pervicaciter interpretatur.* An quid horum de illo, qui tam firmo tueretur animo *Marianæ* Sententiam *Præservationis*, ut falso putaret de *Fide* eam esse, proque illa sit mori paratus? Sed jam plura, quam volebam.

Tom. 2. in 3. Part. quæst. 27. art. 2. Disp. 3. sect. 6. in fin.

Ut

(*) In hanc *Lampridius* Scenam *pag.* 38. & *sequenti*, ceu Actorem principem & *Alphonsum de Castro*, invexit, magni nominis Theologum, cujus & locum satis longum ex Lib. I. *de justa Hæreticorum punitione* Cap. 8. transcripsit, sed non integrum. Addit enim ibidem *Alphonsus* statim post exscripta a *Lampridio* verba, quæ sequuntur, artificiose abs se silentio obvoluta: *Ego quidem Virginem Deiparam sine peccato Originali CONCEPTAM fuisse credo, quia hoc magis PIUM est, & magis dignitati Matris Dei conveniens, & Filii ejus totius generis humani Redemptoris, dignitati & excellentiæ nec pilum detrahens; attamen non tam firmo animo hanc teneo Sententiam, ut illam putem esse Fidem Catholicam, atque ideo pro hujus Sententiæ tutela NON LIBENTER* (dicite hominis præclari moderationem, dicite sapientiam!) *non libenter cervicem gladio opponerem.* Tum paullo post ita, prout ad rem, concludit: *Si quis vero aliquam Opinionem de rebus Fidei differentem, QUANTUMLIBET firmo animo teneat, & putet illam esse Fidem Catholicam, paratus tamen Ecclesiæ aliud docenti obedire, etiamsi erret* (errore utique innoxio) *NUNQUAM ob hoc dicetur HÆRETICUS.* Hæc Alphonsus *loc. cit. pag.* 45. & 46. edit. Venet. an. 1549., quæ ubi *Lampridius* haud occuluisset, neutiquam reliqua ejus verba Lectori suo tanta pompa propinasset. Confer & quæ habet *Alphonsus* eodem loci Cap. 1. *pag.* 5. & Cap. 7. *pag.* 40. *ac seq.* ubi quid sit *hæresis*, quidve *hæreticus*, enucleate definit. An forsan de *Fide* est, *Immaculatam Conceptionem* non esse *de Fide*; ut qui eam de *Fide* teneret, ceu *Hæreticus* jure sit traducendus?

Ut ad rem deveniam: novis nunc est animo armis (uti ad Lectorem præfati sumus) *Sanguinarium Votum* defensare atque ab omni crimine repurgare. Quocirca nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad rem declarandam. Dicemus itaque primum de *Cultu* Virginis generaliter; deinde quibus speciatim sub nominibus coli primo cœperit, hoc est quibusnam Mysteriis aut Celebritatibus (de primoribus loquimur, vetustioribusque): tum, & fusius multo deditaque opera, de Solenniis *Conceptionis*, quandonam invectis atque ad universam Ecclesiam Edicto Sedis Apostolicæ propagatis; neque alia, ut in *Lampridium* probabitur, sub significatione, præterquam *Immunitatis*, aut *Præservationis*: & si qua alia digna memoria erunt. Postremo & de consectariis differemus, quæ illinc necessario proficiscuntur. Ac potissimum ex aperta Ecclesiæ Sanctione, qua jubemur omnes Sanctissimæ Dei Genitricis *Inculpatam* colere *Conceptionem*, ac cuique nefas non obtemperare, non immerenter deducimus, nemini Fidelium hoc ex capite atque adtento id generis Ecclesiastico Præcepto, quod cunctos afficit, licere nunc sentire aliter hac de re citra Peccatum. Cujus quidem & id consequens est, Quæstionem de non temerato Deiparæ Conceptu jam sane diu e *Speculativa* in *Moralem* transiisse; Rationemque illam, quam in Pietatis speciem componit, nusquamque non obtrudit *Lampridius*, in nihilum plane abire, neque alicujus esse ponderis ac momenti in rebus aut *Opinionibus Moralibus*, ubi agitur de *Peccato* vitando, sed summum in *Speculativis* tantum: ideoque non esse, quod istiusmodi in Voto sugilles, quod carpas, quod reprehendas. *Aderit Dominus* [perbelle Augustinus, quocum & ego] *aderit Dominus, ut non solum Veritas sed etiam Caritas tibi exhibeatur a nobis: nam & Error Veritate & Livor Caritate pellendus est.* Lib. VI. contra Julian. Cap. 1.

Ceterum, id operis dum ego molior, equidem nolo de Voventium mente Siculorum, Hispanorumque aut aliorum quorumlibet, anxius quærere, nec quas *Parthenotimus* Cap. V. Dissert. II. posterioris Libri recenset, Juramentorum Formulas animus mihi est universas expendere atque tueri. Servent alii, si possunt, fines suos: humanam nos Mentem soli Deo, ut decet, perscrutandam relinquimus, illarumque Formularum curam omnem in Auctores suos unice rejectam volumus. Nobis sat erit ostendere, *Sanguinarium Votum*, generatim sumtum, ratione modo dicta cohonestari facile posse, ut constet, quam temere hunc de *Superstitione Vitanda* titulum suo ipsius Libro præfecerit *Lampridius*, quamque nos econtra nostram hancce in illum Opellam de *Superstitiosa Timiditate Vitanda* non immerito nuncupaverimus. Reliqua, quibus suum

refersit Opus *Lampridius*, quæque toto effudit disputationis impetu mihique neutiquam probantur, insalutata dimitto; scilicet ne excurram extra caussæ terminos, quam propugnandam suscepi. Quod eo duntaxat dictum velim, ne quis existimet me in *Lampridio* ejusdemque succentore *Valdesio* cetera probare omnia, quæ heic silentio sino præterfluere; quorumque refutationem in aliud ego tempus aliumque locum rejicio, si vita erit comes & otium.

CAPUT II.

Deiparæ Cultus ad Fidem spectat Catholicam. Cujusmodi is sit? Eum esse in Ecclesia vetustissimum ostenditur, ita ut quod est ad antiquitatem, ipsimet Ecclesiæ vix quicquam concedat. Cultus tamen iste antiquior est ipsis Marianis Solennitatibus, serius tandem ab Ecclesia constitutis. Et cur?

UT e vestigio adoriar; mihi sane ac Catholicis omnibus cum *Pritanio*, *Lampridio*, atque *Valdesio* convenit, Virgini Deiparæ, Sanctorum omnium longe Sanctissimæ, eum deberi Cultum, quem Schola *Hyperduliam* vocat, id est, talem Cultum, qui illo quidem, qui soli Deo debetur ac *Latria* dicitur, sit multo inferior, at simul etiam eo perquam superior, atque præstantior, qui reliquis puris Creaturis, quantumlibet Sanctis, tribuitur, quique ex Theologorum more *Dulia* audit, docendi caussa. Enimvero, tanta est in Virgine supra omnes vel Angelicos etiam Spiritus prærogativa Excellentiæ & singularissimæ Dignitatis; ut ab Orthodoxis numquam dubitatum sit, quin illi, utpote Dei Matri factæ, eo plus laudis & honoris exhiberi oporteat, quo ceteris illa Beatis, qua Hominibus qua etiam Angelis, magis præstat & officiis Virtutum, & Gratiarum donis & Gloria. *Qua enim*, ut vere ac præclare S. Bernardus, *vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti Sacrarium fieri & habitaculum Filii Dei?* Certe, adeo Deus Gratiarum suarum donis liberalissime Virginem cumulavit, ut ei, teste S. *Petro Chrysologo*, non *per partes*, quod aliis obtigit Sanctis, sed *se totam infuderit gratiæ plenitudo*. Et S. *Ambrosius* eximiis adeo Dei Genitricis Virtutibus captus: *Quid nobilius*, ex-

Serm. IV. de Assumpt. circa medium.

Serm. 142.

Lib. II. de Virginib. sub init.

exclamat, *Dei Matre? Quid splendidius ea, quam Splendor elegit?* Hinc jure meritoque idem *Bernardus* hisce alibi Mariam alloquitur: „ Beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus „ Vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, Justi „ gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum. Merito in „ te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te & per te & „ de te benigna manus Omnipotentis, quicquid creaverat, recreavit. „

Serm. II. in die Pentecostes sub medium.

Ejusmodi porro Cultus Virginis tam est in Ecclesia antiquus, ut eidem coævus prope censeri, nec injuria, possit. Cujus quidem rei cum pleraque possimus proferre testimonia ad revincendos (si locus ferret) cum Veteres tum Recentiores Heterodoxos, qui nihil moliuntur validius, nihil operosius, quam ut Mariæ simul & Sanctorum omnium Cultum impie proscindant atque e Fidelium cordibus tollant, uno erimus contenti, illo nimirum *Lucæ* Cap. I. 28. ubi *Gabriel Archangelus* reverenter adeo ac demisse Domini Matrem salutavit, ut nihil magis. Ex quo facili quisque negotio conjicere poterit, quantopere vel ab primordiis Ecclesiæ culta fuerit Virgo adeo Gloriosa, si talem tantumque ei honorem detulit vel Archangelus, ut & *gratia plenam* & *secum Dominum*, atque etiam *in Mulieribus benedictam* adfirmate pronuntiaverit. Huc etiam spectat, quod de *Elizabetha* ibidem ab Evangelista proditur. Scitum est enim, Sanctam hanc Præcursoris Matrem ad Matris DOMINI adventum non obstupuisse solum (nihil quippe tale unquam cogitarat) sed verbis etiam simul & gestibus singularem, illique debitam venerationem ac reverentiam ex animo impendisse. Nam ingens herde (ut alia prætereamus) verborum illorum, uti ad rem, vis est: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. tit. Cap. I. 43. Nempe Mulier, plena Spiritu Sancto, ineffabilem Dei Matris dignitatem tam alte suspexit ac venerata est, ut quanto a nobis honore colenda sit, suo plane exemplo commonstrarit.

Sacri præterea ejusce vetustatem Cultus in promptu est forsan derivare vel ex infando *Collyridianorum* facinore, ut ex luto aurum, gemmam ex stercore. Hi quippe vesani ac nefarii homines, vel potius, ut *Epiphanius* testatur, *Mulieres* plane impiæ (*Arabiam* incolentes) usque adeo desipuere, ut IV., quo vigilantes somniabant, Ecclesiæ Sæculo inauditum juxta & falsum Mariæ Cultum invexerint: videlicet, eam sibi Dei loco ubi statuerunt, Divinum statim honorem eidem sacrificando adtribuebant, scelere utique exsecrando, & contra omnem Ecclesiæ morem ac mentem. Id enim forsu-

Hæresi 79. cont. Collyridianos

forsu-

furfuris homines aut mulieres, certo statoque anni die *currum quemdam sive sellam quadratam adornantes atque expanso desuper linteo, per dies aliquot panem, seu collyridem quandam proponunt, remque totam in Mariæ, ceu Deæ nomen offerunt: tum ad unam omnes eo pane participant*. Ita narrat *S. Epiphanius* loco nuper citato, ubi & earum stultitiam & insignem impietatem pro meritis taxat atque exsecratur: quin tamen (ut dicam obiter) novi *Antidico-Marianitæ*, sive veri Mariani Cultus Osores sceleſtissimi, qua Lutheranæ Factionis qua etiam Calvinisticæ, proficiant hilum, quum in tanto Doctore & Episcopo perditæ suæ causæ, per summam quidem injuriam, præsidium collocant. Qua de re qui plura scire avet, *Petrum Canisium* adeat, præclare deditaque opera (si quis unquam) id argumenti versantem: citiusque aquam, quod ajunt, elicies ex pumice, quam ex *Epiphanio* id, quod delirant aut videntur sibi videre Novatores. Adiri etiam potest, quin & debebit *Natalis Alexander* Differt. 25. *Hist. Eccles.* Sæculi V., quo ipse loci religiosum hunc Cultum Beatissimæ Virgini luculenter adjudicat, numquamque non eidem delatum fuisse vel ab Ecclesiæ incunabulis temporibusque Apostolorum, adversus impium *Dallæum* evincit lato atque erudito calamo: dum nobis interea, qui ad alia properamus, digitum ad fontem intendisse sufficiat.

Lib. V. de Maria Virg. Cap. 16. a pag. Multi 646.

Itaque ad *Collyridianos* ut revertamur; hisce præsertim Auctoribus ac primipilis abusus omnes & superstitiones, prorsus resecandæ, in Mariæ Cultu irrepserunt. Neque id vero stupore seu admiratione dignum. Nam uti piissimus Cardinalis *Bona* recte animadvertit, *nihil tam Sancte institutum est, quin aliquando in superstitionem & pravos usus degeneret*. Quod tamen nihil Religioni, nihil Auctoritati Ecclesiæ ejusque Sanctitati, nihil sinceris derogat Divæ Virginis Cultoribus: sed quicquid hoc est vitii atque impietatis, hominum id est culpæ imputandum, vel optimis quibusque, ut fere fit, nec defleri satis potest, profecto abutentium. Quamobrem, & in hos quidem horumque similes Errones illa *S. Augustini* verba quam ritissime congruunt, ajentis: „ Illo Cultu, qui græce *Latria* dicitur, latine uno verbo dici „ non potest, cum sit quædam proprie Divinitati debita servitus, „ nec colimus nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum „ autem ad hunc Cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam Idolis exhibent; nullo modo „ tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam „ Martyri, vel cuiquam Sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo: & „ quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per SANAM „ DO-

Rer. Liturgicar. Lib. II. Cap. 17. n. 7.

Lib. XX. cont. Faustum Cap. 21.

„ DOCTRINAM, sive ut corrigatur, sive ut caveatur. „ Hæc *Augustinus* ex Doctrina atque Ecclesiæ mente, cui id farinæ præposterus ac superstitiosus Cultus probari plane neutiquam potest.

Quoniam autem, ut vidimus paullo ante, tam turpiter *Collyridiani* lapsi sunt, ut Mariam colerent cultu Divino, prorsum indebito; colligere hinc est in proclivi, non illos omnium primos coepisse Virginem venerari, sed quem sua ipsorum ætate jam solennem & a Majoribus acceptum in Ecclesia invenere verum ac germanum ejusdem Cultum, suismet superstitionibus impietatibusque coinquinasse. Quis enim credat, homines, qui Christiano censentur nomine, derepente adeo pessimos effectos, ut contra Majorum mores ac statuta trium priorum Ecclesiæ Sæculorum & coluerint ipsi primum Virginem, & eidem, nunquam antea cultæ, Divinos simul honores asseruerint litaverintque?

Ex quibus proin satis abunde liquet, Deiparæ Cultum, illum scilicet, quem *Hyperduliam*, aut, ut alii, *Majorem Duliam* appellant, ad Fidei doctrinam pertinere, longeque esse vetustissimum; certe nec Ecclesiæ veteri novum, nec primis Christi Fidelibus ullo modo ignoratum. Quare, idem *S. Epiphanius*, IV. Sæculi Scriptor gravissimus, B. Mariam non modo reliquis Sanctis omnibus longius anteponendam edicit ob summam illam vereque singularem Dei Parentis dignitatem, seu, ut ille ipse ibidem loquitur, *propter dispensationem Mysterii, qua digna facta est;* verum etiam, & ubi non eam esse *adorandam* docet (Adoratione utique illa, quæ *Latria* dicitur) veros tamen alios, eosdemque plane debitos legitimosque ipsi honores explicate adscribit hisce disertissimis: *Honoretur sane Maria; Pater vero Filius ac Spiritus Sanctus adorentur.* Idem & repetit eodem, quo supra, loci, hoc est *Haresi LXXIX.* sub finem, quum summatim complectens omnia, in hunc modum claudit: *Maria in honore sit, Dominus adoretur.* Hæcque de Cultu Virginis generatim, variis deinceps Ecclesiæ Decretis, Conciliorumque Canonibus identidem firmato ad propositum satis multa. Videsis Petavium Tom. VI. *Theologicor. Dogmatum* Lib. 14. Cap. 8. per totum.

Pauca nunc, priusquam alio pergam, & de antiquitate Celebritatum sive dierum Festorum, quos, in sacrum ac Religiosum Dei genitricis Cultum Ecclesia indixit, hoc in loco adjicienda. De iis loquor Celebritatibus, quæ e variis Mysteriis exortæ, varia quoque sortiuntur nomina, videlicet *Nativitatis*, *Annunciationis*, *Purificationis* &c. Quamvis autem Sanctissimæ Virginis Cultus, uti modo dicebamus, eo usque pervestutus sit, ut cum Eccle-

Ecclesia fere natus censeri possit ; nihilosecius cum Viris doctis observare haud piget , non omnes , quos hodienum solenni ritu celebramus, Mariæ Festos dies ex æquo antiquos esse, neque uti ejus Cultum, sic ejusdem Festorum dierum omnium originem ab Apostolis esse repetendam. Immo, si res ex priscis, quæ exstant, Ecclesiæ monumentis unice sit dimetienda , nemo non intelligit , hodiernas Virgineas Solemnitates, sin minus omnes & singulas, at certe aliquas ipso Mariano Cultu esse multo recentiores. Liquido id patet ex mox dicendis Capite sequenti, quo ejus rei tractationem, tanquam propriam in sedem, consulto reservamus. Ut enim vere riteque *Ludovicus Thomassinus* , Ecclesiasticæ Eruditionis probe peritissimus: *In confesso est vetustiores Liturgias meminisse MARIÆ, Angelorum , Patriarcharum & Prophetarum , antequam eorum Festi dies indicerentur*.

Lib. II de Festis Cap. 20. n. 2. ... Edit. ... 1729. ... Gueyd ... Heortologiam.

Ne quis autem dictum id gratis seu penitus confictum autumet, abs re non erit subtextis rationibus id ipsum suffulcire, bonoque in lumine [quoad ejus fieri potest] collocare. Quod ut præstem, initium mihi ducendum videor a verbis *Epiphanii* perbelle ad rem scribentis : *Neque enim omnia statim ordinare poterant Apostoli; neque ulla res est ; quæ ab initio omnibus suis numeris absoluta fuerit , sed procedente demum tempore sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem accessio contingit*. Ita sane . Apostoli quippe, quibus universi Orbis ad Evangelium perducendi cura concredita, pauci erant numero admodum, citiusque [si unum Joannem exceperis] e vivis erepti sunt gladio perditissimorum hominum , quam ut forte oporteret. Quo autem ipsi tam arduo tamque præclaro munere rite defungerentur, non hercle laboribus pepercerunt, non vigiliis, non cursitationibus, ærumnarum plenis undique, nunquamque intermissis: ut mirari jam minime subeat, siquidem nec sat temporis habuere nec virium, ut de id genus sacrarum institutione Solennitatum serio agerent, immo ne cogitarent quidem.

Hæresi 75. cont. Aerium.

Accedit, quod non modo Apostoli, sed & ii , qui per vices [intervallo duorum & amplius Sæculorum] in Apostolatu successerant, in id maximopere desudarunt, ut Idololatriam Mundo pellerent & quam longissime exterminarent. Erat ergo Sapientiæ , erat Pietatis opus priscæ illius enascentis Ecclesiæ ab hujusmodi instituendis Solenniis in non apto tempore sibi temperare , ne qua inde scandali occasio cuiquam præberetur . Scilicet *verebatur Ecclesia* (juvat enimvero id ipsissimis *Thomassini* verbis proferre, atque enucleatius explicare) *verebatur Ecclesia prioribus Sæculis , ne Idololatria , quam evertendam curabat , rursum instauraretur ; ea de causa*

Loc. cit. n. 2.

Ita Deiparam coluit quidem, ita tamen ne in cujusquam offensionem incurreret. Ethnici venerati fuerant plures confictorum Numinum Matres; timendum fuit, ne quid peccaretur in Cultu Mariæ, veri Dei Parentis; atque id curavit Ecclesia. Pergit autem, nullis prorsus interjectis, dicere: „ Idem Deus ipse præstitit; plurium enim Sanctorum virorum mortem & tumulos illustres reddidit, finens interea versari homines in ignoratione sepulchri & ceterorum, quæ cum Matris suæ gloria conjuncta erant. Eadem prorsus ratione latuit mors & sepulchrum Mosis Prophetæ, ne Hebræi ad Idololatriam propensi eum veluti Numen quoddam venerarentur.„ Sic quidem apposite scitissimeque *Thomassinus*. Quam vero is non inanis fuerit Primitivæ Ecclesiæ timor, sane ex iis patescit, quæ de *Collyridianis* ante ex *Epiphanio* recitavimus. Nam hi adeo in Mariæ Cultu peccarunt, ut ab Idololatriæ labe ac scelere excusari vix ac ne vix quidem possint.

Igitur ex hodiernis Deiparæ Celebritatibus nulla adsurgit altius, saltem antiquior nulla videtur esse *Ephesina Synodo*, III. Oecumenica, in qua anno Æræ Vulgaris trigesimo primo supra quadringentesimum, nefarium *Nestorii* dogma proscriptum est, Divinam Virgini Maternitatem quam impiissime invidentis, unaque id omnium voce inter Hæreses computatum. Heinc illa summa exultatio, ille Catholicorum omnium in colenda Dei Genitrice mirificus confluxus: heinc & Templa in ejus honorem exædificata magnis sumptibus & indicta ubivis gentium Solennia, *Thomassino* ibidem adtestante atque dicente: *Postquam Nestorius in Mariam ira inflammatus furere cœpit, ac si Dei Mater non esset, eumque diris devovit prima Synodus Ephesina, sibi vitio vertere quisque visus est parcius Mariam colere. Christiana Religio altas radices egerat & Idololatria sublata erat; vulganda potius videbatur tantæ Virginis dignitas atque gloria, & obstruenda ora Hæreticorum, impie illam carpentium. Ædes igitur amplissimæ constructæ sunt, & sacræ Celebritates institutæ.* Hactenus Vir præstantissimus, quem & ducem sequi, ejusdemque ore loqui magno semper honoris loco ducam.

Ad extremum (ne aut culpandæ segnitiei aut animi minus in Virginem devoti insimulentur primævi Fideles, quod serius forsan, ac par erat, sacras illi Solemnitates constituerint, præsertim quum longe ante *Ephesinam Synodum* jam Festi dies *SS. Martyrum* agerentur, ut testes sunt locupletissimi *S. Cyprianus* atque *Eusebius* in *Vita Constantini* M. lib. IV. Cap. 23.) & illud, prout ad rem, heic libet animadvertere, quædam Christi Domini ac Servatoris nostri Solennia fuisse ac esse Filio cum Matre communia,

Epist. olim 39 nunc 12 ad Clerum & plebem de Celerino & Epist. 70 alias 12. nova Edit. Venetæ ann. 1728.

D ut

ut puta *Incarnationem*, *Nativitatem & Præsentationem* in Templo: Etsi autem Festum cum *Incarnationis*, quam nos *Annunciationem*, tum etiam *Præsentationis*, quam Deiparæ *Purificationem* dicimus, [de quibus mox plura] non ea vetustate sit, qua sunt *Martyrum* Solennia, de Christi tamen *Nativitate*, deque ejus die Festo, quin sit antiquissimus atque vel ab Apostolis institutus, haud equidem dubito. Apposite ad rem S. Augustinus: *Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri: sicut quod Domini Passio & Resurrectio, & Adscensio in Cœlum, & adventus de Cœlo Spiritus Sancti, anniversaria solennitate celebrantur; & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia.* Quamvis vero heic loci Natalem Christi diem non aperte *Augustinus* iis accenseat Festis diebus, quos nominatim in Apostolos refundit; accensuisse tamen tacite putandus est, illis scilicet postremis verbis: *Et si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia*: eo vel maxime, quod & ipsemet alibi de hujusmodi Festo die, uti ubique quam religiose peracto, expresse mentionem faciat, & superiore loco complecti atque enumerare omnia, quæ Apostoli sanxerunt, ejus instituti ratio minime ferre aut postulare videretur. Atque hac ipsa fortassis de caussa factum, nempe quia Festum Filii est & Matri Sacrum, ut Mariæ Celebritates diesque Festos indicere minus curarit Ecclesia Vetus; quemadmodum subacte *Thomassinus* observat laudato in Opere *de Festor. Celebrat.* Lib. I. Cap. V. num. 7., omnino consulendus.

Epist. olim 118. nunc 54. Cap. 1.

Ep. 49. C. 1. n. 2. olim Ep. 119.

CA-

CAPUT III.

De Marianis primæ notæ Solennitatibus ſingulatim, id eſt de Nativitate, Annunciatione, Purificatione, & Aſſumtione. Quandonam, quave occaſione introductæ? Lampridii lapſus de Virginis Nativitate; irritusque in id rei Valdeſii defenſoris conatus. Quæ ſit Aſſumptioni notio ſubjecta? Aliam priſcis Patribus, aliam nobis eſſe aſſerit Natalis Alexander, quin tamen id recte probet.

EX dictis hactenus plus ſatis adparet, cur, quas nunc tenemus, Mariæ Celebritates ipſo Mariano Cultu poſteriores ſint admodum, neque ab Apoſtolis aut immediatis illorum ſucceſſoribus arceſſendæ; quippe quod vel illi nequiverint, vel tum expedire id minime judicarint. Quo id autem innoteſcat clarius, lubet hoc loco de iis ſingillatim agere atque docere, quo queque anno conſignandæ ſint, unde & ubinam exortæ. Non quod de omnibus dicere ac recenſere ſingulas propoſitum mihi ſit; cujuſmodi ſunt *Præſentatio* B. M. V., ejuſdem *Viſitatio*, item Feſtum *Expectationis*, & quæ ſunt alia generis ejuſdem. De iis duntaxat nunc loquar Solennitatibus, quæ primi ordinis ſunt, quibuſque nos feriari, ſeu ceſſare ab operibus ſervilibus neceſſum eſt. Sunt autem quinque numero, ſcilicet *Conceptio*, *Nativitas*, *Annunciatio*, *Purificatio*, & *Aſſumptio*: de quarum prima Capite inſequenti, de reliquis impræſentiarum.

Ordior ab *Purificatione*, quod iſthæc (ſi ratio temporis habeatur) omnibus aliis præſtet Deiparæ Celebritatibus, uti ex ſubtexendis patebit. Is itaque Feſtus dies *Purificationis* Virginis inviolatæ, ſi *Sigeberto* credimus, Conſtantinopoli inſtitutus fuit anno DXLII. ſub *Juſtiniano I.* Orientis Imperatore: cauſſamque ei dedit deſignando lues quædam contagioſa, quæ ibidem tum graſſabatur & cancri inſtar longe lateque ſerpebat. Si vero *Cedreno* fides, jam ab anno 527. Antiochiæ obtinuerat terræmotu ad id impellente, quo anno ſuperiore urbs proſtrata eſt. Vocatur autem a Græcis *Hypante*, ſive *Hypapante* (quæ verba *Occurſum* vel *Obviationem* ſignificant, quod ſcilicet Simeon ille, veneranda canitie ſenex, Filio Dei ejuſque Sanctiſſimæ Parenti, Templum adeunti, *obviam* proceſſerit) itemque & Pueri Jeſu in eodem Hieroſolymitano Templo *Præſentatio* ſeu *Oblatio*; cujus quidem rei, uti &

In Chronico ad ann. 542.

In Comp. an. 6. Juſtiniani Imper.

Purgationis Mariæ, frequens est mentio apud priscos Patres, ubi S. *Lucæ* Caput II. interpretantur, suisque illustrant Commentariis. Auctor tamen est *Thomassinus* Solennia hæc jam alicubi viguisse multo ante *Justiniani* tempora, quippe qui non primus ea constituerit, sed jam instituta & recepta toto terrarum Orbe celebrari mandarit. Id ipsum ex S. *Gregorio Nysseno* probat Cl. Vir *Edmundus Martene* Tract. *de antiqua Ecclesiæ Disciplina* Cap. XV. n. 1. seu Tomo III. Lib. IV. *de antiquis Ecclesiæ ritibus* col. 126. edit. Antuerp. an. 1737., quem vide. Hæcque de Ecclesia Græca. Ad Latinam quod spectat; censet *Baronius* Festi hujus institutionem *Gelasio Pontifici*, hujus nominis *I.*, tribuendam esse; nempe sub exitum sæculi V., quo & Petri ille Sedem adiit, & non ita multo post Pastore viduatam reliquit. Sunt tamen, qui cum *Henschenio* putant, Viro sane docto atque erudito, longe antiquiorem esse id genus Solennitatem, atque vel ab ipsis Apostolis repetendam. Verum, quæ huc is congerit argumenta, quod nititur, non evincunt plane: qua de re legesis *Honorati a S. Maria* Dissertationem V. Libri III. *de Regul. & usu Critices* art. 1. §. 4. Tom. 2. ubi tamen velim animadvertas, quæ ibi habet Auctor de S. *Leone Papa*, riteque constituta, cum iis non cohærere quæ de eodem scribit alibi, id est §. II. *Dissert. I. citati Libri ac Tomi* pag. 168. Venetæ latinæ e Gallico Editionis. Ut ergo a *Baronii* sententia hoc loco discedamus, nulla profecto est ratio: qui & addit (*Thomassino* ubi supra, *Bailleto*, aliisque probantibus) eam in rem id Festi genus a *Gelasio* PP. invectum fuisse, ut & *Lupercalium* (*) memoria & reliquiæ Gentilitatis funditus exscinderentur; quod & cessit ex sententia.

Lib. II. de Fest. Cap. 11. n. 1. & 6.

In Martyrol. Rom. IV. Nonas Februarii.

Tom. I. Feb. in die Purific. §. 1. fol. 268. edit. Venet.

In Vitis SS. ad 2. Febr.

Ad *Annunciationem* Virginis transeo, quæ VIII. Kalendas Aprilis celebratur, quæque alias & Verbi *Incarnatio* dici consuevit (**). Ac quidem *Incarnationem* Verbi Divini Natali ejusdem die celebratam fuisse prioribus Ecclesiæ Sæculis contendit *Thomassinus* Capite 12.

(*) Quid *Lupercalia*? & a *Saturnalibus*, *Feralibusque* an differant? viden Honoratum a S. Maria Tom. II. *Animadverf. in Regul. & usum Crit.* Lib. 3. Dissert. 5. §§. 1. & 2. art. 1. qui & §. 3. proxime sequenti *Purificationis* Festum docet neutiquam fuisse Festo Gentilium, *Lustrationum* dicto, subrogatum.

(**) Dicta quoque est *Annunciatio Dominica*: item vel *Conceptio Christi*, vel *Conceptio B. Virginis* pro varia ejusmodi vocum acceptione, scilicet vel *active* vel *passive*, ut sensus sit, Festum celebrari, quo Christi Conceptio annunciata & perfecta est, aut quo Maria Virgo Verbum Divinum nunciante Angelo ac Spiritu Sancto operante concepit &c.

12. laudati Libri II. num. 3., probatque ex eo; quod si cui vacat Patrum Sermones sive Homilias, in Nativitatem Domini editas scrutari, deprehendet statim *Incarnationem* potius, quam *Ortum* ob oculos poni atque deprædicari. Sed esto, res sic habeat: an hæc sunt satis, ut diffidere liceat nemini? Certe *Baronius* paulo ante citatus: *Aliud*, inquit, *prorsus est Christi Domini facta*, seu Mysteria *laudibus prædicare; aliud eorum caussa Festos dies indicere & celebrare*. Utcumque tamen fuerit: S. *Augustinus* de Christi *Conceptione* vel *Annunciatione* Virginis hæc literis commendavit: *Sicut a Majoribus traditum, suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octavo Calendas Aprilis CONCEPTUS creditur, quo & passus*. Nemo tamen inde deduxerit, diem hunc *Augustini* ævo (ut ipsissimus *Thomassinus* adnotavit allati loci *de Festis* num. 1.) inter Christianæ Reipublicæ Festos ac Solennes dies fuisse enumeratum: saltem in ejus indubitatis Operibus id legere est nusquam, nusquam invenire. Nam tres illi Sermones de *Annunciatione Dominica*, Sancto olim *Augustino* adscripti, inter spurios dubiosve tanti Patris fœtus omnium judicio ablegantur: aut etiamsi non suspectæ fidei forent, nescio, an propositum ex iis queat quis extundere quoquo modo, nedum rite conficere.

In notis ad Martyrol. diei 2. Febr.

Lib. IV. de Trinit. Cap. 5.

Quod est ad istius Festi, sive *Annunciationis* Deiparæ antiquitatem; a recensendis in id rei Menæis ac Menologiis Græcorum, itidemque Latinorum Martyrologiis vetustissimis, de quibus copiose *Henschenius*, in præsentia supersedeo. Hoc unum dixisse contenti simus, nullum extare antiquius certiusque, quod hanc in rem exferas, monumentum Canone I. *Concilii Toletani* X. necnon Canone LII. Synodi Constantinopolitanæ, *Quini-Sextæ* in *Trullo* nuncupatæ. Non quidem, quod in allegatas Synodos prima hujusce Solennitatis origo refundenda sit, quæ nos fugit plane: sed quod utraque, qua scilicet *Toletana* ann. 656. qua etiam *Byzantina*; coacta anno 691. vel, ut alii volunt, 692. sub *Sergio I.* Romano Pontifice & *Justiniano II.* Imperatore, tam perspicue illius meminerint, ut tantam ei vetustatem eripere velle aut de illa subdubitare, hominis sit omnium longe stupidissimi. (*) Quin etiam eo loci

De Act. SS. Tom. III Martii ad diem 25. ejusdem. §. 2. fol. 535.

(*) Id ipsum & Auctor *Chronici Alexandrini* luculenter testatum reliquit: *Hac igitur die, 25. Martii, uti Romani numerant, Catholica & Apostolica Ecclesia Dei, accepto more a Patribus, celebrat S. M. V. Annunciationem*: ita Chronicum Alexandr. *Olympiad.* 194. conscriptum VII. Ecclesiæ Sæculo, magnæque apud omnes auctoritatis, teste *Gravesonio* Part. I. Tom. III. in *Hist. Eccles. VII. & VIII. Sæculi*, Colloq. 5. pag. mihi 76. *Chronicon* istud invenies in *Biblioth. Max. Patrum* Tom. XII. pag. 924. col. 2.

loci de id genus Solenniis ita differunt *laudatæ Synodi*, ut de jam receptis peractisque ante, non tum recens institutis: proin crediderim & antea celeberrima fuisse cum in Oriente, tum in Occidente, ac vel ab priscis usque temporibus pie sancteque observata. Confer, quæ *Thomassinus* habet loco non ita pridem citato Lib. II. Cap. 12., huc maxime consentanea, ac lectu sane dignissima.

Sequitur, ut & de S. Dei Genitricis *Nativitate*, ejusdemque Festo *Assumptionis* dicamus; dicturi postea & de *Conceptione* ejusdem, quæ disputationi huic & caussam præbuit & materiem suppeditavit. Porro *Lampridius* quid humani est passus, quum Cap. XII. pag. 89. Virginis *Nativitatem* cum Festis diebus *Purificationis* atque *Annunciationis* ita componit, ut asserat non illam minus, quam istas Objectum habere, cujusmodi nefas sit Catholico vel dissentire, vel assenssionem quoquo modo cohibere. Sic enim habet: *Festi dies, quibus aliquod Mysterium, aut factum, revelatum a Deo in Scripturis divinis, aut in Traditione Patrum, a nobis celebratur, objectum habent divina Fide credendum: exempli gratia dies Annunciationis, NATIVITATIS, Purificationis, Desponsationis &c. Beatissimæ Virginis*. Fortassis sub ly *&c.* indigitare & *Assumptionem* imprudens voluit. Quam id autem a vero abludat, norunt Eruditi omnes ac quotquot sunt in Theologica Palęstra vel mediocriter exercitati.

Dic enim, sodes, *Lampridi:* Ubinam in Libro aliquo Divino scriptum, aut veterum Patrum unanimi nec interrupta usquam Traditione exploratum, Matrem Domini prius *Sanctam* fuisse, quam natam? An fortasse, amabo te, ullum est Concilium, aut minimum Romanus Pontifex vel unus, a quo id fuerit ex duabus præfatis Fidei Regulis liquido definitum, atque oppositum anathemate confixum vel hęreseos insimulatum? Nihil horum. Heinc S.

Part. III. *Summ*, Quest. 27. art. 1°

Thomas, Theologorum facile Princeps (ut alios prætermeam, quos longum esset commemorare) inquirens, *utrum B. V. Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero?* ita respondet: *Dicendum, quod de Sanctificatione Beatæ Mariæ, quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de ejus Nativitate mentionem facit*. Quia tamen Privilegium istud quibusdam aliis legitur Sanctis concessum, sicut *Jeremiæ* Prophetæ & S. *Johanni Baptistæ*; propterea hæc ibi subducit Angelicus Doctor: *Rationabiliter creditur quod, B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur*. Ait *rationabiliter*, non id *Fide* credi: quod adprime velim tecum animo reputes; ut sane mirer, *Lampridium*, Virum alioqui adeo doctum, in re tam clara atque obvia cæspitare ac dormitare potuisse.

Jer Cap. I. 5. *Luc* C. I. 15.

Atta-

Attamen, quod magis mirari subit, *Lampridii* Interpres & asfecla *Valdesius* a pag. 52. Epistolæ V. cuniculis rem agit, adductisque in medium perpaucis aliquot, quæ invenire quivit, venerandæ antiquitatis monumentis, sibi visus est errorem, sin minus defendere, se tegere saltem posse atque subducere ex oculis imperitorum: quod plane abjecti est animi ac prorsum illiberalis. Hanc in rem *Anastasium* cum primis exerit, duoque pervetusta *Sacramentaria*, alterum S. *Gregorii M.*, alterum a *Card. Thomasio* publica luce donatum, de quibus mox sermo redibit. Dein, in aciem (si Superis placet) & *Augustinum* educit, cui & quatuor addit comites exploratæ item Sanctitatis ac doctrinæ, nempe *Hildephonsum* (vel potius *Paschasium Ratbertum*) *Johannem Damascenum*, *Petrum Damianum* & *Bernardum*. Sed quorsum hæc? Scilicet ut suos ipse Lectores ad credendum inducat, *vel antiquissimis Saculis* & cultam & *Sanctam* ab Ecclesia habitam fuisse Virginis *Nativitatem*: itemque ut persuadeat (dabo ejus verba) *Sanctitatem Nativitatis Marianæ gravissima niti antiquitate Traditionis*. Equidem hactenus inficias ire nolim. Quid postea, *Valdesi*? Ergo ne hæc tanti (si etiam minime vacillent) ut Deiparæ *Nativitatem* firmitate certitudinis cum *Annunciatione* ac *Purificatione* (*) ejusdem exęquatum iri contendas, salvaque Fide, qua Christiani sumus, aliter sentire nemini liberum esse ac fore? Apage gerras, quas vel prodidisse, superasse est; valeatque cum sua conclusione *Valdesius*, quam ex *Valentia* perperam intellecto transcribit, adnectitque ibidem ceu colophonis loco; ni velis ad Auctoris mentem de *certitudine* aliqua infra Fidem, deque *Errore* citra ejus dispendium, ut sane debes, id unice interpretari. (**) Sed hęc obiter: nunc a diverticulo in viam.

Nativitatis quidem Virginis Festum perantiquum esse, non ego obsisto, non inficior. At non ea illi, ni fallor, vetustas est, quam appingit *Valdesius*. Scribit enim cit. pag. 52. - *Circiter annum Æræ nostrę 690. Anastasio teste Sergius I. Summus Pontifex constituit*

(*) Utriusque expresse meminit S. *Lucas* Cap. I. 26. & seqq. ac Cap. II. 22. Ast si quæras, potissimum de *Purificatione*, cujusnam ea sit, Christi ne, an Deiparæ? an amborum, an denique simul & Josephi? non una est omnium sententia, ut videre est apud *Serry* Exercit. 36. *de Christo, ejusque V. Matre*, num. 2. Ecclesia tamen, quam nos oportet audire, *solius Virginis* celebrat Purgationem, ut ex Canonicis illius diei precationibus liquet. Idcirco qui nunc secus sentiret, insignis quidem temeritatis (etsi non hæreseos) damnari jure posset.

(**) Vid. *infra* Cap. XVII.

stituit, ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis &c. Litania exeat a S. Adriano. Tum ita subdit statim: *Non tunc, sed LONGE ANTEA institutum fuisse Festum illum* [Nativitatis] *diem, hinc discimus* (*). Ecquando? Si enim *longe antea*, si (ut paulo post) *vel antiquissimis Sæculis*: igitur sine dubio & temporibus *Augustini*, quem produnt mortuum ann. Christi 430. Verum, ea id ętate ignoratum fuisse, ipsissimus S. *Augustinus* dilucide non uno in loco testatur. Sermone quippe 287. (alias *de Diversis* XL.) *Natales dies carnis nulli*, inquit, *Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia*: *solos duos Natales celebrat, hujus* [idest, Joannis Baptistę] *& Christi*. Paria & alibi; ut proin nemo dubitaverit, quin id Festi genus, quo *Augustinus* floruit, ævo nequaquam innotuerit.

Serm. olim. XX. XXI. de Sanctis, nunc in Appendice Serm. 196. & 197.

Deinde, novit, quidni? & *Baronius* ex *Ordine Romano*, quem in *Scholiis* citat ad *Martyrol.* diei 8. Septemb., ejusmodi *Litanias* fieri solitas in Deiparæ Natalitio ex *institutione Sergii Papæ*: novit quoque ejusdem Festi memoriam esse in *Sacramentario* S. Gregorii, illo quidem vetustissimo, *quod*, inquit, *extat in Bibliotheca Vaticana*. Nec tamen is audet dicere, ut *Valdesius* præsumit, vel *longe antea*, minus vero *vel antiquissimis Sæculis* institutam fuisse præsentem Solennitatem; ex eo potissimum, quod *constet* (ait) *Gallicanam Ecclesiam etiam temporibus Caroli M. & Ludovici Pii eam ignorasse ex Concilio Moguntino sub eodem Imperatore celebrato ann. Domini* 813. *Can. 36. & ex Capitularibus ejusdem Imp.* &c. Et plane, *quei fieri potuit* (ut non inscite Thomassinus) *observata fuisse in Urbe* hæc Solennia *Sæculo VIII.* (nedum VII. & ultra) *& neglecta interea a Gallis, adeo addictis Romanis institutis?*

Laudati Opere Lib. II. Cap. 10. num. 4.

Conficit hinc *Thomassinus* loc. cit. *num.* 3. *&* 5., contenditque ejusmodi Festum IX. Ecclesiæ Sæculo nondum illuxisse; primumque omnium (e Latinis saltem), qui de illo, tamquam de re non perantianti-

(*) Castigatius tamen multoque verius alibi, hoc est Cap. V. col. 59. Dissert. suæ *de rebus Liturgicis*, quam Tom. I. *Liturgiæ Romanæ Veteris* præfixit ann. 1748. Venetæ Edit. expresso veroque sub Auctoris nomine in hæc verba: *Neque heic quæritur, an Gelasii tempore institutum fuerit hujusmodi* (id est Assumptionis) *Festum* (*quod profecto nemo ait*) *sed quidem an ante annum Christi Octingentesimum institutio ejus Festi facta fuerit, atque addita Sacramentario Gelasiano, uti de aliis Festis ei adjectis accidisse diximus, atque ipsi Gregoriano vicissim accidit; nam neque S. Gregorius in suum Sacramentarium intulisse videtur Festa NATIVITATIS & ASSUMPTIONIS Deiparæ*, nimirum Sæculo Ecclesiæ VI. senescente, aut exeunte VII. Ita ille.

antiqua, sed recens instituta, sermonem fecerit, *Fulbertum* fuisse, Carnotensem Antistitem, sub annum Christi Millesimum: hacque ferme ætate, vel non ita multo ante, consignanda esse certa primordia hujusce Marianæ Solemnitatis, quam primo quidem putat in Gallia exortam, postea ad Italos transiisse, unde postremo & ad ceteras Nationes quaquaversum demigrasse. At vero, solenniter celebratum fuisse Seculo IX. Festum *Nativitatis* Deiparæ patet manifeste ex S. *Paschasio Ratberto*, Opusculi auctore *de Partu Virginis*, qui floruit ab anno 844. ad annum 860.; ut *Mabillonius* probat in historico illius Elogio *Part.* 2. *Saculi IV. Benedictini* fol. mihi 132. num. 21. Alia complura antiquitatis monumenta profert in eandem rem doctissimus *Edmundus Martene* Tom. III. *de antiquis Ecclesiæ Ritib.* edit. jam laudatæ col. 591. seu in Tract. *de antiqua Ecclesiæ Disciplina* Lib. 4. Cap. 34., quibus palam fit *Thomassinum* hac in re extra lineam cucurrisse. Non tamen *Valdesio* concesserim, Statutum *Sergii Papæ* huc exserenti, simul & Sacramentaria *Gregorii* atque *Gelasii* frustra obtrudenti, id genus Solemnitatem VIII. Christiani nominis Sæculo antiquiorem esse, seu ante annum Christi Octingentesimum institutam fuisse. Nam quod de *Ordine Romano* recte *Thomassinus*, id ipsum totidem verbis & de *Sacramentorum Libris*, atque ejus generis aliis dicendum est, nempe: *Id genus Operibus accedunt annis consequentibus plurima a variis Auctoribus adjecta*. Plane *Honoratus a S. Maria* de Sacramentario illo vetustissimo, per Card. *Thomasium* publici juris facto, sic statuit: *Crediderim certe*, inquit, hujusmodi Sacramentarium *Gelasianum esse, ab hoc Pontifice nuncupatum, etsi demortuo ipso aliquas additiones subierit*. Ita quidem intemperantium non amator, sed osor Criticorum. Idem & de *Martyrologiis* sentiendum, quorum nulla, ut consentiunt Eruditi plerique omnes, ad nos nisi corrupta pervenerunt. Enimvero, vel in *Bedæ* Martyrologio, qui diem supremum obiit anno 735., a Viris Clariss. *Henschenio* & *Papebrochio* typis vulgato Tom. II. *Martii* in *Actis Sanctor.* fol. 39. Editionis Venetæ, hoc est in MSS. *Atrebatensi*, *Tornacensi*, & *Latiensi*, recensetur (ut de aliis taceam bene multis) 8. Decemb. festum quoque *Conceptionis S. Mariæ Matris Domini*. (*) Quis autem non illico cla-

Extr. Tom. *dim* XII nunc I. *Spicilegii Dacheriani* novæ edit. Parisiensis 1723 pag. ... & *seqq.*

Tom. I. *de Rit. & usu* ... Diss. ... *in Notis ad eum* cum pag. 515.

(*) Idem quoque videre est in Auctariis Martyrologii *Usuardi*, per V. Cl. *Joannem Baptistam Sollerium* editi Tom. VII. *Junii* in memoratis *Actis Sanctorum* fol. 729. & seq., ubi constat complures *præfati Martyrologii* Codices tum MSS., tum impressos, scilicet *Munerati*, *Greveni*, *Ultraject.* &c. exhibere perspicuis verbis *Conceptionem Sacratissimæ Dei Genitricis Mariæ*.

clamat, posterius multo id assutum fuisse, ac laciniam Venerabili Auctori adjectam? Sic etiam Dn. *Tillemontius* adnot. V. *in D. Paullum*, alibique, nec infrequenter, de aliis Martyrologiis *Usuardi* & *Adonis* ait, eorum auctoritatem dicta de caussa identidem *minoris momenti esse*. Attamen, ne a scopo abscedam longius, ætate S. *Bernardi*, qui naturæ debitum exolvit ann. 1153. receptam fuisse ac solenni ritu celebratam gloriosæ Dei Genitricis *Nativitatem*, nedum in Gallia, sed Romæ etiam atque ubique locorum & gentium, negari plane non potest. Legito celebrem illius Epistolam 174. ad *Canonicos Lugdunenses*, mihi multoties laudandam.

Nunc, sed brevissime, & de Virginea *Assumptione* dicendum. Assumtionis autem nomine, ad Ecclesiæ mentem, intelligimus Deiparam universæ quidem carnis viam ingressam, hoc est mortem oppetiisse, ac non ita multo post redivivo corpore ad Cœlos evolasse. Qua de re plura, nec invita minerva, *Jacobus Hyacinthus Serry* Exercitat. LXV. & sequenti. Quo autem id obtigerit anno, quove die; ut & de aliis, quæ ad rei gestæ historiam spectant: nihil certi ausim adfirmare. Conferatur *Baronius* in Annalib. ad ann. 48. n. 4. ac *sequentibus*, necnon in *Notis*, a se adornatis in *Martyrolog. Romanum*, ad diem XV. Augusti. Sed jam de Festo dicamus.

Illud pro comperto est, nec volam nec vestigium ullum ejus Festi apud SS. *Hieronymum* & *Augustinum* inveniri, magna illa Ecclesiæ Columina; nempe quod promas ex genuinis eorum Operibus. Quod enim adtinet ad Sermones illos de *Assumptione B. Virginis*, qui laudatorum olim Patrum nomina præ se ferebant, nemo hodienum tam est imperitus, ut non in suppostitiorum numero reponat sine hæsitatione. Quia tamen *Moguntina I. Synodus* cit. Can. 36. inter alias, quas recenset, Festivitates & *Assumptionem Sanctæ Mariæ* [ita manifeste vocat] celebrari mandavit; idcirco asserere non dubitamus, *Assumptæ Virginis* Solennia præ *Nativitate* ejusdem, cujus altum ibidem silentium, obtinuisse multo ante: adeoque vetustiora illa, quæ huc proferuntur, monumenta non æque in dubium aut in *additamenti* suspicionem posse revocari, uti cum *Thomassino* revocavimus, ubi de *Nativitate* dissserebamus. Antiquitus ergo celebrari *Assumptionem* consuevisse, in Oriente quidem ante exitum Sæculi VI. edicto *Mauritii* Imperatoris, in Occidente vero, ac Romæ præsertim, ante exitum Septimi, id est anno circiter 688., utrobique sub nomine *Dormitionis*, referunt *Nicephorus* & *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Sergii* Papæ I. Quod tamen non prohibet, quominus & antea aliqua Solemni-

Lib. 17. Hist. Eccl. Cap. 28.

nitas ageretur, maxime Romæ; & quidem expresso nomine *Assumptionis*, ut legere est apud S. *Gregorium* M. in *Sacramentario* ad 15. Augusti: ita ut, quod est ad antiquitatem hujusce Celebritatis, Occidens nihil plane Orienti concedat. Atque hinc non mirum, quod de eadem non solum *Usuardus* & *Ado*, sed & *Beda* explicate meminerint, in suis quisque Martyrologiis. Id autem Festi genus *Leo. IV. PP.* per dies octo deinceps colendum decrevit, teste *Anastasio* in Vita ejusdem, ac *Sigeberto* in Chronico ad an. 847. jejuniumque in Pervigilio adjectum ante *Nicolai* I. tempora, nempe ante annum 858., ex ejus ad *Bulgaros* Epistola Cap. IV. colligitur perquam dilucide. (*) Vide *Edmundum Martene* loco antea laudato Cap. 33. n. 28. col. 588. & 589. nec non Cap. 31. num. 6. col. 562. & seq.

Anteaquam vero hinc abeam, unum mihi liceat addere, quod omissum dolerem. Natalis Alexander *Assumtionis* nomen ætate S. Gregorii M., hoc est Seculo VI. ad finem vergente non idem designasse contendit, quod subsequutis deinceps nostrisque temporibus; nempe solius tunc *Animæ*, non etiam *Corporis* super Cœlos exaltationem. Quam in rem *Eusebii Cesariensis* & *Gregorii Turonensis* paucula verba in medio ponit, quo tantorum Virorum auctoritate sibi, suæque sententiæ quid fidei conciliaret. Is etenim, seu *Gregorius* Lib. de Gloria Confessor. Cap. 99. diem transitus S. *Aviti* vocat *anniversarium Assumptionis* ejusdem: *Eusebius* vero Lib. 4. de *Vit. Constantini* Cap. 64. hæc habet: *Imperator ad Deum suum assumtus est* (**), quem tamen (ait *Natalis*, & recte quidem) in *Corpore* assumtum nemo dixerit.

Hist. Eccles. Secul. II. Cap. 4. art. 3. § Unic. circ. med.

Verum, pace tanti Viri, non inde sequitur quod ipse putat: saltem bonis nondum id est tabulis commonstratum. Recensita quippe loca unum quidem probant, scilicet Sanctorum *transitum* multis appellari modis, *Assumtionemque* non continuo ac semper *Corporalem* in Cœlum migrationem importare; quod equidem non inficior, non impedio, non repugno. At numquid etiam probant, quod probare *Natalis Alexander* in animum induxerat? Pro-

(*) Habes hanc *Nicolai* Epistolam apud *Philippum Labbæum* in magna *Conciliorum* Collectione Tom. IX. colum. 1534. Venetæ Editionis de anno 1729.

(**) Istorum loco verborum in *Henrici Valesii* editione Parisiensi an. 1678. sic legitur pag. 461. - *Migravit ad Dominum*. Græco tamen Textui magis videtur conforme, si cum *Natali Alex.* latine ita reddas: *ad Deum suum assumptus est*.

fecto, Sanctorum obitum, seu diem illum, quo de ergastulo carnis exiere, dici etiam ipsorum diem *Natalem*, in confesso est apud omnes. Liquet id vero ejusdemmet *Eusebii Cesariensis* verbis disertissimis, ex *Smyrnaeorum* ad Ecclesiam *Ponti* literis isthaec de Martyrio *S. Polycarpi* posteritati commendantis: *Ossa illius* [id est Polycarpi) *gemmis pretiosissimis & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus NATALEM ejus Martyris diem cum hilaritate & gaudio celebrare.* Luculentius autem S. *Augustinus* de gloriosissimo Martyre *Cypriano* loquens: *Quando natus sit ignoramus; & quia hodie passus est, NATALEM ejus hodie celebramus.* Et antea dixerat: *quod nomen sic frequentat Ecclesia, id est NATALES, ut NATALES vocet pretiosas Martyrum mortes.* Consonat & *Rabanus Maurus* Lib. 2. *de Clericor. Instit.* Cap. 43. Quid hinc inferatur, adtende.

Lib. 4. Hist. Eccl. Cap. 15.

Serm. 310. olim 113. de diversis.

Natalem quidem Dei Matris diem ab Ecclesia universa quotannis peragi solenni ritu summaque veneratione, nemo est unus, qui ignorat. Quaeque etiam in eo recolendo mens sit Ecclesiae, res est cunctis longe manifestissima. Nempe Ecclesia, quum id sacris anniversariis colit, Mariae defert cultum, uti Sanctitate praeditae, antequam materno ex utero hanc in lucem effunderetur: Age vero, pergamus. Quid si, quem Deiparae celebramus diem *Natalem*, aliud omnino olim ac nunc sonasse (dies enim *Natales* Sanctorum hodieque, ut praedictum est, vocamus illos, quibus de hoc saeculo ad Coelos evolarunt); atque adeo ab ejus *Obitu* vel *Assumptione* neutiquam discrepare, hinc ego nectam: an dabit *Alexander*? an nectenti subscribet? Non puto. Attamen quod est ad artem ratiocinandi, immo ad ipsammet ratiocinationem, non video, quei haec ab ea differat, qua ille ipse in Virgineam *Assumptionem* usus est: ideoque qua id ratione negari queat, quin secum ipse pugnet, plane non video.

Quapropter, in ea nos sumus sententia, ut credamus Ecclesiam *Assumptionis* nomine (ex quo coepta est coli) semper intellexisse non glorificationem modo Sanctissimae *Animae* Genitricis Dei [quis enim, per Deum immortalem, hac de re potuit ambigere?] sed simul etiam *Corporis*, ejusdemque una cum Anima ad Superos evectionem: nihilque heic ab Ecclesia immutatum unquam, quod quidem possis demonstrare. Quod vero additur a *Natali Alex.* eo loci, Auctorem Sermonis de *Assumptione B. M.* Sancto olim *Hieronymo* temere ac falso adjudicati, satis persuasum habuisse nomen *Assumptionis* Corpoream ad Coelum migrationem

non

non significare: finat, quæso, reponamus, aut nullis aut quam paucissimis, qui Sermonem illum non vitiatis oculis lectitarint, videri, quod ille videt. Ambigit quidem, si velis, ejus Auctor Sermonis, atque anceps hæret; fuerit ne Beata Virgo *Corpore* item in Cœlum sublata, an non? Quumque nulla sibi suppeterent probatæ fidei documenta, noluit vir prudentissimus in re adeo obscura atque implexa certi quicquam definire, satius ducens rem totam Deo (*cui*, inquit, *nihil impossibile est*) committere, quam aliquid perperam statuere auctoritate sua, quod probare ipse non posset (*). An est id, amabo te, persuasum satis ei fuisse, *Assumptionis* nomen Corpoream ad Cœlum translationem non designare? Immo ibidem & multis probat argumentis propositam veritatem; a qua, ut ut dubitarit, alienus tamen fuisse neutiquam dignoscitur.

CAPUT IV.

De Conceptione B. M. V. seorsim atque ex instituto. A quibusnam & quando primum culta, quibusque reclamantibus? Sixtus IV. edita Bulla primus omnium id approbavit. Valdesii commentum exsibilatur atque exploditur.

VEnio nunc ad *Virgineæ Conceptionis* Solennia, de quibus mihi pleniore est calamo disserendum, quippe quod ad id genus scopum collineant omnia sive dicta hactenus, sive dicenda posthac. Vix autem in Ecclesiæ Annalibus aut acriorem aut diuturniorem invenies controversiam ea, quæ de *Conceptione* Virginis excitata est: atque lis hæc usque adeo exarsit recruduitque, ut identidem & turbæ ingentes & infanda scandala inde promanaverint. De quibus plura qui scire cupit, adeat, quum per otium li-

(*) Hugo a S. Victore Lib. 3. *Eruditionis Theologicæ*, ex Miscellaneis secundi codicis Cap. 125. *Septimum* (inquit) *Virginis Privilegium est, quod cum Corpore suo, quantum credimus, in Cœlo vivit. Licet enim B. Hieronymus* (in Sermone Apocrypho *de Assumpt.*) *Opiniones ponas, non tamen FACTUM abnuit*,

licet, *Thomam Strozzium* suis de *Controversia Concept.* Libris, ubi ipse rei universæ historiam texit atque ab ovo ducit; tamque late prosequitur, quæ huc spectant, omnia (utinam & subactiore judicio in referendis Veterum testimoniis & lingua etiam non vernacula, quo Romanam Censuram declinasset!) ut ibi plane suam quisque sitim explere valeat perquam abunde. Non quod prioribus Ecclesiæ Sæculis res isthæc in disputationem dubitationemve vocata fuerit (quid enim de ea senserint Patres Primitivæ Ecclesiæ, necdum satis forsan, pleneque constat) sed ab illo dumtaxat tempore, quo S. *Bernardus* claruit, quove *Lugduni* ipsomet subindignante eam, seu Mariæ *Conceptionem*, celebrari cœptum est; ut mox dicam pluribus. Deinde, nihil unquam tale (quod est ad rem hanc) in *Oriente* auditum, quod quidem in *Occidente* enatum legimusac dolemus; hoc est dictu, nihil turbarum, nihil contentionis, fraudum nihil, nihil, quasi dixerim, præstigiorum: quin contra, in toto, qua late patet, *Oriente* sacrum hunc statumque *Conceptionis* diem omnes summo concordique Pietatis studio amplexati sunt nemine dissentiente aut reclamante, quod ego quidem noverim aut usquam legerim.

Utcumque vero hæc cesserit alea *Occidentalibus*; utrosque, tam Latinos quam Græcos, bene multis jam abhinc retro Sæculis ejusmodi Solennitatem devota mente peragere manifestissimum est, illos quidem VI., hos autem V. Idus Decembres: adeoque eundem quidem ubivis terrarum Dei Genitricis *Conceptui* honorem præstari & Cultum, tametsi non una eademque die apud omnes. In confesso est itaque ejus memoriam apud Orientales celebrari, festumque hunc *Conceptionis* diem agi nona Decembris ab anno 1166. sub *Emanuele Comneno* Imperatore, promulgata in id rei Constitutione, a *Photio*, vel potius *Theodoro Balsamone*, relata in Photii *Nomocanone* Tit. VII. Cap. 1., qua, si *Thomassino* credimus, nullum extat antiquius ejusce rei in Ecclesia Græca monumentum (*). Diem autem istum, *Conceptioni* Deiparæ dicatum, Imperator retulit in censum *Festorum dierum*, eorum scilicet, quibus sine piaculo ab

Lib. II. de Festis C.5.n.1.

(*) En verba laudatæ *Constitutionis*, a *Balsamone* traditæ Commentario in *Nomocanonem Photii Patriarchæ CP.* Tit. 7. Cap. I. pag. 84. & 85. *edit. Græco-Latinæ* Paris. ann. 1615. – *Natalis itaque dies purissimæ Dominæ ac Deigenitricis, qui est Octava Septembris, feriatus est*. Sic prius de *Nativitate*; postea de *Conceptione* subditur *Item nonus Decembris*, nempe eodem modo feriatus esto: *quippe quia tunc Genitricis Dei nostri CONCEPTIO celebratur*.

ab operibus forensibusque Judiciis non cessare licebat plane nemini. Unde probabiliter datur intelligi, id multo ante Ecclesiastico Officio celebratum fuisse: quodque est ad *Festum*, sic velim accipias, ut antea ab Ecclesia institutum, *Comnenus* in Oriente, Sanctione edita, confirmarit atque observari mandaverit.

Quandonam autem apud *Græcos* coli primum cœperit Mariana *Conceptio* proprio Officio Ecclesiastico, definiri certo non potest. Ejusmodi tamen Cultum multo altius adsurgere, hoc est ad usque VI. aut VII. saltem Ecclesiæ Sæculum, quo S. *Andreas* Cretensis Episcopus floruit, pro comperto habet *Franciscus Combefisius* Ord. Prædicator., vir sane doctissimus. Nam laudatus S. *Andreas Cretensis*, qui Canones & Triodia composuit pro Ecclesiasticis Officiis *Græcorum*, Canone primo, novem odis compacto, sic habet: *Die nona Decembris. Conceptio Sanctæ ac Dei Aviæ, Annæ.* Scilicet, *activa* S. Annæ Conceptio, qua B. Virgo Maria concepta est; ut initio liquet disertis hisce: *Tuam hodie, Religiosa Anna, celebramus Conceptionem, quod absoluta sterilitatis vinculis, eam utero conceperis, quæ Eum potuit capere, qui nusquam capi possit*. Totus itaque Canon est de Conceptione *activa* S. Annæ, seu de ipsa *passiva* Conceptione B. Virginis; exstatque a pag. 252. in *Operibus ejusdem S. Andreæ Cretensis* Græce ac Latine editis a præfato *Combefisio* Parisiis anno 1644. ejusque Festum Græci, *Cretensem* sequuti, sub nomine *Conceptionis B. Annæ* celebrant, atque in nonam Decembris diem ipsi rejiciunt. *Combefisius* ergo in Notis ad eum Canonem *S. Andreæ* fatetur ingenue (quidni fateatur?) jam Cretensis ætate, hoc est Sæculo VI. vel minimum VII., *Conceptionis* Deiparæ Festum in Ecclesia *Græca* Ecclesiastico Officio celebratum fuisse: hocque primum est monumentum, unde ejus Festi Epocham apud *Græcos* certo nobis licet statuere atque consignare. Aliud huic simile prostat probatæ antiquitatis documentum apud *Leonem Allatium* in Prolegomenis de S. *Joanne Damasceno* ejusque Operibus Tom. I. novissimæ Venetæ editionis de anno 1748. fol. lxji. num. 68. ex Oratione, in Deiparæ *Conceptionem* a Joanne Euboensi circa annum Christi 744. conscripta atque ab eodem *Allatio* Græce Latineque evulgata, quæ, ne longior sim, citato in loco videri potest.

Quoad *Occidentales* autem, seu *Latinos*, qui id celebrant die octava ejusdem Decembris, opinatur *Baronius* cœpisse primum in *Anglia* sub finem Sæculi XI. curante potissimum aut favente S. *Anselmo*, qui anno Christi 1093. Archiepiscopus est Cantuariensis renunciatus, decessitque anno nono & centesimo supra Millesimum.

In Scholiis ad Martyrol. Rom. 8. Decemb.

mum. Baronio adstipulatur & *Thomassinus* loc. cit. num. II. Haud tamen scio, an id satis probari possit. Etenim Tractatus de *Conceptione B. Virginis*, ut observat *Natalis Alexander*, non nisi perperam (*) a nonnullis *Anselmo* tribuitur; scriptusque creditur post celebrem *Bernardi* Epistolam 174. ad *Canonicos Lugdunenses*, de qua mox pluribus. Atque hinc *Londinensi Synodo* Cap. 2. anni 1328. facile condonandum, quod falsis, quæ tum circumferebantur, Scriptis innixa, Festi hujusce institutionem *Anselmo* adserendam existimarit: ni potius illorum teneas sententiam, qui hoc (si ita voles) lapsu Synodum ut solvant, de *sola* arbitrantur id *Anglia* intelligendum. Sub medium tamen Sæculi XII. [**] istiusmodi Celebritatem apud *Anglos*, in quibusdam saltem Ecclesiis, jam invaluisse constat manifeste ex Epistolis *Nicolai*, Monachi Anglicani, qui statim a *Bernardi* obitu prælaudatam ejus ad *Canonicos Lugdunenses* Epistolam confutare adgressus est, & illud adjungens ex visione, nescio qua, *maculam Beato Viro ex hac fuisse opinione inustam*. Habes ejusmodi *Nicolai* Epistolas inter illas *Petri Cellensis* in novissima *Bibliot. Patrum* Tom. XXIII. Libris *Epistolar.* VI. & IX., ibidem videndas.

Hist. Eccl. Sæcul. 11. & 12. Cap. 4. art. 2.

Illud autem Domno *Johanni Mabillonio* certum ut quod maxime, primos omnium, qui Mariæ coluerint *Conceptionem*, Hispanos fuisse: quod probat Vir Clarissimus ex Auctore gestorum S. *Hildephonsi*, Toletani Antistitis, *Juliano* nuncupato. Sunt porro hæc, prout ad rem, *Juliani* verba: *Festum Conceptionis Sanctæ Mariæ, quo scilicet ipsa concepta est, celebrari* [Hildephonsus] *constituit*: & *ejus Constitutione per totam Hispaniam solenniter colitur VI. Idus Decemb.* Quamvis autem *Mabillonius*, silentio(***)permotus *Zixilanis*, Toleta-

In Notis ad S. *Bernardi* Epist. 174. inter-tis Tomo IV Operum ejusdem. Edit novæ Venetæ num. 135.

(*) Hunc tamen fœtum, uti genuinum, nuper S. *Anselmo* vindicare conatus est non pœnitendis rationibus P. *Benedictus Plazza* Societ. Jesu in Lib. *Panormi* edito an. 1747., qui hoc prænotatur titulo - *Causa Immaculatæ Conceptionis SS. Matris Dei Mariæ*, pag. 249. & seqq.

(**) Immo etiam ante, ac vel ipso S. *Anselmo* in vivis adhuc agente; uti constat ex Vita *Gaufridi*, Abbatis Monasterii S. *Albani* in Anglia, a *Matthæo Paris*, ejusdem Monasterii Monacho, annum circiter 1243. conscripta, *pag.* 40. edit. Paris. anni 1644. in *Vitis Abbatum* suæ *Histor. Anglicanæ Majori* adnexis, ubi de *Gaufrido*, qui in Abbatem electus fuit an. 1119., ita refert: *Statuit quoque Festivitatem Assensionis Domini*, & *B. Matthei* &c. & *CONCEPTIONEM B. Virginis in Cappis festive celebrari*. Quibus verbis Festum *Conceptionis* Virgineæ non tunc primum, sed & multo antea institutum in *Anglia* fuisse denotatur.

(***) Ut tamen aliquo in pretio sit argumentum a *silentio* derivatum; leges confer, quas in id rei & sibi & aliis dixit

letani item Episcopi, de Vita *Hildephonsi* prędecessoris sui, non facile videatur tantam huic festo antiquitatem concedere, ut ejus institutio in *Hildephonsum*, VII. Sæculi Præsulem, refundi debeat aut possit: *tamen*, inquit, *quin Sæculo X., quo libellus prædictus sub nomine Juliani de gestis Hildephonsi ex Hispania in Urbem Anicium est allatus, apud Hispanias celebrata sit, in dubium vix revocari potest.* [*]

F Et

dixit ipsissimus *Mabillonius* Part. 2. *de Stud. Monast.* Cap. 13. Tom. 2. pag. 196. & seq. *Latinæ Venet. Edit.* de an. 1729. Certe, ut alia complura ejus generis exempla omittam, solus S. *Joannes Evangelista* XIX. 25. signate memorat Deiparam *stetisse juxta Crucem Jesu:* id quod Evangelistæ reliqui silentio obvolvunt. Econtra, nullam *Joannes* mentionem fecit *Simonis Cyrenæi*, cujus ceteri meminerunt expresse, *Matthæus* quidem XXVII. 32., *Marcus* XV. 21., *Lucas* autem XXIII. 26. Quod igitur his accidit citra ullum Veritatis dispendium; quidni & aliis evenire potest Viris Sanctis, Scriptoribusque Ecclesiasticis? Apposite hinc S. *Hieronymus* in Cap. II. *ad Galat.* vers. 11. 12. & seq. col. 409. Tom. 7. *Edit. Veron.* ann. 1737. de *Luca Evangelista* silentio, nullam de *Pauli* in *Petrum* reprehensione mentionem facientis, tametsi Paulinarum rerum scriptor is fuerit quam diligentissimus. Objectanti enim respondet: *Nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, quum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse replicat, historiographi licentia prætermiserit: & non statim est contrarium, si quod alius ob caussam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit.* Deinde, an rarum, an inauditum vel apud profanos Auctores, suppleri identidem ab uno, quod ab altero prætermissum est? At dices, non id quidem a vero abludere, quum duo Auctores coævi, aut quasi coævi, de eadem re scribunt atque renuntiant: *Julianus* autem iste, qui vere sit, quove floruerit ævo, non adhuc certo constat. Sed respondisse in promptu est, duas extare vias, quibus præteritorum memoria etiam a non æquali posteris transmittitur, *Scripto* scilicet & *Traditione*. Si priore modo, seu via *Scripti* rescire nequivit *Julianus*, quod de S. *Hildephonso* memoriæ prodidit; annon compertum habere potuit via altera, seu *Traditionis*? Ita reponebat doctissimus *Augustinus Calmet* alia quidem in re, sed ratione non absimili, nimirum *Proœmio* suo in Librum *Sapientiæ* sub medium.

(*) Id genus libellum, hoc est memoratam S. *Hildephonsi* Vitam sub *Juliani* nomine, publici juris fecit ex Codice MS. Corbejensi ipsemet *Mabillonius* in *Actis Sanctor.* Ordinis S. Benedicti *Sacul.* 2. *ad diem* 23. *Januarii* pag. mihi 499. edit. Venet. an. 1733. ubi & docet, eam ab *Aniciensi* Episcopo (cui nomen *Gotescalcus*) ad suos reduce ex Hispanico itinere, Religionis caussa suseepto, in *Aquitaniæ* Provinciam translatam fuisse. Quo autem anno id contigerit? vide tum apud eundem Mabillonium *Part. I. Sacul.* 5. in Observationibus ad Vitam S. *Theofredi Abb.* num. 4. pag. 450. & in *Præfat. Partis* 2. *ejusdem Sæculi* §. 1. n. 16. tum etiam apud *Dionysium Sammarthanum* Tom. I. *Galliç Christianæ*, ubi de instrumentis ad *Aniciensem Ecclesiam* Spectantibus col. 222. id est contigit anno Christi 951. diebus cœptis Ianuarii Mensis. Obiit vero *Gotescalcus*, ex Monacho S. Theofredi *Aquitaniæ* Antistes, die 1. Decembris ann. 962.

Et sane, quis, rogo, credat unquam ejus libelli Auctorem (etiamsi X. Sæculo haud is esset multo antiquior) perfricte adeo nulliusque frontis fuisse, ut quum festi hujusce Parentem aut conditorem apud Hispanam Gentem *Hildephonsum* scribit, tametsi forsan imprudens & fallax hac parte; non ipsum tamen puduerit hæc mandare literis, si quidem altas jam tunc radices non egisset per omnem *Hispaniam* ejusmodi Solennitas, aut magnam saltem illius partem? An tacuisset ille ipse *Aquitaniæ* Episcopus, nomine *Godescalcus*, qui sub mediū Sæculi X. prefatum libellum, ex *Hispania* secum delatum, in *Galliam* importavit? An tacuissent ceteri Scriptores Synchroni aut coævi, quin ex illis ullus tam insignis mendacii, putidæque impostura *Julianum* hunc postulasset? Deinde, non video, quæ illi ratio subesse poterat cudendæ ejuscemodi fabulæ, quidve ipsum pellexerit, ut talia nobis somnia propinaret: maxime quum disputationis æstus hac de re necdum per eam ætatem obortus sit ullus, nullusque eruperit seu amor seu odium, neque ullum partium studium se heic dederit conspiciendum ante *Bernardi* tempora, hoc est ante Sæculum Ecclesiæ XII. jam adultum. Alibi autem, hoc est infra Cap. 16., cum V. Cl. *Edmundo Martene* videbimus primam ejusmodi Festi institutionem S. *Hildephonso*, Toletano Episcopo, esse referendam: adeoque apud Hispanos jam VII. Ecclesiæ Sæculo eam incœpisse: ut hinc colligas, quod est ad antiquitatem id genus Festi, Latinos Græcis concedere plane nihil.

Redeo ad Anglicanam Ecclesiam, de qua supra dicebam, *Conceptionis* Solennia, alicubi saltem, in *Anglia* obtinuisse ante annum 1153., quo ex hac vita migravit S. *Bernardus*: id quod ex memoratis literis *Nicolai S. Albani*, Monachi Anglicani, manifestissimum est. Porro, non crediderim, ea tum fuisse ullo Ecclesiæ illius Edicto præcepta, quo ejus Regionis homines obstringerentur, nec abstinere foret liberum. Quippe *Oxoniensis* Synodus ann. 1222. Festos dies enumerans (id est illos, quibus feriari quemque necessum est) atque in tria genera dispescens, quaslibet Deiparæ Festivitates servari jubet *præter Festum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur necessitas*: uti disertissime *Canon octavus* habet. Ex quibus verbis obiter nulloque, ut arbitror, negotio colliges, celebratam longe antea fuisse *Conceptionem* Virginis in *Anglia*, non modo per Ecclesiæ Ministros Canonicis Precationibus, verum etiam passim a Populis, tamquam diem reapse *Festum*, solo quidem amore in Virginem, sponteque sua, non ulla ad id lege adactis. At vero, hanc Synodum altera sequuta est, *Oxonii* similiter in Anglia congrega-

ta

ta de Anno 1287.; quamque illa noluit, feriandi necessitatem isthæc imposuit. Id ipsum patet & multo luculentius, tum ex prælaudata Synodo *Londinensi* de an. 1328., tum ex Catalogo Festorum *Thomæ* (non Richardi) *Arundellii*, Archiepiscopi Cantuariensis circa annum 1400. ubi hæc eadem Celebritas *Conceptionis* Genitricis Dei *solenniter* & *festive* peragenda præcipitur, ac Mense Decembri consignatur. Hujusmodi vero Catalogum, uti & Acta citatæ Synodi, *Henricus Spelmannus* evulgavit Tomo II. *Conciliorum Angliæ* pag. 474. & pag. 659.

Ad *Galliam* ut pergam, ubi conquestiones hanc ob rem ocœperunt & turbæ: illud omni dubitatione caret, tempore S. *Bernardi* diem Conceptus Mariani in Ecclesia *Lugdunensi* coli cœptum, necdum tamen in Canonem Festorum relatum fuisse sub idem tempus, id est sub annum 1140. quum suam Abbas Claræ - Vallensis Epistolam 174. dedit ad *Canonicos Lugdunenses*, paulo ante memoratam. Non est hujus instituti operosius scrutari aut uberius persequi, quæ qualisve fuerit mens, quive *Bernardi* scopus in hac Epistola. Qua super re a priscis Doctoribus *Alexandro Alensi*, *Alberto M.* necnon SS. *Bonaventura* & *Thoma*, longe recedunt plerique *Recentiorum*: caussamque aperit Mabillonius in *Notis fusioribus* ad præfatam Epistolam *num.* 141. *& seq.* nempe ex diversa *Conceptionis* acceptione defluentem. Utri parti adhærescendum, nolo heic edicere: daboque cuivis adnitenti, citra tamen dispendium veritatis, *Bernardum* non tam in Lugdunensis Ecclesiæ *Canonicos* acriter invectum, quod obtentu cujusdam *supernę revelationis* novam hanc Conceptionis inducerent Celebritatem, idque inconsulta *Sede Apostolica*, cui ipse plurimum deferebat; quam etiam ipsam improbasse *Conceptionis* Sanctitatem (aut potius de illa dubitasse) sumtæ quidem pro *primo instanti* infusionis Animæ, seu pro Conceptione, ut loquuntur, *passiva* tantum, non vero *activa*; ideoque *Immunitatem* impugnasse ab originali peccato, quam is in Virgine fortassis non agnoscebat. Immo, si videtur, addiderim, eatenus *Bernardum* dicta de caussa *Canonicos illos* objurgasse perstrinxisseque, quod putaret ex omnibus Adæ Filiis unum ac solum Christum, non item & ejus Matrem Sanctissimam, *labis originariæ* expertem esse. Idcirco, hanc si teneamus viam, in quam dubio procul lubens descendet *Lampridius*, unum heinc velim inferas per transcennam; videlicet *Bernardi* ætate, seu primum atque Ecclesia Lugdunensis memoriam *Conceptionis* instituit recolere, aliud ejus Cultus Objectum haud extitisse, præterquam *Immunitatem* vel *Præservationem* Deiparæ ab Adami noxa: qua de re alibi sermo redibit. Nunc quod instat, agamus.

F 2 An-

Ante illud tempus, quo hanc Doctor Mellifluus Epistolam conscripsit, *Conceptionis* dies *apud aliquos*, ejusdemmet, ut opinor, Galliæ, jam induci cœperat, quod Vir Sanctus dissimulandum duxit, *parcens* (inquit) *devotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat*. Sed hoc ferre non potuit *in famosa nobilique Ecclesia*, cujusmodi est Lugdunensis. Etenim ait: *Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum*. Ceterum, ut ut in *Lugdunenses* eam ob caussam grandi voce clamitet, *levitatis* etiam, *temeritatis* ac *superstitionis* eosdem *Bernardus* redarguat, non eo tamen usque opinione obfirmatus erat, ut inde avelli se minime pateretur. Quin vero, qua erat, ut pietate, sic sapientia tanta, ad earum calcem literarum subnectit in hunc modum concludens Vir sane modestissimus: *Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis; Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare*. Cujus quidem Viri summi ac piissimi exemplum utinam & *Ingeniorum Moderator* cum suis sibi præsidiariis sequi proposuisset! Sed illuc revertamur.

Igitur ex hac *Bernardi* Epistola probe constat, jam ante annum 1140. Gallorum Ecclesias saltem *aliquas*, tametsi subobscuri nominis, colendæ *Conceptionis* propositum fuisse complexas, cui dein non ita multo post suum adjecit calculum, inque illud velis remisque abiit & *Ecclesia Lugdunensis*, omnium utique præstantissima, nullive per ea loca dignitate secunda. Constat item in *Gallicana* Ecclesia non hanc ubivis Festivitatem tunc receptam fuisse; immo ne quidem Sæculo subsequuto XIII., *Guillelmo Durando*, Episcopo Mimatensi in Gallia, ajente: *Conceptionis Festum QUIDAM* (*) *faciunt: quod tamen non est autenticum, unde nec approbandum*. Quæ plane is Auctor scripto non exarasset, si quidem istius generis Festum ævo ipsius, id est execunte XIII. Sæculo, ubique jam (Apostolica saltem auctoritate) inolevisset.

In Ration. Divinor. Offic. Lib. 7. C. 7.

Heinc

(*) Attamen *Atto*, Prior Monasterii *S. Petri de Regula*, in statuto, quod anno 1154. edidit de celebrando solemniter *Marianæ Conceptionis* Festo, docet D. *Bernardum* auctoritate sua nihil evicisse, quo minus idem Festum *fere per TOTAM Galliam devotissime ab omni Christiano celebraretur Populo*; ut videre est apud *Edmundum Martene* cit. in Tract. *de Antiqua Ecclesiæ disciplina* Cap. 30. num. 14. col. 558.

Heinc jure quam optimo seu *Thomassinus*, seu *Mabillonius* in memoratis *Notis num.* 140. in falsitatis suspicionem vocant Decretum illud *Ecclesiæ Gallicanæ*, ab uno *Bochello* relatum, ubi in Concilio per *Gallonem*, Cardinalem Legatum, in Gallia coacto, dum rerum potiebatur *Philippus* Rex, cognomento *Augustus* Sæculo XIII. ineunte, *Conceptio B. Mariæ hodie de mandato Sedis Apostolicæ celebrata* dicitur, *Innocentio III.* Summo Pontifice, atque omnino in posterum observari jubetur. Quia vero (ne quid heic missum faciam) *Potho* Presbyter & *Prumiæ* Monachus in Diæcesi *Trevirensi* [vulgo, *Prumiensis* dictus] sub finem Libri III. *de statu Domus Dei*, uno, aut duobus (ut aliis placet) ante *Bernardi* obitum annis ab se conscripti, hoc est 1151. aut 52., tantum non excandescit ac in iras erumpit adversus aliquos item Monachos, Confratres suos, quod novam hanc in suis ipsorum *quibusdam Monasteriis* Festivitatem invexerint; conjecturæ hinc mihi locus est existimandi illos *aliquos*, apud quos id *ante* usurpatum Bernardus *compererat*, non fuisse nisi *Monachos*, atque ab iis dein Ecclesiam *Lugdunensem* accepisse, ut idem Festum *Virginei Immaculati Conceptus* pio ac religioso cultu prosequeretur. (*) Hactenus de *Gallia* pro instituto satis.

Loc. sup. cit. num. VII.

Lib. 4. Decret. Eccl. Gall. tit. 9. Cap. 13.

in Bibl. Max. PP. Tom. XXI. pag. 502.

Ad *Italiam* nunc me confero, atque ad ipsam præsertim Ecclesiam *Romanam*, quæ & Caput est & Magistra ceterarum omnium. Ac primum fateor difficile esse creditu, probatu vero difficillimum, munita ac roborata fuisse *Conceptionis* Solemnia auctoritate atque Edicto Sedis Apostolicæ sub *Innocentio III.*, qui mortalitatem exuit ann. 1216. Illa etenim *Gallonis* Sanctio, modo allegata, dubiæ minimum fidei est Eruditissimis quibusque: alia vero in id rei nulla suppetunt monumenta, quæ nisi proferantur, in sententia persisto nullam desuper Constitutionem, scripto quidem traditam, ab *Romana Sede* ante *Sixtum* IV. latam fuisse. Deinde vero nullum mihi subest dubium, quin longe ante *Sixti* tempora, immo & ante *Basileense Concilium*, non modo in aliis plerisque Orbis Ecclesiis, ve-

(*) Etiam in *Belgio* eodem, quo *Bernardus* floruit, Sæculo, hoc est XII. hujusmodi Festum propagatum fuisse constat ex clausula Diplomatis *Balduini Flandriæ* & *Hannoniæ Comitis* ac *Marchionis Namurcensis*, quæ ita sonat: *Actum in Solemnitate* CONCEPTIONIS *Gloriosæ Virginis Mariæ, Anno millesimo, centesimo, nonagesimoquinto*. Refertur autem Diploma istud ab *Auberto Myreo* Tom. I. in *Notitia Ecclesiarum Belgii*, Cap. 121. pag. 721. *secundæ edit. Bruxell.* an. 1723.

verum etiam Urbis *Romæ* Matris Dei *Conceptionem* pie ac solenniter Fideles celebrarint, Summis Pontificibus nec insciis certe nec invitis, forte etiam *vivæ*, quod ajunt, *vocis oraculo*, seu facto ipso diserte id approbantibus. Nitor autem sat luculento testimonio citatæ *Synodi Basileensis*, cui quidem hoc nomine (etsi alias exauctoratæ) prudens nemo fidem ademerit. Posteaquam enim *Sess.* 36. institutionem renovavit *de celebranda Sancta ejus* (seu Virginis) *Conceptione*, adjecit statim in hæc verba: *Quæ*, id est Conceptio, *tam per ROMANAM, quam per alias Ecclesias, Sexto Idus Decembris ANTIQUA & laudabili consuetudine celebratur.*

Quamquam autem, ut hinc docemur, vel ipso *Basileensi* Cœtu (sive anno 1439. quo præfatum Decretum efformatum est) sacer *Marianæ Conceptionis* dies in *Romana* quoque *Ecclesia* antiquior sit multo; e Romanis tamen Pontificibus, qui aperto id Diplomate confirmarint, ante *Sixtum IV.*, ut dixi supra, inventus est nullus. Primus igitur is est omnium, qui edita ann. 1476. Constitutione -- *Cum præexcelsa* (*) Corpori Juris inserta, ejusmodi seu Cultum seu Festum, jam longe antea moribus Christiani Populi, etiam Urbis consecratum, solenni judicio probavit ac universum per Orbem (non jubendo sed hortando, propositis quoque Indulgentiis alliciendo) propagavit. *Dignum*, ait Pontifex, *quin potius debitum reputamus UNIVERSOS Christifideles, ut Omnipotenti Deo de ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas & alia Divina Officia dicant & illis intersint, Indulgentiis & peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant Virginis meritis & intercessione Divinæ gratiæ aptiores.* Caussam hisce innuit *Sixtus* ita statuendi: cui accedit & altera ex *Spondano*, nempe ad sævissimæ pestis, qua Urbs tota conflagrabat, *calamitatem averruncandam.*

[Margin: Lib. 1. Extr. Comm. tit. 12. de Reliq. & Venerat. Sanctor. Cap. 1.]

[Margin: Tom. II. Annal. ad ann. 1476. n. 3.]

Atqui, non *uti Minorita huic Sententiæ* (scilicet Conceptionis Innoxiæ) *addictus* id fecit *Sixtus*, quemadmodum in dedecus Apostolicæ Sedis *Valdesius* interpretatur Epist. VI. pag. 64.; neque etiam, ut ille somnia somniis cumulando adnectit, *ad eorum tantummodo usum, qui cum Scoto facerent*: sed uti *Pastor* ac *Princeps* Ecclesiæ Catholicæ, atque in rem *universorum*, quos expresse advocat, *Christifidelium*, sive eorum, qui non jam cum *Scoto*, sed

cum

(*) Sixtinam hanc Bullam solemnis præcessit Disputatio ab eodem Pontifice in id rei indicta, de qua videndus Wadingus in *Annalib. Minor.* ad ann. 1477. n. 1. ac seq. & ex illo *Thomas Strozzius* Lib. VII. *Hist. Concept.* Cap. 4.

cum *Ecclesia Romana* de Immunitate Deiparæ a primigenia macula pie, ut decet, sentire vellent, id ipse constituit, aut verius jam multo antea institutum *Apostolica* is *auctoritate* firmavit & ratum esse voluit. Legesis & quæ sequuntur in prælaudata Sixtina Constitutione; credatque Judæus Apella, non ego, Sixtum IV. *uti Minoritam* atque *ad eorum tantummodo usum, qui cum Scoto facerent*, ita decrevisse. Si enim Pontificum vel Sanctiones vel Diplomata fas est sic interpretari aut potius depravare: estne, quæso te, estne in toto, qua late patet, Canonici Juris Corpore aliquid, quod non nutet, non claudicet, non fluctuet, ac modo huc, modo illuc pro cujusque arbitratu trahi non possit? Fingamus exempli caussa, quas *Gravesonius* refert literas *Benedicti* P.P. hujus nominis XIII. de anno 1724. (eas scilicet, quibus commendantur plurimum Sententiæ illæ de Gratia *per se* & *ab intrinseco* efficaci, deque *gratuita Prædestinatione* ad Gloriam ante prævisionem meritorum) non ad solos *Ordinis Prædicatorum Professores*, sed ad *universos Christi Fideles* datas fuisse, atque inter *Apostolicas decretorias Epistolas* revera esse connumeratas: nunquidnam non, si *Valdesii* machinas adhibeas, dixerisque, *Benedictum XIII.* uti ex *Ordine Prædicatorum* assumtum, ejusque Sententiis *addictum*, necnon & *ad illorum duntaxat usum, qui hac in parte cum tali Ordine sentiunt*, ita sanxisse; vim declinare omnem harum Literarum, penitusque eas eludere, foret in promtu? Si isthuc non est sibilis & cachinnis *Hæreticorum* exponere *Sedem Apostolicam*; quid, obsecro, quid aliud erit? Tom. II. & Fol. Coll. III. sub med.

Verum enimvero, quamvis ea, quæ modo adduximus ad exsufflandam tam male consarcinatam, fabulam nescio an interpretationem, abunde possint sufficere: ad cumulum tamen, non ad necessitatem, & ea, quæ jam olim in *Bartholomæum Spinam* ejusdem, quem proxime laudavimus, *Prædicatorum Ordinis*, contubernalem & Confratrem suum, *Catharinus* congessit, totidem referre verbis, inque medium nunc promere mihi, quæso, liceat: ut vel heinc obiter cognoscas, nihil Mutinensem Theologum, *Valdesium* nomine, nisi jam diu protritum, exsufflatum sepultumque ex inferis revocasse. Sunt autem sequentia: „ Doleo adhuc esse (inquit *Catharinus*), qui secundum carnem cogitantes, respondere ineptissime solent, Pontificem illum Sixtum fuisse ORDINIS MINORUM, qui Ordo illam opinionem videtur extollere, & ideo Judex minus idoneus; interim non animadvertentes, quales ipsi sint, ut vacent hac parte suspicione. Nam vel hac sola responsione non obscure ostentant, quam parum pie confide-

„ derent Providentiam Dei, qui existimant hominum voluntate „ agi ac regi ea, quæ ad universalem Ecclesiam attinent & ad „ Cultum Dei, in quo est (D. Thoma (*) teste) protestatio ac „ professio Fidei nostræ. Qua in re si erraretur a Summa illa „ Ecclesia, quam ceteræ omnes æmulari debent, quid firmum jam „ & indubitatum tenere possemus? Præterea qui ante Sixtum fue- „ runt, præsertim & vestri Ordinis (*idest Prædicatorum*) Pontifices „ & alii erga Ordinem optime affecti, cur alteram partem, cui „ tunc plurimi favebant, cum jam in controversiam res deducta „ esset, pro vestra opinione non determinarunt? Nonne vos „ (*nam sui ipsius Sodalitii homines sic affatur*) nonne vos necessario „ cogimini fateri, digitum Dei heic adfuisse? Insuper, qui post „ illum, scilicet *Sixtum IV.*, sequuti sunt tot Pontifices non jam „ Ordinis Minorum [*immo & aliqui ex Familia Prædicatorum*] „ adeone vel stupidi fuerunt, vel Sedis Apostolicæ ejusque aucto- „ ritatis & honoris ita omnes obliti & contemptores, ut nullus „ eorum id emendare curaverit? ..... Verum Deus, ut olim „ semper, ita etiam diebus istis providit, ut misera hæc fuga & „ puerilis tergiversatio sit jam vobis erepta. Nam Tridentina „ Synodus unanimi omnium Patrum consensu Sixtinas illas Con- „ stitutiones renovavit & confirmavit. Quid heic amplius excu- „ sationis manet vobis? Omnes enim Episcopi id concorditer ege- „ runt,& concluserunt,nec fuit quisquam,qui sese opposuerit.Non est i- „ gitur vobis integrum dicere: Illæ Constitutiones fuerunt Sixti, qui „ fuit ORDINIS MINORUM; quandoquidem eas universalis S. „ Synodus confirmavit, in qua fuerunt plures Episcopi Ordinis „ Prædicatorum, qui nequaquam reclamarunt. „ Ita longiuscu-le quidem, sed satis ad rem apposite, *Ambrosius Catharinus*, testis sane oculatus, omnique exceptione major, ut qui laudato Oecumenico Concilio & præsens adfuit, & ex inclyto *Prædicatorum* Ordine ad Minorensem primum Episcopatum, deinde ad Archiepiscopatum Compsanum jure meritissimo provectus est.

Disp. pro *Immac. Conc. ad S. Syn. Trid.* Part. II. col. 91. Ed. Rom. an. 1551.

C A-

(*) 2. 2. *quæst.* 93. *art.* 2. & apertius *Quodlibet. IX. Artic.* 16.

CAPUT V.

Cultus, quem Sixtus IV. probavit celebri sua prima Constitutione, ejus est generis, scilicet Conceptionis Immaculatæ seu ab originali labe præservatæ. In eum tamen complures ausu intolerando insurrexere: at istorum audaciam altera excusa Constitutione idem Sixtus coercuit. Quid huc contulerit, quidve consilii ceperit SS. Tridentinum Concilium? Ne istud quidem ab sacrilega aliquorum mordacitate in tuto fuit.

INter alia bene multa, de quibus nuper dicebam, istud cum primis est extra omnem aleam dubitationis repositum, *Sixtum* hujus nominis IV., non quidem omnium primum, *Conceptionis* Festum in Ecclesiam intulisse, sed longo tantum, veterique usu jam pene ubique inductum, probasse ac Pontificia auctoritate communivisse: nunc autem & illud observatu quam dignissimum censeo, non aliud sane Pontificem Romanum heic sibi approbandum atque ab omni in posterum invidia & obtrectatione solvendum duxisse, quam id ipsum, quod primi omnium *Hispani* (quibus id in acceptis referendum) quodque dein *Angli Gallique* eadem fere ætate, ac præcipue quod *Lugdunenses*, a *Bernardo*, ut vidimus, propterea exagitati, religioso ac solenni ritu peragebant, nempe diem *Conceptui B. Virginis* sacrum, uti *Immaculatæ*, seu Originis noxa nunquam infectæ. Clarius id autem est, quam ut negari a quoquam possit, aut probari pluribus debeat.

Profecto, vel ipse *Valdesius* cit. Epist. VI. pag. 64. minime inficiatur, quin etiam uti rem manifestam dat ultro, *Sixtum* Papam *Festo*, secundum Sententiam intacti impollutique Conceptus instituto, *favere* suo Decreto *voluisse*: eaque ductus ratione id fassus est, quia *Missam* (ait) *& Officium a Nogarola compositum* (quo etiamnum, pauculis immutatis, universus utitur *Minorum* Ordo) *ac diserte de Immaculata Conceptione*, nec semel *loquens*, *probavit* Summus, idemque Optimus ac Sapientissimus Pontifex: ut proin, quod est ad *Sixti* IV. immo & ad *Ecclesiæ* mentem, quin ejusmodi Cultus Objectum, abs se se approbati, ipsa sit Deiparæ *Præservatio* a macula originali, nemo nisi effrons valeat subdubitare. Rursus, evolventi vel parumper indigitatam *Sixtinam* Constitutionem,

in oculos repente incurrit, Pontificem Maximum universos Christi fideles invitare, *ut Omnipotenti Deo de IMMACULATÆ* [inquit] *Virginis MIRA Conceptione gratias & laudes referant*. Quei autem *Immaculatam* dixisset Virginem, *miram* (*) etiam vocasset ejusdem Conceptionem, ad *gratias* item & *laudes* hanc ob caussam Deo referendas Fideles omnes advocasset, Ecclesiæ quoque Thesauros in id proposuisset; ni quidem Virginem Sanctissimam singulari Dei Privilegio a parentali peccato præservatam & pie ipse credidisset, & ad hanc mentem antiquum jam passimque receptum Cultum munimine Apostolico firmandum sibi duxisset, vereque roborasset? Denique nescio, an evidentius ineluctabiliusque hanc in rem optari argumentum possit illo ipso, quod Adversarii, *Marianæ puritatis* osores acerrimi, suppeditant suis post evulgatam *Sixtinam* hanc Bullam derisiculis, tortuosis, falsisque declamationibus, queis omnia repleverunt seu Scholas, seu Templa, seu Plateas, maxima hercle cum offensione stomachoque proborum omnium: id quod notasse, pauloque heic fusius dixisse abs re non erit. Agedum videamus.

Vix lucem adspexit prior illa *Sixti* Constitutio, cujus initium -- *Cum præexcelsa* -- de qua Capite antecedenti; quum ecce non defuere homines audacissimi (quorum nominibus parco) parumque religiosi, qui eandem in conviviis roderent, in circulis vellicarent. Dicebant enim alii *Sixtum* IV. ex ordine *Minorum* ad Petri Sedem assumtum fuisse: ideoque huic expendendæ decernendæque controversiæ haud satis aptum. Ab his & *Valdesius* non videtur distare admodum: eosdemque ad unum omnes ex *Catharino* supra castigavimus, confutavimusque. Alii econtra caussabantur Do-

(*) Idem, sed aliis verbis, apud Vasquerium *Disp.* 117. *Tom.* 2. *in* 3. *Part. Cap. V. num.* 63. legere est ita loquentem: *Pontifex* (Sixtus IV.) *non tantum in ea Extravagante decrevit, ut Festum Conceptionis B. Virginis in Ecclesia celebraretur, sed etiam officium Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis, pro ejusdem Festi celebratione approbavit; in eo autem Conceptio Virginis IMMACULATA passim dicebatur. Præterea, idem Pontifex ibidem exhortatur Fideles ad reddendas Deo gratias pro ipsius Immaculatæ Virginis MIRA Conceptione: atqui MIRAM Conceptionem eam non vocaret, nisi præter morem consuetum in Gratia & Sanctitate Virgo concepta esset. Nihil enim aliud MIRUM Conceptio ejus haberet, cum more aliorum hominum, quod adtinet ad naturam, fuerit concepta*. Hæc Gabriel Vasquez, *e Societate Jesu* Theologus longe lateque Clarissimus.

Dominum Papam *Officium illud*, a Nogarola elucubratum, *neutiquam vidisse*: tumque in *Nogarolam* præ rabie versi, Virum non exiguæ probitatis & doctrinæ, convitiis subinde incessebant ac contumeliis, scilicet *temeritatis*, *imposturę*, tantumque non *perditæ vitæ* a primis (quod ajunt) unguiculis ad senectam usque, palam ipsum condemnantes. Tandem alii [quis crederet?] maculas in Sole quærebant, in ovo pilum, somniantes *Sixtum* aut in contraria fuisse opinione, nempe *Conceptionis sordidæ & maculosæ*, hancque sua Bulla asseruisse, *implicite tamen & prudenter*, ut inquit *Vincentius Bandellus*, in Libro, a se in id rei concinnato; aut non Cultum probasse Conceptionis *carneæ*, quam vocant *Animationis*, sed *Spiritualis* (*) duntaxat sive *Sanctificationis*: quod est veterem atque obsoletam cantilenam recinere, itemque in universum magno conatu magnas nugas tractare, quas tamen vel prodidisse, superasse est. Ita est enim fere comparatum, ut animus seu præconceptis opinionibus abreptus, seu odio & invidia præoccupatus, recte aliorum dicta & facta vel facile invertat, vel maligne corrumpat, præsertim si studium contentionis & libido accesserit calumniandi.

De singulari puritate Conc. Jesu Christi Rat. 10. & 11. Cap. 16.

Suboluit id cohors reliqua eorum, qui pro *fœdato conceptu*, ceu pro aris & focis certant, probeque sibi conscia harum næniarum longe aliter bellum instruxit, oculatior quidem hoc nomine, sed tamen nihilo aut melior, aut felicior. Extra insidias quippe illi positi, apertoque Marte confligantes, inficiabantur minime, quin & ultro concedebant *Sixtum* IV. sua non semel allegata Constitutione -- *Cum præexcelsa*, de anno 1476., ubi peculiarem Missam atque Officium a *Leonardo de Nogarolis* adornatum probavit, etiam *Immaculatæ* Cultum *Conceptionis* re vera firmasse atque ab omni (quan-

(*) Ad confodiendum assertum istud, tamquam *falsum*, *erroneum* & *a veritate* revera *alienum*, alteram Sixti IV. Constitutionem, cui initium -- *Grave nimis*, ann. 1482. emanasse ferunt, integramque transcribunt Emm. Rodriquez *Tom. 1. quæst. Regul. q. 57. art. 1.* Joannes Bapt. Confectius in *Collect. Privil. Sacrorum Ordinum*, Waddingus in *Annal. Minor.* ad ann. 1482. (ubi & num. XIII. eandem non inscite vindicat) Frassen, & alii. Quia vero de ea nonnulli, jure an injuria, subdubitant (etsi fidem illi sat conciliare videatur laudatorum Virorum auctoritas) idcirco insalutatam dimittimus, quod minime sit ad institutum necessaria, præsertim post *Alexandri* VII. Decretum, de quo inferius suo in loco pluribus, & posteaquam hac ipsa in re consitentem habemus *Lampridium* Cap. IX. pag. 59. & 60.

tum in se est) invidia exemisse. Nihilo tamen secius omnem operam studiumque deploratæ caussæ patrocinio suscipiendo impendebant; atque ut impendant, Pontificiam *Sixti* Constitutionem ludibrio magis, quam religioni, habere malunt, ne dicam, prodere. Quid enim illi? Sane cultrum radici applicuere, linguamque in Cœlum efferentes, qua Sermonibus qua Libris editis asserere, seu verius effutire non erubuerunt, *omnes illos, qui tenent aut asserunt gloriosam & Immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare vel esse hæreticos; ejusdemque Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientesque Sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter*. Hæc illi opinionum monstra enixi sunt, eisdemmet data verbis, quibus ea *Sixtus* PP. descripsit loco mox referendo. Nec mirum. Quæ non enī hac ipsa de caussa vel longe ante *Sixtum* portenta ediderunt homines nonnulli, etsi alias spectatissimi, de quibus vel *Spondanus* quoque in *Annalium* Continuatione? (*)Proinde, quod obduruerint in iis Successores, auxerintque potius quam emendarint ex Sectæ genio; ut nemo laudet, sic miretur nemo.

Tom. 1. ad an. 1470. & 1

Interea temporis dicta errorum prodigia, quaquaversum fusa, ad Pontificis aures fama non fallax pertulit: indeque ipsomet fatente, *non levia scandala in mentibus Fidelium exorta fuerunt, majoraque merito exoriri formidabantur in dies*. Quibus ut obviam iret, atque opportunum adferret remedium, idem *Sixtus* IV. pro supremi, quem agebat, Pastoris munere aliam edidit Constitutionem anno Christi 1483., incipientem: *Grave nimis*, in Corpore pariter Canonici Juris contentam. Hac autem nova Constitutione, quam præcessit altera annis tantum septem, istiusmodi hominum furorem Pontifex compescuit, illorumque *assertiones* supra enuntiatas una cum *libris desuper editis* easque *continentibus*, explicate proscripsit, atroque carbone notavit: quique præterea id genus damnatas assertiones tutari haud desinent in posterum, dictosve libros de manibus non abjecerint, eos omnes *Sixtus* (excepto prorsus nemine) excommunicationi subjecit, Sacris interdixit atque de Ecclesia deturbavit. [**] Accipe Sixtina verba: „Nos igitur hujusmodi te-
„me-

Extravag. Com. Lib. 1. Tit. 12. de Rel. & venerat. Sanctor. Cap. 1

(*) Videatur quoque *Natalis Alexander* in *Hist. Eccl. Sæcul.* 13. & 14. Cap. III. *Art.* 23. *De erroribus Joannis de Montesono*.

(**) Auctor *Summarii*, Decreto huic Pontificio præfixi, ait: *Excommunicationem ipso facto incurrunt Prædicatores, asserentes Divam Virginem in peccato*

„ merariis ausibus ac perversis assertionibus ac scandalosis, & quę „ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt [quantum nobis ex alto conceditur] obviare volentes, motu proprio .... hujusmodi „ assertiones prædictorum eorumdem & aliorum quorumlibet, „ qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent „ eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore vel mortaliter peccare; aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi Sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote FALSAS & ERRONEAS, & a veritate penitus ALIENAS, editosque desuper „ Libros prædictos id continentes, quoad hoc AUCTORITATE „ APOSTOLICA tenore præsentium reprobamus & damnamus. „ Ac motu, scientia & AUCTORITATE prædictis statuimus & „ ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, & quicumque alii „ cujuscumque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, „ qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum Sermonibus ad Populum, seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi sic per nos improbatas, & damnatas assertiones veras esse, „ aut dictos LIBROS pro veris legere, tenere vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, EXCOMMUNICATIONIS sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio, quam „ a Romano Pontifice [nisi in mortis articulo] nequeant absolutionis beneficium obtinere. „ Hucusque Romanus Pontifex *Sixtus* IV., qui tamen [ne quid videar mala fide præteriisse] & anathema iis quoque interminatur, qui contrariæ opinioni adhęrescentibus, id est Conceptus *maculati*, censuram inustam vellent seu *hæreseos*, seu *peccati lethalis*; & a dirimenda controversia sibi temperavit, illico nullisque interjectis subjungens, utique quietis pacisque farciendæ caussa : *Item simili pœna ac censuræ subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, HÆRESIS crimen, vel PECCATUM incurrere MORTALE, cum nondum id sit a ROMANA ECCLESIA & APOSTOLICA SEDE decisum.*

Heic

---

cato mortali fuiſe conceptum. Id ego a *Sixto* heic loci cautum neutiquam invenio; neque ullus, arbitror, inveniet, modo non oscitanter *Constitutionem* expenderit. Sed tamen multo post ab aliis Pontificibus id præstitum fuisse patebit ex inferius dicendis *Cap. VII. & VIII.*

Heic autem, quæso, animadvertas, pares quidem pœnas in Censores alterutrius opinionis a *Sixto* inflictas esse; caussa tamen & ratione longe diversa. Etenim id generis censuras interdixit quidem cum ferendas adversus Fautores *Conceptionis noxiæ*, eo, quod (inquit) *nondum id sit a Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum;* tum vero etiam contra Patronos ac Vindices Piæ Sententiæ, hoc est *puræ Sanctæque Conceptionis*, quia scilicet *falsas & erroneas & a veritate penitus alienas* esse decernit Pontifex censorias hujusmodi assertiones præposteras. Quam heic latum intercedat discrimen, quamque dispar sit judicium, quod de utrisque *Sixtus* tulit: nemo unus est qui non videat. Noluit ille quidem alterutram partem definire ac disceptationem dirimere, peremptorium hac de re judicium *Romanæ Ecclesiæ*, atque *Sedi Apostolicæ* reservans: quocirca & vetuit perquam sapienter ac districte, ne quis quempiam arguat vel *hæreseos* vel *peccati mortalis:* Idque commune est utriusque partis Sectatoribus. Ast *Innoxii Conceptus* Assertores id habent proprii, quod qui notam ejusmodi ipsis inurunt, seu reos ipsos agunt *hæresis culpæve lethalis*, non solum *Sixtus* PP. intemperantiores hosce Aristarchos *excommunicationis* feriat fulmine, sed etiam id furfuris censuras vel *assertiones* eorundem Pontificia auctoritate *falsas* esse pronuntiet, *erroneas* item atque *a veritate penitus alienas*. Num tale quid seu a *Sixto IV.*, seu ab alio ex subsequutis Pontificibus dictum unquam in eos, qui hac nota taxarent opinionem minus piam, minusve Virgini faventem? Nequaquam sane. Vetamur quidem, ut dixi antea, sub *anathematis* interminatione aut *hæreticam* illam dicere, aut *peccati* arcessere *mortalis* (eo etiam, ut reor, nomine ne exacerbentur animi, utque Pax Christi inter dissidentes reflorescat): at sic *asserere* nusquam *Sixtus*, aut alius quispiam ex *Petri* Cathedra *falsum* atque *erroneum* esse declaravit. Ex hoc autem judicio Pontificis (si quidem stat immotum nec inverti aut tolli potest ullo tempore) pronum erit conficere, opinionem illam, qua Deipara traditur in peccato concepta, definiri ab Ecclesia, uti unam veram certamque, nullo pacto posse. Quippe ex hujus generis definitione consequeretur, qui *Sanctam* & *Immaculatam* deinceps teneret Virginis Conceptionem, eum (si de sententia non decesserit) *hæreticis* sane esse accensendum: quod tamen dicere idem ipse Pontifex & *falsum* esse & *erroneum* aperte judicavit. Quod si id quidem definiri non potest; quis, rogo, *verum* dixerit, quis reapse *probabile*? Certe non alius, nisi qui *Apostolicæ Sedis* judicium, *falsas erroneasque* hominum assertiones identidem proscribentis, & fallere & falli

li

li posse deblaterarit (*) : quo sane nihil gratius, nihil utilius qua *Jansenii* [ut de vetustioribus nihil dicam] qua *Quesnelli* asseclis evenire unquam potest. Itaque id vel unum si rite , si pacato secum animo reputassent *Lampridius* atque *Valdesius*: nescio , an ii tam intrepide tamque frequenter & assidue utrasque invicem contrarias de *Mariano Conceptu* seu opiniones seu sententias, peræque *Pias* , peræque *Probabiles* venditassent , neque pro una minus , quam pro altera pronuntiaturam tandem (quum visum fuerit) Ecclesiam Romanam ipsi confinxissent. Qua de re alii, alibique: plura enim profari præfinitos esset operis limites egredi, atque, ut ait *Tullius*, lineas transilire.

Ut ergo, quo deflexit, illuc & revertatur oratio: sive ex posteriore hac *Sixtina* Constitutione , sive ex ipsismet præposteris (heu nimium!) censuris eorum qui & Sententiæ & Festivitati & Officio, ab eodem Pontifice jam adprobato, adversabantur , quæ sit mens , quive prioris Apostolicæ Constitutionis germanus sensus tam patet cuique, quam quod maxime. Nempe animus fuit probare Cultum , a Majoribus acceptum , quique jam alte Fidelium cordibus insederat; verbo, Cultum *Conceptionis Innoxiæ*: quem proin & posteriori sua Constitutione ab temerariis , quos jam recensuimus, nonnullorum ausibus strenue profecto, atque, ut par erat & Pontificem decebat , vindicavit . Exinde vero id genus motus tantisper conticuere, non tamen diu . Nam rursus non ita multo post, veluti ignis rapidus clausis fornacibus, æstuare cœperunt, cum in *Germania* opera cujusdam Wigandi Cauponis (vulgo Wirt ,) tum etiam in *Gallia* per Joannem, vulgo *le Ver* , Doctorem Sorbonicum: nec antea novi hi tumultus sedati, quam seu *Wigandus* seu *Joannes Verius* (ambo sanctissimi Ordinis *Prædicatorum* alumni) publice palinodiam canere compulsi fuerint . Plura videsis apud *Trithemium*, qui & hæc altius repetit, & describit quæque multo copiosius. In Chron. ad ann. 1454. & 1457.

Sub idem tempus, eademque de caussa *Minores* inter & *Prædicatores* acris *Romæ* concertatio ingravescebat . Quumque fama de memoratis *Galliæ Germaniæque* motibus & rixis eo usque percrebuisset; *Alexandri* Papæ VI. auctoritate ann. 1502. innovatum est *Sixti* IV. Decretum, majoresque pœnæ in refractarios sancitæ, ne

(*) Adde , ejusmodi *Sixtinam* Constitutionem a *Conc. Trid.* , necnon a subsequutis Romanis Pontificibus *Pio* V., *Paulo* V. &c. explanate ac nominatim confirmatam fuisse.

ne qua pars alteram aut *hæresis* aut *peccati mortalis* insimularet(*); vetitumque insuper *Dominicanis*, ne in suis ad Populum Sermonibus ullam omnino de Virginis *Conceptione* mentionem facerent in posterum. Ita ex *Abrahamo Bzovio* in Annalib. ad *dictum annum* (Ad an. 1454.) Scriptore ejusdemmet *Dominicanæ* Familiæ, *Spondanus*, qui & ibidem (Tom. 2. n. 14.) narrationem sic absolvit: *Infelix hac parte nobilissimus Ordo*, *ut de tam excellenti Mysterio tacere cogatur*. *Quantum præstaret*, *etiam in hoc*, *sicut in ceteris*, *universæ Ecclesiæ assentiri*! Petes: num ex fide tandem paritum, suaque tempestatem hanc tranquillitas excepit? Immo vero minime: quin etiam (si qua fides *Langio* Benedictino, *Laurentio* Surio, *Ambrosio Catharino* aliisque) ad detestabiliora ab aliquibus, rubore posito, deventum est, quæ plane referre me piget aut pudet. Adeo excæcavit eos malitia eorum, dilexeruntque magis tenebras quam lucem. Ceterum, paucorum vitia non sunt universitati imputanda.

(In Chron. Crizeensi ann. 1500. In *Comment. rerum in Orbe gestar.* an. 1509. In Opuscul. de *Imm. Conc.* lib. 3. §. 6.)

Cajetanus autem inter eos dies, in animum induxerat labascenti suorum caussæ suppetias ire; atque anno 1515. Opusculum *de Concept.* evulgavit, (**) *Leoni X.* Papæ dicatum, moderatione tanta ac gravitate, ut ex quo cœpit lis isthæc vix non in iras exardescere, nihil simile ad ea usque tempora sit visum antea. Scilicet Theologus iste, vere eminentissimus, tum laudati Operis Cap. III., tum suis etiam Commentariis in *Summam* S. Thomæ (hoc est, in 1. 2. *q.* 81. *art.* 3. & in *III. Partem q.* 27. *art.* 2. sub finem) explicate docet & fatetur ingenue Fidem in tuto esse, etiamsi B. Virginem dicamus ab Originis noxa immunem fuisse; neque obstare quicquam universales illas, quas vulgo congerunt, seu *Scripturæ Sanctæ*, seu *Patrum* loquutiones, neque etiam Redemtori omnium Christo quicquam inde derogari, quod ejus Sanctissima Mater communi hac omnium fœditate ac contagione eximatur. *Et hæc bene*, inquit ille, *notabis tu Thomista*, *ne nimio zelo non secundum scientiam accensus*, *errônea dicas*, *quæ erronea non sunt*, *quum de Beatissima Virginis Conceptione disputas aut prædicas*. [*]At

(In 1. 2. quæst. 81. art. 3. edit. Lugdun. de an. 1587.)

(*) Hanc Alexandri VI. Constitutionem, quæ incipit: *Illius*, *qui se*; videsis apud Wadinguum in *Annalib. Minor. ad ann.* 1503. *n.* 15. Laudatum porro Pontificem hac de re Constitutionem emisisse sane constat ex §. 3. Decreti *Gregorii* XV., incipientis: *Sanctissimus D. N.* anni 1622.

(**) Insertum habes Libellum hunc Card. *Cajetani* Tomo II. ejusdem *Opusculorum* Tract. I. a pag. mihi 72. Quale autem de illo judicium tulerint *Præservationis* Defensores; sat copiose docet Auctor *Histor. Concept.* Lib. VII. Cap. 25. & 26.

(*) At vero, ad tam candidam hominis ingenui ac summi confessionem, quam una ex illo eaque invicta extorserat perspicuæ veritatis vis, adeo infrenduit quidam *Bartholomæus Spina*, cujus & Capite superiori mentionem injecimus, ut omni posthabito pudore in illum, veluti Phreneticus in Medicum, pene insanire visus sit; parumque abfuit, quin tantæ celebritatis Virum in Opere, quod convasavit ediditque Venetiis ann. 1533., inter hæreticos connumeraret. (**) Porro vel etiam *Sixtum IV.* Spina iste nihilo reverentius tractavit, quum alio in Opere, id est *Parte V.* Libri *de universali corrupt. generis humani*, Pontificis Bullam - *Grave nimis*, nescio utrum explicet, an suis potius aculeis irreverenter atque irreligiose pungat & laceret. In quem proinde tritum illud quam apte quadrat: *Conveniunt rebus nomina sæpe suis*. Sed quorsum isthæc? Nempe ut heinc discamus, in quantum aliqui audaciæ, ne dicam dementiæ, prolapsi fuerint, quantumque in Virginem sine labe conceptam obstinatione quadam sententiæ (proh pudor!) olim sint debacchati.

In Tract. de Concept. B.M.V. adversus Cajet.

Hæc autem dum aguntur non strepitu, sed clamore maximo, nec tam amore, quam (audacter dicam sed tamen vere) odio veritatis aut æstu contentionis: commodum adfuit Sacrosancta *Synodus Tridentina*, quæ licet ab alterutra diffidentium parte definienda hoc in negotio sibi temperarit (neque enim in id coacta fuit, ut gliscentes inter Catholicos controversias dirimeret) quia tamen prænarratas *Sixti PP.* Constitutiones ann. 1546. die 17. Junii expresse innovavit atque inviolate servari præcepit, omnia id genus scandala sustulit de Regno Dei, succrescentes istiusmodi Spinas succidit & querelas omnes opportune

H

(*) Hæc *Cajetani* verba, ut & alia quædam, quæ præcedunt, conqueritur, nec immerito, *Catharinus* in Disp. pro *Imm. Concept. ad Triden. Synodum* Part. I. §. 2. *in novis Lugdunensium impressionibus subdole a nescio quibus temerariis sublata fuisse ex ipsius Commentariis*. Ita ille. Quod tamen non est novum in hac controversia. Quidquid enim incommodat, abradunt.

(**) Propterea V. Cl. Jacobus Echard Tom. II. *de Scriptorib. Ordin. Prædicator.* ad ann. 1546. pag. 128. *mirum* inquit, *ita eidem* (id est Cajetano) *adversum & infensum* fuisse Bartholomæum Spinam, *ut non modo editis in Cajetanum, etiam viventem, tractatibus impugnaverit ac momorderit, sed & nulla viri, dignitatisque ratione servata, prosciderit indigne, pluribusque affecerit laceraritque convitiis, quæ Catharinum ipsum, quantumlibet eidem Cajetano infensum, puduit, uti refert in expurgatione sua ad Dominici Soto apologiam*. Ita Echard loc. cit. *Edit. Parisiens.* an. 1721.

tunc sedavit. Sunt autem hæc luculentissima *laudati Oecumenici Concilii* verba: *Declarat tamen hac ipsa Sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de Peccato Originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti, sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* (*) Ex quibus duo hæc prono, quod ajunt, alveo fluunt a scopo minime abludentia. Primum, ex ea non significatione solum, sed etiam *declaratione* Patrum Tridentinorum de non comprehendenda sub Decreto *Peccati Originalis* Immaculata Dei Genitrice Maria, obvium cuique est atque in proclivi deducere, nihil illos necessitatis præsensisse jungendæ Virginis communi massæ damnationis, id est prævaricationi Adæ, in omne genus humanum transfusæ: adeoque nec Scripturas Sacras, nec SS. Patrum loca aut Decreta Conciliorum, quæ se *dicta Synodus* in unguem sequutam profitetur, quæque vulgo huc congeruntur ab Adversariis obstare quicquam, quominus Virginem gloriosissimam vel istius quoque labis prorsus expertem & credamus ipsi, & aliis palam prædicemus. Quod si ita est; ehodum, dic mihi: ecquis, nisi mortalium audacissimus, ceu ex Tripode pronuntiabit involutam Adami delicto *Deiparam*, quam hercle noluit involvere Sancta *Tridentina Synodus Generalis*, in Spiritu Sancto legitime congregata? Alterum, quod inde venit, in eo est, ut dum ibidem *Sixtinas* hac de re *Constitutiones* una cum pœnis in contumaces ac refractarios latis luculentissime a Tridentinis Patribus *innovatas* legimus; illinc quoque non eas modo confirmatas, sed & simul

Sess. V. in App. ad Decret. de Pecc. Orig.

(*) Hanc Tridentini Decreti clausulam *Joannes Launojus* in Tract., cui titulus: *Præscriptiones de Conceptu B. M. Virginis*, per falsarios confictam, ac Romanæ Editioni de ann. 1564. primo insertam, inepte atque impudenter (ne quid dicam durius) fabulatur. Id autem & falsum esse & impudentissimum, cum aliis multis constat, tum etiam auctoritate *Dominici Soto* atque *Ambrosii Catharini*, qui ambo ex Cœtu *Dominicanorum* eidem Concilio magna cum eruditionis fama interfuere, quique prædictæ clausulæ non obscure meminerunt; ille quidem Commentariis suis in *Epist.* 1. *ad Rom.* Edit. Antuerp. anno 1550.; hic autem loco illo insigni, quem jam dedimus *Capite præcedenti*, itemque aliis *eodem Tractatu* passim, nempe *col.* 106. 110. 112. &c. Confer & *Natal. Alex.* Dissert. 16. in *Hist. Eccl. Sæculi II.* §. 21. necnon & Bullam 114. *Pii V.* incipientem: *Super Speculam*, §. 1., ubi nullus hac de re dubitationi locus relinquitur.

mul ab eodem Oecumenico Concilio uti *recens conditas* fuisse probe intelligamus. Id namque sonat verbum *innovare* suapte natura: ex quo & illud noto est notius, diuque ac rite tecum verses velim, videlicet qui Constitutiones *Sixti*, quas supra enucleavimus, pergit lacessere aut sancitis non obtemperare, præter pœnas, quas dabit, irreligiosus atque injurius quoque foret maxime nedum in *Pontificem* Sedemve Apostolicam, verum etiam in *Tridentinam Synodum* seu Ecclesiam universam, quæ præmemoratas Pontificias Constitutiones judicio suo (quod summi plane est ponderis) & comprobavit simul & innovavit. Atque adeo, quem in officio non continet *Apostolica Sedes*, contineat saltem necesse est auctoritas *Synodi Universalis*, idem ipsum, quod illa, statuentis: cui non obsequi, non adstipulari summum profecto scelus est, ab omnibus execrandum.

Ceterum, ita fere natura comparatum est, ut nihil sub Cœlo tam sanctum sit tamque firmiter constitutum, quin ei invideant mordeantque pro suis quisque affectibus homines improbi. Certe quidem *Petrus Suavis Polanus*, larvatum nomen ac damnatæ memoriæ Scriptor, fideique aut Religionis minimum suspectæ, in Historia *Concilii Trident.* ab se consarcinata, ac pudendis calumniis, falsitatibus & contumeliis referta, huc quoque Momum egit, sane, ut assolet, procacissimum. At vero istius Momi furorem strenue atque invicte adeo repressit Card. *Pallavicinus*, nihil ut addi vel dici possit validius. Eodem nefario quodam furore & audacia abreptus *Albertus Duimius* una cum Magistro suo *Bartholomæo Spina* [dignum patella operculum] bellum sacrilegum atque impium indixit Patribus *Sacrosanctæ Synodi* uno post præfatam illorum Sanctionem vel Declarationem anno (hoc est quadragesimo septimo supra millesimum quingentesimum) arrogantissime eos arguens *immoderatioris audaciæ ac petulantis inscitiæ, ut qui cum se noscerent apud doctos Theologos minoris esse existimationis, istis novitatibus captarint auram popularium: atque ideo non veriti sint facere verbum hac de re*, id est de Immaculata *B. M. Virginis* Conceptione. O nefas! o scelus! o temeritas inaudita! *Quis enim*, ut pulchre Catharinus, *quis sibi unquam persuadere potuisset fore, ut Generale Concilium in tantum ac tam severum Censorem esset aliquando incursurum?* Et paulo post ita ibidem prosequitur: *Iste namque* (sive Albertus Duimius) *Spinæ Discipulus ac repente Orbis Magister contra universum Christianismum, id est, contra cunctas Christiani Orbis Ecclesias, & jam contra cunctos Ordines Regulares, qui sub hoc nomine Immaculatæ Conceptionis illum festivum diem solemniter celebrant, &*

L. 2. pag. 183 & seqq.

In Hist. Trid. Conc. lib. 7. c. 3.

In Præf. ad Tarraconensem Libr. de Virg. Concept.

In Præf. Disp. de Imm. Conc. ad S. Syn. Trid.

contra præclarissimas Universitates, quæ hanc VIRGINIS prærogativam commendarunt atque probarunt: iste, inquam, Magister & Spinæ Discipulus, idem testis & judex, & tanquam sedens non in Petri Cathedra (siquidem de Petri Cathedræ Decretis, immo & Concilii Tridentini *ausus est judicare) sed gradum superiorem conscensus, securus pronuntiat, & sui Magisterii auctoritate declarat, illud quod colendum Romana in primis & Universa jam olim suscepit Ecclesia, & quod est ab Universitatibus celeberrimis commendatum, & a Popnlis Catholicis generaliter creditum, esse præ ceteris (ut ejus verbis utar) alienum admodum a Sacris Literis, dissonum ab Evangelio CHRISTI, & humanum commentum, vanam insuper devotionem & Christiana Religione indignam, imo etiam impietatem , utpote contra clarissima Sacræ Scripturæ testimonia .* Hæcque & alia id genus impietatis plena atque opprobriis *Duimius* effutiit eo loci, quem supra indicavimus; nihil scilicet verens *Apostolicæ Sedis*, quin vero & *Tridentinæ Synodi* anathema, in eos dictum, qui talia blaterarint aut potius blasphemaverint. Verum *Catharinus* id furfuris deliramenta tolerare diutius non valens, arrepto calamo murum se æneum opposuit pro Domo Dei. Nam utrumque qua Discipulum, qua etiam Magistrum adeo perstrinxit & profligavit, ut ne hiscere quidem illis concessum sit, nedum in arenam reverti. Lege ejus *Disputationem*, non semel ante laudatam atque hac ipsa de caussa ab illo susceptam, *Sanctæque Tridentinæ Synodo* propterea transmissam atque nuncupatam.

CAPUT VI.

Sanctus Pius V. utrum faverit Sententiæ Impolluti Conceptus, nec ne? Is in Bajo Opinionem Piæ Sententiæ contrariam proscripsit, non quidem uti hæreticam, sed uti censura notatam aliqua ordinis inferioris. Judicium hoc & alii subsequuti Pontifices confirmarunt. Ille ipse primus omnium Missam & Officium ab universo Clero in id rei de præcepto recitandum indixit. Nogarolæ Officium & Missam cur sustulerit? Somnia Valdesii profligantur. Novi tumultus inde oborti. Ad eos sedandos novam Pontifex Constitutionem emisit, qua & Præcessorum Decreta renovavit.

ITaque, ut nuper vidimus, temporibus *Sixti* IV., id est anno 1476., quo primam is Constitutionem hac de re promulgavit, consignanda nobis est *Approbatio Apostolica* diei Festi Virginis Beatissimæ, *sine labe* conceptæ. Indeque etiam ejusmodi Solennitas, tanto suffulta præsidio, obviis ubique ulnis excepta est, nihil ut profecerint obtrectatores ejus, religiosi scilicet homines (etsi omnia sus deque verterent, nilque relinquerent intentatum) quin ad unum pene omnes, quotquot suum Christo Domino dederunt nomen, manibus in eam pedibusque certatim confluxerint, conspiraverintque. Aucta tum vero maxime Ecclesiarum in hancrem & Populorum mira confensio, quum anno 1546. *Tridentina Oecumenica Synodus* (quod a nobis observatum est antea) prænarratas *Sixtinas* Constitutiones solemniter confirmavit, ac pie inviolateque servari jussit. Atque adeo Cultus *Conceptionis Immaculatæ* hisce quasi gradibus a *privato*, ut olim erat (nempe Ecclesiarum particularium) *ad publicum* tandem ac totius Ecclesiæ Cultum conscendit: hocque modo a *Sixti* temporibus aut saltem *Concilii Tridentini*, quoquoversum in omnem ille Christianum Orbem permanavit.

Subsequutæ deinceps sunt eandem in rem complures aliæ Romanorum Pontificum diversis temporibus, diversisque de caussis editæ Sanctiones, de quibus singulatim infra, si de non uno nunc favore prius dixero, quo *Piam* hanc *Sententiam* ac *Cultum*, secundum illam Deiparæ *exhibitum*, exornavit perquam munifice *Pius*

hujus

hujus nominis V., Pontifex vere Maximus. Profectо, quod est ad ipsam *Sententiam*, is perhibetur omnium primus, qui Opinionem eidem contrariam & sane afflictam, in quam *Bajus* per insignem est audaciam delapsus, explicate reprobavit suo illo, quod ann. 1567. emisit, Diplomate: *Ex omnibus*; nimirum illo, quod duodecim post annis *Gregorius* XIII. propriæ Bullæ, cujus initium: *Provisionis nostræ*, inseruit atque vulgavit. Inter septuaginta autem & novem *Bajanas* propositiones, quibus Sanctus *Pius* V. ac *Gregorius* XIII. nigrum theta præfixerunt, sequens proditur ordine LXXIII. hisce digesta verbis: *Nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum; fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis*. (*) Integram dedi propositionem, duabus quidem partibus constantem, tametsi haud necessario connexis neque unum errorem continentibus: videlicet, ne quis forsan cum nupero Anonymo apud P. *Joannem de Luca* ansam inde adripiat rursus nugandi, cavillandi, aut potius insaniendi. Videatur laudatus Pater *de Luca*, si libet, vir peracri ingenio & doctrina non vulgari, loco jam citato.

In Dissert. de Imm. B. V. Conc. n. XXX.

Ceterum, *Piano* hocce in *Michaelem Bajum* Decreto, per *Gregorium*, ut prædictum est, innovato, omnes illius 79. Propositiones promiscue damnantur *uti hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, piarum aurium offensivæ*. Quale autem genus censuræ ex jam indicatis in unamquamque earum propositionum, aut saltem in 73. modo relatam conveniat, sane nec a *Pio* V. neque a *Gregorio* XIII. exserte explicatum est. Immo ne quidem ab *Urbano* VIII. (alterove, quod sciam, Romano Pontifice), etiamsi & ille Prædecessorum suorum recensita Diplomata nominatim probarit, instauraveritque in Bulla, quæ incipit: *In eminenti*, edita in lucem anno Christi 1641. Etenim, ut vere *Natalis Alexander*, nemo eorum, quos nominavimus, Pontificum, aliorumq; *singulas* illa *Baii* pro-

Secul. 2. in Hist. Eccl. Diss. 26. §. 21.

(*) Propositio isthæc (teste Ludovico Bail in *Summ. Concil.* Tom. I. pag. 774. edit. Patav. de ann. 1723. necnon Dionysio Petavio Tom. III. *Theologic. Dogmatum* Lib. 5. Cap. 13. n. 16.) per Sacram Theologiæ facultatem Parisien. anno Domini 1560. die 27. Junii confixa traditur, veluti *pro omnibus partibus hæretica, & Beatæ Mariæ Virgini Dei Genitrici, & Sanctis injuriosa*: utique præter fas ac severius justo, quodque hodie dicere per Apostolicas Constitutiones plane non licet.

propositiones 79. proscripsit, *ut hereticas, erroneas, scandalosas, suspectas, temerarias & piarum aurium offensivas* conjunctim, sed *respective* [ut loquuntur] & divisim, *ita ut aliquæ maxima, aliæ minori, aliæ minima harum censurarum configantur, aliæ his omnibus notis inurantur*. Sic quidem *Natalis* citatus, vir sane doctissimus, atque eruditissimus, qui & ibidem prout ad rem subjungit: *Quæ autem ordine LXXIII. est propositio* (illa scilicet, superius allegata : *Nemo præter Christum* &c.), *scandalum potest movere, si palam propugnetur, post Constitutionem Sixti IV. & Tridentinæ Synodi Exceptionem: unde inter alias propositiones damnandas involvitur*.

Et profecto, quin ex iis notis aliqua adspergi debeat antedicta *Baii* propositio, nemo unquam sanæ mentis fluitaverit. Attamen, ut quod res est, dicam liquido; nec *hæreseos* sane insimulari illam fas est, nec olim *erroneam* dicere. (*) Alterum quippe vetat ratio ipsa, ut alibi ostendetur; alterum ipsemet *Pius* V. diserte prohibuit novo illo, quod ann. 1570. promulgatum est, Diplomate, quodque sic orditur: *Super speculam Domini*. Hæc quo cuivis planiora & clariora fiant, abs re non erit, si heic paullulum subsistamus, ac nonnulla ex eo delibata Decreto in medium adducamus. Sane, quum nullus unquam esset modus (proh dolor!) litium, jurgiorum scandalorumque, quin etiam increbrescerent in dies, utique præpostero atque intempestivo quorumdam zelo, præsertim Præconum Verbi Dei; quumque id probe nosset ac graviter ferret admodum Sanctissimus Pontifex, ita initio laudati Diplomatis jure eos perstringit castigatque, *qui* (ait) *cum de gloriosæ Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis Dogmatibus esset, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ convenire videtur*: Dicunt, *ait Dominus*, cum ego non sim locutus *cum Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Magistra, & doctrix Disciplina, de ea re hucusque non definierit, nemo absque temeritate præjudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest*: & quæ sunt alia his similia, ibidem per otium conferenda.

Deinde, præhabita *Sixtini* Decreti, per *Concilium* quoque *Tri-*

(*) An vero nunc post *Alexandrum* VII. Opinionem *Immunitati* oppositam *Erroneam* liceat dicere, nec ne? constabit ex dicendis infra Cap. XIX.

Tridentinum innovati, luculentissima confirmatione, ut contentiones & scandala inde oborta in posterum cohibeantur, idem *Pius* V. vetuit §. 2. *cit. Bullæ* sub pœnis revera gravissimis, simulque promeritis, in popularibus Concionibus de *Conceptione* Beatæ Virginis disputare in alterutram partem, aut ea de re quicquam scribere vel dictare sermone vulgari. Hæc sunt autem *Pianæ Bullæ* verba conceptissima, ut extant in *Bullario Romano*. *Perpetuo statuimus & ordinamus, ac per Apostolica Scripta* [inquit Pontifex] *mandamus, quatenus nemo cujusque ordinis, gradus, conditionis vel dignitatis existat, in popularibus Concionibus, vel ubicumque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Qui contra fecerit, Suspensionis pœnam a Divinis absque nova declaratione ipso facto incurrat, si modo* &c. Infra vero §. 3. ille ipse confestim addit: „ Ceterum, quamdiu per A„ postolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque „ sententia condemnata, liceat viris doctis, in publicis „ Academiæ disputationibus, sive Generalium aut Provincialium „ Capitulorum, vel ubi alias intersunt, qui rem capere „ possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa quæstione „ differere, & argumentis utramlibet partem vel asserere „ vel impugnare; dum tamen neutra, veluti ERRONEA „ prædicetur, serventurque illa omnia, quæ a dicto Sixto „ (scilicet *Quarto*) prædecessore nostro, statuta sunt, quorum „ singula, ut præfertur, etiam quantum ad alias pœnas, „ duximus innovanda, & innovamus (*ait*) per præsentes. „

Tom. 2 pag. 247. Ed. Rom. an. 1638.

Rursus, quod pertinet ad *Sixtinæ Constitutionis* innovationem, a *Sancta quoque Synodo Tridentina* jam adprobatæ; antea [seu §. 1.] id ipsum *Pius* edixerat multo luculentius, ita scribens: *Nos igitur, qui Prædecessorum nostrorum saluberrima Decreta pro viribus salva esse cupimus, potissimum illa quæ a Sacrosancta Synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquimus opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium vel magis probabile esse judicaverit. Prædictorum igitur Concionatorum, aliorumque contentioni atque temeritati Populorumque scandalis occurrere studentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Statuimus sel.*

re-

record. Sixti IV., Prædecessoris nostri, super ea re, quod a præfata Synodo INNOVATUM est (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plene ac sufficienter expresso & inserto habentes) Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus.

Ex qua proinde *Piana* Constitutione, hactenus producta (si vel leviter expendatur) sole est clarius, Sanctum *Pium* V. non ea unquam mente fuisse, ut propositionem præfatæ *Bajanæ* Septuagesimæ tertiæ oppositam (id est, Deiparam Virginem, quum est concepta, nullum traxisse *originis* peccatum) Dogma esse Fidei Catholicæ existimaret. Enimvero, tum ipse utramvis diffidentium partem, uti *erroneam*, traduci noluit; tum etiam Sanctionem a *Sixto* PP. emanatam atque a *Tridentino Concilio* renovatam (quæ plane nihil tale olet) universim, nullaque exceptione, probavit; tum denique palam testatus est neutram de illis esse Dogmatis, quæ *corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem* necesse sit. Adeoque evidenter hinc ostenditur, non eam propositionem a *Romana Sede* damnatam esse veluti *hæreticam* aut *erroneam*; sed uti duntaxat censura inustam benignori longe atque indulgentiori; hoc est, illa ipsa, qua is inureretur, qui aut *Nativitatem* Virginis non *Sanctam*, id est non Virginem in utero *Sanctitate* donatam diceret, aut *Corporalem* ejusdem in Cœlum *Assumptionem* pernegaret. Nempe, eam Pontifex confixit (*Natali Alexandro* teste) sin minus uti *temerariam* & *suspectam* (quamquam & ita appellare per nullum ex Summis Pontificibus est vetitum), at certe veluti *scandalosam* ac *piarum aurium offensivam*; quippe quod & ab ea Christianus Populus fere omnis abhorreat oppido vehementer, & jam diu antea ejus contrariæ, seu piæ *Immunitatis* Sententiæ, indicto Cultu religioso universa, qua late patet, patrocinetur Ecclesia.

Quum vero audis, *Pium* V. liberam unicuique facultatem reliquisse *tenendi* atque etiam *asserendi utramlibet partem*, qua affirmantium qua etiam negantium Beatissimam Virginem Adami labe caruisse; sic habeto, ut per eum liceat ita sentire citra ullum *hæreseos* crimen, aut, si mavis, citra notam quoque *suspicionis* vel *erroris*; non vero etiam citra *scandalum*, citra *offensionem piarum aurium* atque Populorum: vel (ut ipsemet ait) ut id tantum tradere ac sentire fas sit *viris Doctis*, idque solum *in publicis disputationibus, vel ubi alias intersunt qui rem capere possunt, nec SCANDALI ulla subest occasio*; secus

vero minime. Quæ autem in utramque ita partem disputandi facultas, atque utramlibet propugnandi, vel illorum etiam, quibus libet purissimæ *Virginis* Conceptioni, *naturæ*, ut ita loquar, vitium offundere, sive parentalem Adæ maculam affricare, non restricta modo, sed etiam penitus ademta est per insequutos Pontifices, *Paulum* V. *Gregorium* XV., atque *Alexandrum* VII., ut alibi multo fusius atque luculentius. Et per eosdem ulterius laudatos modo Pontifices (de quibus infra) perque ea, quæ illi hac de re post *Pium* sancivere, nimirum ubi fautores Opinionis afflictæ, seu *pollutæ* Conceptionis, silere penitus jussi sunt; clamque palamque libera loquendi copia, ac quo in id lubet idiomate utendi, saltem quum e suggestu Piam Populo commendamus Sententiam, unis solis istius Patronis & Assertoribus facta est atque vindicata. Idque insuper jam diu nunquamque non obtinuit, sive tacito Pontificum consensu, sive etiam expresso. Eapropter *Piano* sane Decreto derogatum est, qua parte cavet, ne quis ultro citroque *in popularibus Concionibus*, *vel ubicumque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet*, hac de controversia disputet, aut quovis de ea prætextu *scribere* præsumat vel *dictare sermone vulgari*: ut proin quod pœnas respicit in refractarios inflictas, eas jam eviguisse (intellige quoad Præservationis vindices) ex *Emmanuele*, quem citat, *Roderico*, probe notat *Raynaudus*. Sed jam oportet, ut unde abivimus, illuc & revertamur.

Tractat. de Pietat. Lugd. pag. 306. col. 1. Tom. 8. Oper. &c.

Igitur ex iis, quæ commemoravimus, apparet, quot quibusque prosequutus sit favoribus Virgineæ *Immunitatis* Sententiam *Pius* V. summus Sacrorum Antistes, ac Romanus Pontifex. Is autem jam non erat ex *Franciscanorum* cœtu (ut per injuriam de *Sixto* nonnulli olim rixabantur): immo vero contra, non nisi ex illustri is Familia S. *Dominici* ad Petri fuerat Cathedram evectus. Nihilo tamen minus, quod olim in id rei *Sixtus* instituit, quodque dein *Synodus Tridentina* nemine reluctante comprobavit; illud ipsum plane & Sanctus *Pius* V. ratum ita habuit Apostolica auctoritate, *ac si de verbo ad verbum* (sic enim relata Constitutione loquitur) *esset insertum*. Atque hic quidem non exiguus sane est favor: cui si addas alterum, nempe quod Opinionem ex diametro huic adversam in *Bajo* ille, ut diximus, præfocaverit (id, quod nemo præstitit ante ipsum); quis, amabo, non videat ac fateatur, Piam *Præservationis* Sententiam novis per eum favoribus, magni-

gnique momenti, auctam cumulatamque fuisse? Hæcque de *ipsa Sententia* satis multa.

Venio ad *Cultum*, secundum *Piam* ejusmodi *Sententiam* Virgini Dei Genitrici præstitum. Et sane, ad illud usque tempus, quo *Pius* V. ex Sacro *Prædicatorum* Ordine Romanam Sedem adiit, nullo quisquam præcepto, quod quidem ab *Petri* Cathedra dimanarit, *Conceptionem* Deiparę celebrare jussus est. Nam *Sixtus* IV., uti ex nuper constitutis liquet, neminem profecto id sentire, neminem Officio Ecclesiastico ac Missa id colere (Virginem scilicet fuisse sine omni peccati labe conceptam) edicto compulit; sed probato duntaxat vindicatoque id genus Pio Sensu & Cultu, ut idem omnes & pie sentiant & colant, impensissime est cohortatus, ac conlatis quoque ex Christi Ærario Indulgentiis invitavit potius quam adegit. Igitur *Pius* V. is est, qui ex Romanis Pontificibus *Mariani Inculpati Conceptus* Cultum, eorum, qui præcesserant, omnium maxime amplificavit: quodque antea peragere, aut non, cuivis erat liberum, primus ille, ne abstineas posthac, edita lege cavit atque constituit. Quum enim Canonicis Horis seu Precibus reformandis omni studio ille incumberet ac desudaret, e Calendario Breviarioque Romano *Conceptionis* Officium haudquaquam ejecit; uti inter alia ejecerat & illud *Præsentationis* ejusdem Beatæ Virginis, quod dein *Sixtus* V. restituit ann. 1585., exemplum, ut reor, sequutus *Gregorii* XIII., qui anno præcedenti in Bulla 87. *Sancta Mater Ecclesia*, in pristinum jam locum reduxerat Festivitatem *S. Annæ*. Sic & postea S. *Joachimi* Officium, quo prius loco, esse jussit *Gregorius* XV. sua in Constitutione 39. *Apostolatus Officium*, data ann. Domini 1622. Immo non modo non ejecit, non illud inde *Pius* resecuit, quam etiam sic retinuit suo immotum loco, ut, dum *Breviarium* ac *Missale* ex Concilii Tridentini Decreto ab se repurgatum toti Ecclesiæ proposuit (in Bulla nempe LXIV. *Quod a nobis*, quam ille edidit anno 1568. ac refertur pag. 196. *cit. Bullarii Romani* Tomo II. necnon Constitutione CVI. *Quo primum tempore*, ann. 1570. publici juris facta, eidemque *Bullario* pag. 235. inserta), & Missam & Officium *Conceptionis* ejusmodi, *de præcepto* in posterum legendum ac recitandum imperarit, primus utique omnium, ab Clero universo. Quis enim, quæso te, nullius adeo pudoris ac mentis, ut negare ausit eum, qui Canonicas tenetur Precationes persolvere, Missamque decantare aut legere quoquo modo, *præcepto* obstringi, scilicet ne alio in id

Constit. 2. *Immensa æterni*, Tom. II. Bullarii, pag. 376.

rei *Breviario* vel *Messali* deinceps utatur, quam illo ipso, quod dudum *Pius* reparavit, quodque statuit *nullo unquam tempore* (sunt hæc ejus verba disertissima) *vel in totum, vel ex parte mutandum* esse, prohibuitque *vel ei addi quicquam vel omnino detrahi* sub *indignationis suæ* pœna, aliaque proprio muneri atque obligationi neutiquam *satisfaciendi*? potissimum vero, quum & *Clemens* VIII. & *Urbanus* item VIII. (cujus hac de re *Constitutiones* descriptas habes, præfixasque initio *Breviariorum* paullo vetustiorum, *Missaliumque* Romanorum sane omnium) hoc ipsum quoque instaurarint, atque iteratis vicibus observari præceperint. Aut quis (per superum, hominumque fidem!) tam insigniter impudens ac stultus, ut quum *mutare, addere, demere* judicio Pontificio audit prorsus vetitum; festorum tamen dierum unum alterumve, illorum nempe, qui *Piano Breviario* ac *Missali* continentur (cujusmodi est ille *Conceptionis* Deiparæ), intervertere, præterire penitus, atque pro suo cujusque arbitratu omittere, licitum arbitretur?

In Const. 86. *Cum in Eccles.* & Const. 10?. *Cum Sanctiss.* T. 3. cit. Bull.

Sed quæret fortassis ex me aliquis: Eccur ergo *Nogarolæ* de hoc Mysterio *Officium* (idem & de *Missa* dicito) *Pius* V. omnino delevit, atque a *Breviario* ablegatum voluit? Huic petitioni anteaquam ego faciam satis, illud placet heic, uti rem, de qua nullus dubitaverit, observare, Sanctissimum Pontificem loco sublati *Officii*, a *Leonardo de Nogarolis* adornati, non *novum* aliquod invexisse, quod quidem primum ille curarit elaborari; sed id duntaxat detinuisse, tenerique ab omnibus, qui rem Divinam cum *Ecclesia Romana* facerent, jussisse, quod vel tum quoque (alicubi saltem) obtinebat, quodque magnum præ aliis pondus antiquitatis commendabat. Sane, est mihi præ manibus *Breviarium Romanum*, ducentis annis antiquius, Venetiis nempe procusum (gothicis characteribus) in Officina *Lucæ Antonii Juntæ* anno Domini 1534. Mense Septembri; adservaturque in Bibliotheca FF. Minorum Reformatorum *Medii S. Petri*. Quo in Breviario die 8. Decembris (*pag.* 221.) ita, prout ad rem, legitur: *In Conceptione Beatæ Mariæ Virginis omnia dicuntur, sicut in NATIVITATE ejusdem, præter Lectiones* (*) *& excepto, quod ubicumque tunc dicitur NATIVITAS*

(*) Has *Pius* V. non retinuit, sed alias subrogavit, fortassean, quod conflatæ

TAS, *heic dicitur CONCEPTIO*. (*) Officium porro *Nativitatis* ibidem exhibetur a *pag.* 314.; estque (collatione per me facta) fere ipsissimum, quod jussione *Pii PP.* a Romana etiamnum recitatur Ecclesia. Hæcque in *Corpore*: sub finem autem in *Auctario* vetusti istiusmodi Breviarii *pag.* 394. *ac seqq.* Sixtinum prostat Officium *Conceptionis Immaculatæ*, a *Nogarola* compositum; illud scilicet ipsum, quod apud *Franciscanos* ad hunc usque diem in usu est, utique cum ejusdem *Pii V.* permissu, quem *vivæ vocis Oraculum* vocant. Certe, quod *Pius* id *Francisci* Asseclis concesserit, testis est locuples *Vincentius Justinianus* ex Ordine *Prædicatorum*; ac ipsa quoque ratio suffragatur plurimum. Nam ex quo semel *Sixti IV.* ævo occepta est *Nogarolici* recitatio Officii, eandem *Minorum Ordo* non intermisit nec interrupit unquam, ne *Romæ* quidem, nedum alibi: idque *Pontifice*, totaque Urbe inspectante, nec ullo prorsus mussitante aut reclamante quic-

In Additione ad vitam S. Ludovici Bertrandi.

tæ illæ sint ex Epistola *de Concept. B. Virg.* nomine S. *Anselmi Cantuariensis* perperam insignita, ut fuse ostendit *Natalis Alexander* in Hist. Eccl. Seculi XI. & XII. Cap. VI. art. 2:

(*) Paria omnino totidemque fere verbis, videre est vel in aliis Romanæ Ecclesiæ Breviariis, in quę nuper incidi, multo etiam vetustioribus; illo scilicet de ann. 1515. *Venetiis* item impresso per Jacobum Pentium de Leucho pag. 238. necnon altero *Cremonæ* edito in Fol. per Carolum de Darleriis ann. Incarnati Verbi 1499. Lit. AA. V. 5. & 6. Hæc autem Breviaria habentur in Castro, quod dicitur *de Thunn* Anauniæ Vallis, unde Comites Illustrissimi atque Excellentiss. *Thunniorum* cognomen tulerunt. Porro in posteriore hocce Breviario *Edit. Cremon.* Lectione IX. hæc leguntur: *Celebremus ergo hodie dignis officiis alacriter utramque ejus Conceptionem, spiritualem scilicet & humanam: ut ipsius meritis & precibus* &c. Per *spiritualem* Conceptionem, uti constat ex præcit. Epist. sive Serm. supposititio *de Conc. B. M. V.* unde Lectiones ejusmodi ad unam omnes deprompta sunt, intelligitur illa, *qua ipse animarum Creator animam suæ Matris dignam & Sanctissimam Corpori Virginali ejus ministrantibus Angelis copulavit*, seu *qua spiritualis anima nova & pura Deo operante corpori divinitus adjungitur*. Ita disertissime *laud. in Serm.* paullo ante recensita verba, ubi & subditur: *Si non placet illis celebrare Dominicę Matris carnalem Conceptionem* (id est, carnalem viri ac mulieris conjunctionem); *saltem placeat celebrare ejus animæ spiritualem creationem corporisque cum anima copulationem*. Quibus palam fit (ut dicam obiter) jam ab anno 1499., immo vel ab ipso exordio conditæ id genus Celebritatis Objectum Cultus Ecclesiastici non fuisse aliud, quam primum illud temporis momentum, quo B. Virginis anima Sanctissima Corpori ejusdem juncta est, verbo, *Conceptionem Immaculatam*. Insertam habes præfatam *Epistolam*, sive *Sermonem* adulterinum Tom. II. Operum *S. Anselmi* fol. 246. & 247. Venet. Edit. de ann. 1744. ubi & ejusdem Tomi initio leges Censuram in id genus fœtum latam a *Gabriele Gerberon*, Monacho Congregationis S. Mauri.

quicquam. Immo, ne clanculum id factum obtendas, ejus generis *Officium* suis ipsorum Breviariis, etiam *Romæ* editis, approbante vel ipsomet *Sacri Palatii Apostolici* Magistro, palam insertum habes. Nisi autem *Pius V.* viva id voce permisisset, ejusque exinde in Apostolatus culmine Successores firmum fixumque habuissent; an ii sui adeo muneris incuriosi, ut silerent, ut dissimularent, nec ullus eorum tantum facinus, audaciam tantam retudisset?

Jam vero ad illud progrediamur, cujus caussa hæc præfati sumus. Sciscitari ergo si instes atque inquirere: quanam sit motus ratione *Pius* Pontifex, ut abrogaret Officium *Nogarolæ?* responsum cape, non illud quidem *Ferdinandi Valdesii* in Epist. VI. pag. 64. (quo cum nunc nobis disputatio), sed aliud longe verius certiusque ejusdemmet *Pii* Papæ verbis mox subtexendum. Audiamus prius, quid heic miri & magni suis *Valdesius* enarret Lectoribus. Ita enim differit cit. loco: *Pius V. Sanctissimus Pontifex, ut pacem inveheret* (quippe antea dixerat, lites & jurgia hanc ob caussam cum in Scholis, tum extra Scholas increbuisse; plus nimio sane), *deleto Nogarolæ Officio & Missa, & etiam titulo, quod ibi SPURIA quædam minimæ ferenda legerentur, THOMISTICUM Officium ac Missam invexit, quæ tam affirmantibus, quam negantibus Præservationem Virginis convenire possent, & neutri Sententiæ obessent*. Pauca quidem hæc sunt verba; at in iis vitia non pauca. Fateor quidem, Nogaroliano in Officio *Spuria quędam* contineri. Ast nunquid per ea tempora ulli id mirum videri potest? Nondum enim Critice tunc illuxerat, hoc est Ars germanos foetus a spuriis secernendi, certos ab incertis; quemadmodum postea felicissime est factum, opera & studio Virorum undequaque doctissimorum. Nescio autem, an *Spuria* hæc tanti momenti sint, ut a Valdesio *minime ferenda* censeri jure possint. Certe, si ita res haberet; quei, rogo, talia recitari ab universo *Minorum* Sodalitio tulisset Pontifex Sanctissimus, nedum concessisset? An forte, quod indignum est judicatum, minimeque ferendum in *tota* Ecclesia, id in *parte*, eaque non parva, atque ubivis pene terrarum diffusa, non ita est visum? Deinde falsum quoque est illud *Valdesii* dictum, inquientis, hac ipsa de caussa sublatum a *Pio V.* fuisse *Nogarolæ* Officium, & Missam, *quod ibi Spuria quædam minime ferenda legerentur*. Falsissimum insuper & alterum, quum ille addit, Sanctissimum Pontificem Officium hujusmodi suppressisse, ejusque loco *Thomisticum* invexisse, *ut pacem inve-*

he-

beret. Præclarum ſane Pacificatorem nobis exhibet *Valdeſius*! Ubinam enim Pax ſtaret inter contendentes, ſi quidem *Thomiſticum* Pontifex induxiſſet Officium altero deleto factionis oppoſitæ? Invehi ne, quæſo, Officium poteſt unius tantummodo factionis proprium, quin alteri, toto cœlo diverſæ, officiat hilum?

Negari ſaltem neutiquam poteſt, quin ejus rei nullum in Pianis Decretis veſtigium ſuboleat. Immo contra, cuivis Decreta illa vel leviter agitanti eſt manifeſtiſſimum, *Pium V.* e potiſſimum de cauſſa reformando *Breviario Romano* (idem dic de *Miſſali*) operam impendiſſe, quod id injuria temporum ab antiqua precandi formula, *Gelaſiana* prǽſertim ac *Gregoriana*, haud parum deſciverit. Hinc ei *neceſſaria viſa res eſt* (ſic namque *Pius* loquitur initio Conſtitutionis, *Quod a nobis*, ſupra laudatæ) *quæ ad priſtinam orandi regulam conformata revocaretur*. Hæcque prima eſt cauſſa ſuſceptæ Reformationis ejuſcemodi; quæ tamen cum in alia pleraque, tum in *Conceptionis* quoque Officium nequit plane convenire. Etenim non ea id vetuſtate eſt, ut in *Gelaſium* aut *Gregorium* I. inſtitutio ejus referri poſſit. Altera cauſſa, quæque huc congruit, in eo erat, quod *Pius* probe ſciret *in provincias paulatim irrepſiſſe* (utor ipſius verbis eodem loci) *pravam illam conſuetudinem, ut Epiſcopi in Eccleſiis* ſuis *privatum ſibi quiſque Breviarium conficerent, & illam communionem, uni Deo, una & eadem formula preces & laudes adhibendi, diſſimillimo inter ſe, ac pene cujuſque Epiſcopatus proprio Officio diſcerperent.* Ex qua porro diſcrepantia tanta, ſeu multiplici hoc genere Breviariorum Officiorumque, magna defluxit ſeges malorum, quæ Sanctus ibidem Pontifex conſectatur. Iis autem opportune ut ipſe mederetur malis, atque ut deinceps Deo ſerviatur ab omnibus labio uno, omnia id genus varia variorum *Breviaria* ſuſtulit prorſus atque abolevit. Proinde ex tot tantiſque, quæ vulgo circumferebantur, *Breviariis*, atque *Officiis* plane variis, tametſi ejuſdem plerumque Myſterii, unum aliquod omnibus commune prǽſcribere neceſſe fuit. Accedebat tandem in eandem rem & *antiquitatis* ſeu amor, ſeu veneratio. Nam Eccleſia Romana præ aliis omnibus totius Orbis Eccleſiis veterum ſemper fuit rituum tenaciſſima. Propterea, idem *Pius V.*, ceu jam ſemel indicavimus, a *Breviario* ſuo expulit *Præſentationis* Officium, diemque feſtum *S. Joachim*; quia iſthæc ſibi non ſatis antiqua tum videbantur, ac par eſſet, ſeu ipſe fortaſſe requireret. Atque hinc cauſſam habes plane omnem, qua adductus Pontifex *Nogarolæ* Officium emovit a *Breviario* atque amandavit. Scilicet ea fuit unica, quod poſterius ſeu

re-

recentius id esset immissum, hoc est, non tantam præ se ferret antiquitatem, auctoritatemque doctrinæ, quanta in id rei suo ipsius judicio maxime opus erat, aut quantam alterum, quod retinuit, præ se ferebat. Vix enim nonaginta effluxerant anni, ex quo illud *Leonardus Nogarola* in Ecclesiæ usum concinnarat. In ejus ergo locum *Marianæ Nativitatis* Officium subrogatum est, atque illud diei festo *Innoxii Conceptus* a Sanctissimo adscriptum Pontifice, quod erat sane antiquissimum ceterorum. Nempe illud, quod Pontifex ad veterem reduxit normam, *Helsino* (seu potius *Elsino*) Abbati Ramesiensi, ut fertur, in revelatione propositam; estque idem ipsissimum, quod in allato pervetusto *Romano Breviario* videri potest de ann. MDXXXIV. Itaque *Pius* Papa istud alteri prætulit, quod multo præcelleret vetustate, hocque unum indixit omnibus, altero posthabito pulsoque, ut teneret unitatem in Sacris precibus, ac tolleret inde varietatem.

Ruunt hinc vero sponte sua, abeuntque, ceu fumus in auras, vel alia quoque *Valdesii* somnia, jam antea ex illo in medium prolata. Primo enim omnium, quid, rogo, evanidum magis ac commentitium, quidve alienius a veritate, quam quod ipse Scriptis reliquit, Sanctum videlicet *Pium V.*, obliterato eo, quod *Nogarola* exaraverat, *Thomisticum* de Conceptione *Officium ac Missam* intulisse? Etenim, Officium illud, quod edicto *Pii* etiamnum viget, non jam ipse a *Thomistis* mutuatus est, ut videre licet in *Romanæ Ecclesiæ* Breviariis, eodem *Pio*, uti diximus, multo vetustioribus. Nam si Pianum hoc Officium cum illo conferas, quod in prælaudato visitur Breviario, ann. 1534. ideoque ante *Pium V.* typis tradito (ut nihil dicam de aliis antiquioribus supra in *nota* ad calcem pag. 59. memoratis); invenies profecto, utrumque apprime consentire, nihilque inter ea discriminis intercedere. Illudque præterea certum, ut nihil magis, tale quid ante istius Pontificis tempora a *Thomistis* nunquam recitatum: ab iis intelligo *Thomistis*, qui pro *Conceptu maculoso* a ceteris segreges, ingenti fragore omnique conatu declamabant. Immo, ne quidem ad usque Pontificatum *Gregorii* XV.; prout pluribus alio in loco. Quod vero nihil ejusmodi *Thomistæ* usurpaverint ante *Pium*; testem damus, quem? Sane locupletissimum, omnique exceptione majorem, nempe *Ambrosium Catharinum*, qui hanc ipsam ob caussam suos haud immerito Gregales objurgat; quod cum Ecclesiæ hac de re renuant consentire, idque Festi

ge-

genus peragant ſub *Sanctificationis* nomine, neutiquam *Conceptionis*. Accipe ejus verba. *Feſtum*, inquit, *SANCTIFICATIONIS poſtea eſt introductum adverſus Eccleſiam, quæ ſub nomine CONCEPTIONIS celebrabat*, *ab iis qui falſam celebrationem illam putabant*. *Ne autem* (addit) *ex die omnino ſilerent*, *SANCTIFICATIONIS Feſtum nulla Eccleſiæ auctoritate probatum invexerunt*: *quod ſolum apud Noſtros*, *nec hoc in toto*, *ſed in dimidiato Ordine durat*. (*) Talia Romanis typis Vir eximius, ac impenſe doctus, poſteritati mandavit (id quod eodem etiam Opere repetit colum. 112.) ſub annum 1551., nempe ſeptendecim annis ante Bullam: *Quod a nobis*, a Pio V. editam ac promulgatam. Itaque, quod mandato *Pii* hodienum quoque habemus *Conceptionis* Officium, neque alio ſub nomine, quam *Conceptionis*, nemo plane dixerit *Thomiſticum* illud eſſe, niſi qui in ſomnis tantum videt aut ædificat in nubibus. Vide, ut alios prætercam, *Vaſquium* in 3. p. *S. Thomæ* quæſt. 27. art. 2. diſp. 117. cap. 5. num. 70. nobiſcum apprime heic conſentientem. Is autem graviſſimus ille Theologus eſt, de quo non immerito *Lampridius* Cap. VI. pag. 39. = *quem indicaſſe*, *laudaſſe eſt*: ut mirer, qua poſſit fronte ab eo hac in re ipſe diſſidere.

Pars. 2. ck. Diſp. col. 109.

Alterum dein *Valdeſii* ſomnium in eo eſt, quod ipſe dicat, tale Officium ac Miſſam *Pium* induxiſſe, *quæ tam affirmantibus quam negantibus Præſervationem Virginis convenire poſſent & neutri ſententiæ obeſſent*. Idem quoque antea (Epiſt. V. pag. 48.) aliis verbis: *Et quum*, ait, *Pius V. ad univerſam Eccleſiam Officium & Miſſam*, *quibus nunc utimur*, *extendit*, *ita ea temperavit*, *ut & contrariæ Opinioni adhærentes ſub objecto SANCTIFICATIONIS Feſtum celebrarent*. Verum enimvero, ſi hoc non eſt ſomniare aut fingere, quid erit tandem? Nam *Pius* ex dictis non *Thomiſticum* de hoc Myſterio Officium ac Miſſam invexit, ſed aliud contra, totoque cœlo diverſum; nempe illud, *Nogaroliano* etiam longe antiquius, ab iis duntaxat uſurpatum, qui non cum *Thomiſtis* facerent, ſed qui cum Romana Eccleſia, id eſt Catholica, colebant *Immunitatem*. Ad hæc,

K ut

(*) In ejus rei confirmationem duo heic damus antiqua Breviaria Sacri Ordinis Prædicatorum, a *Thyrſo Gonzalez* laudata Diſp. 2. *de Certitudinis gradu* Sect. 19. num. 225. alterum *Venetiis ann.* 1546. alterum *Salmanticæ* excuſum de anno 1579. In utroque autem hujuſce Feſti Officium reperitur ſub titulo *Sanctificationis*, neutiquam *Conceptionis* &c.

ut infra dicetur fusius, ita vel ab ipsis quoque Adversariis; qui *Præservationem* Virginis pernegabant, *Pianum* id genus Officium exceptum est, ut ab eo omnino abhorrerent, neque illud recitarent unquam, nisi abraso penitus *Conceptionis* nomine, alteroque in ejus locum submisso *Sanctificationis*: quod tandiu duravit, donec *Gregorius* XV. ferre id amplius non valens, tandem exertissime proscripsit. Quam in rem præclare Natalis Alexander: *Ecclesia decernendo, ut non amplius sub* Sanctificationis, *sed sub* Conceptionis *nomine illa Deiparæ Solemnitas celebraretur,.... in eam se magis propendere partem ostenditur, quæ* Immaculatam *opinatur*. Taceo, nihil ejusmodi ex *Pianis* unquam posse *Bullis* elici; neque ullis id, ut reor, probari monumentis veterum, quorum *Valdesius* alias est investigator quam diligentissimus. Facessat igitur *Valdesius*, ubi nobis scribit *Thomisticum* a *Pio* V. Officium imperatum fuisse, prætereaque quum addit ita ab se se id temperatum atque adcomodatum, ut utrique diffidentium parti congruere queat, obesse autem neutri. Quod est sane quærere in plano latebras, caliginemque Lectorum oculis offundere; ne quid dicam acrius: Lubet autem hoc loco adtexere, quid hac de *Officii* mutatione a *Pio* V. facta sentiat Eximius Doctor *Suarez* non semel a Theologo etiam Mutinensi laudatus. *Neque enim, ait, id fecisse credendus est* (S. Pius V.), *quia aliquid FALSUM in illo Officio contineretur, sed quia omnia voluit ad antiquum morem revocari. Sicut etiam B. Annam & S. Rochum e Kalendario expunxit, quo nihil eorum Sanctitati derogatum est. In eo vero, quod Festum Conceptionis & Nativitatis eodem Officio celebrari voluit, utriusque Solennitatis propria ratione retenta, huic nostræ* (de Præservatione) *Sententiæ non parum favit*. Ita ille oppido sapienter.

In Hist. Eccl. Sæc. 1. Dissert. 16. alias cit. & 43. Ad tert. prob.

Tom. 2. in 3. Part. Disp. 3. quæst. 27. art. 2. sect. 5.

CA-

CAPUT VII.

De Paulo V. & Gregorio XV. Romanis Pontificibus, deque non uno favore Piæ de Intemerata Conceptione Sententiæ atque ejusdem Cultui per eos conlato. Silentium indictum pugnantibus pro Opinione contraria; idque sub Anathematis interminatione, non tam quoad actus publicos, quam privatos etiam. Cuivis insuper a Gregorio vetitum, in Sacrificio Missę, divinoque Officio celebrandis alio uti nomine quam Conceptionis. Ex Pontificio hocce Judicio, quę consectaria fluant? Valdesii in id rimæ præcluduntur, quem cum suo Lampridio ab violatis Maximorum Pontificum Decretis difficile est defensare.

HActenus de S. *Pio* V. qui sane plus primævo Virginis Candori favit tribuitque, quam *Sixtus* IV. fecerit: adcoque inter præcipuos is Romanæ Ecclesiæ Pontifices habendus est, qui *Immunitatis* Sententiam, Cultumque *Marianæ Præservationis* diduxerunt latius atque propagarunt. Jam vero & de aliis Romanis Pontificibus differendum: ac quidem hoc Capite de *Paulo* V. necnon *Gregorio* XV.; de reliquis autem in sequentibus. Atque *Paulum* V. quod adtinet; & is plane hoc in negotio ne pilum quidem deflexit unum ab vestigiis, ab instituto Prædecessorum suorum: quod & aliis commune est per intervalla insequutis, Romanis summis Pontificibus.

Paulus V. ergo Pontifex Maximus, videns Decessorum suorum Constitutiones, superius laudatas (hoc est *Sixti* IV. & *Pii* V.) omni prope modum effectu carere, neque a jurgiis & scandalis quicquam cessatum, quin & graviora exoriri in dies seu hominum injuria seu temporum; efficacioribus remediis obviam ire ac morbum hunc ingravescentem curare tandem in animum induxit. Quapropter, anno 1616. Constitutionem ipse vulgavit, cui initium: *Regis Pacifici*; legiturque Tomo III. *Bullarii Romani* citatæ alias Editionis pag. 256. In qua quidem Paulina Constitutione (ut summatim dicam) recitatis primum *Sixti* ac *Pii* Bullis, iisdemque diserte ac de verbo ad

verbum confirmatis, pœnæ demum Transgressoribus augentur *ipso facto incurrendæ absque alia declaratione*; a quibus nonnisi per Romanos Pontifices absolvi quisquam possit, aut super iis ullatenus dispensari. Pœnæ autem hujusmodi illis additæ, quas *Sixtus* & *Pius* contra inobedientes decreverunt, sunt plane quę sequuntur: nempe Privatio perpetua *facultatis concionandi, publice legendi, seu docendi & interpretandi ac vocis activa & passiva in quibuscumque Electionibus*, necnon ejus generis aliæ ejusdemmet *Pauli* V. successorumque Pontificum *arbitrio infligendæ*.

Verumenimvero, ea est animorum, non pro veritate, sed pro anteceptis Opinionibus, proque Gentis suæ gloria depugnantium conditio, ut nonnunquam ne pœnis quidem propositis, quamlibet magnis atrocibusque, in officio contineri se sinant, nisi alterutri diffidentium parti vox interdum & calamus eripiantur; id quod præsenti accidit in controversia. Nam, posteaquam *Paulus* V. præcedenti sua Constitutione haudquaquam provisum satis comperisset; perspectumque haberet malorum omnium, quę in Christiano Populo hac de caussa quotidie succrescebant, fontem atque originem ex relicta *unicuique* per Pium V. *libera facultate tenendi & etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit* (Beata Virgo) *concepta cum peccato originali*, unice promanare: vix exacto ab edita priori Constitutione anno, novum in Generali *S. Romanæ & universalis Inquisitionis* Congregatione Decretum promulgari curavit tenoris, qui sequitur. Videlicet, cum experimento didicerit Pontifex, provideque consideraret, *ex occasione assertionis affirmativæ in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriri in Populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, jurgia & dissensiones; propterea volens* ipse *hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit & præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat & præcipit omnibus & singulis &c. ut in posterum, donec articulus hujusmodi a S. Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel ..... aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus & aliis quibuscumque ACTIBUS PUBLICIS asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali*. Si quis autem contravenerit, taleque Edictum violare ac vel latum unguem transgredi ausus fuerit, *eadem Sanctitas sua voluit & declaravit sub jacere* eum *debere, & subjicit censuris & pœnis, contentis in su prædictis Constitutionibus suorum prædecessorum, & sua, ipso fact incurrendis*. Hæc *Paulus* V.; non *Gregorius* XV. (ut deceptu

me-

memoria prodidit *Lampridius* Cap. 1. pag. 3.) neque anno 1622., sed 31. Augusti ann. 1617., quo scilicet supremus Ecclesiæ Hierarcha necdum *Gregorius* fuerat renuntiatus. Non quod is nullam huc omnino Sanctionem tulerit (tulisse autem mox ostendam), sed quod non illam, quam ei *Lampridius* adsignat.

Ceterum, ne videar de industria quicquam præteriisse; placet & alia, quæ huc pertinent, totidem verbis exhibere; prout habentur in laudato *Bullario Romano* pag. 262. Ibidem ergo Pontifex Maximus *Paulus* V. hæc addit: *Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram Opinionem* [hoc est, Conceptionis contaminatæ], *nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita*. (*) Paucula isthæc postrema verba = *Præterquam quoad supra disposita* = Lampridius loc. cit. uno sub *&c.* celavit, Lectorumque suorum oculis erepta voluit: an id dolo, ac de industria factum, ut *Milanesius* suspicatur? non ausim ego definire. Certe, (ut dicam, quod res est) his quoque abrasis, nihilosecius ex aliis, quæ proxime præcedunt, verbis liquet satis ad oculum, *Thomisticæ*, ut vulgus vocat, Opinioni silentium adversus Piam Sententiam *publicis in Actibus quibuslibet* districte admodum imperatum fuisse; ita ut, cur heic *Ingeniorum* Mo-

Cap. IV. *Lampred. fui ad normam revocati* pag. 62. edit. Panorm. 1762.

(*) De hac *Paullini Decreti* clausula, sed consulto omissa in Bulla *Alexandri* VII., plura prostant lectu digna apud *Platelium*, natione Belgam, Part. 2. *Synopsis* num. 337. Cui autem curta est Librorum supellex, aut cui laudatus Auctor in promptu non est, sequentia ex illo ob oculos heic sibi ponenda duco. Ait is itaque loco cit. - *Ex illa clausula inferebant Piæ Sententiæ adversarii, suam Opinionem, nihil obstantibus Pontificum Decretis, permanere in eadem sua Probabilitate, illatione illegitima; quia Pontifex non dixerat, se eorum opinionem relinquere in terminis antiquis, sed in illis, in quibus reperitur, scilicet jam suppositis iis, quæ in favorem Piæ Sententiæ disposuerat suo præsenti Decreto, quod Piæ Sententiæ non potest non favere, & consequenter non potest ejus Probabilitatem non firmare & augere, quin eatenus opinioni contrariæ præjudicet, ejusque Probabilitatem imminuat. Unde istam clausulam, quæ videri poterat esse aliquo modo Adversariis præsidio, merito non posuit Alexander in sua Constitutione, quæ Piam Sententiam tot favoribus extulit, ut contrariæ Opinioni non parum præjudicaverit, non quidem illam reprobando, sed ei alteram Sententiam, multis prærogativis ejus Probabilitatem stabilientibus, præferendo. Non enim potest una stateræ pars elevari, quin altera deprimatur; nec e duobus contradictoriis unum de novo firmari, quin alterum debilitetur*. Hæc Theologus Belga.

Moderator doli ac fraudis incusetur, nulla nobis ratio esse videatur. In eo tamen non æque est facile Virum Celeberrimum quavis vel suspicione absolvere, quod *Gregorianæ* Constitutionis, mox a nobis percensendæ, ac ceteris, quæ hucusque prodierunt, longe favorabilioris, ne meminerit quidem.

Sed ut *Paulinam* tandem Sanctionem absolvamus, de qua hactenus; illud coronidis loco haud prætermittendum, ad tollendas simultates, pacisque offendicula inter Christi Fideles submovenda Pontificem Summum cavisse quam sapienter in hunc modum: *Ulterius sub eisdem Censuris & pœnis mandans, quod negativam Opinionem, videlicet quod* gloriosa Dei Genitrix *non fuerit concepta cum peccato Originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam Opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent*. Quod quidem de illa tantummodo *impugnatione*, seu *tractatione* intelligendum est, quæ acriorem vetitamque censuram involvit. Neque enim fieri potest, ut *Pia* [quod licet] *Sententia publicis in Actibus quibuslibet* disputando *asseratur*, quin *Contraria* tacite saltem atque indirecte *impugnetur*, hoc est, quin objectis occurratur, ingruentesque difficultates sane diluantur: id, quod non tam est contrariam Opinionem *impugnare*, quam de nostra *asserenda* ac vindicanda tractare. Sic etiam ex praxi ac perpetuo obtinuit usu tot doctissimorum ac Piissimorum Hominum, qui editis in dies Libris tam *Piam Sententiam* comprobare, quam *oppositam* refellere, religioni sibi minime duxerunt, hoc uno soliciti, ut a censuris abstineant, quas adversæ infligi opinioni Ecclesia prohibet. Postremo, ab eodem Pontifice & sequentia ibidem statuuntur majoris gratia claritatis: *Insuper voluit* (Sanctitas sua) *& expresse mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ & illæsæ remaneant. & exacte observentur* (scilicet *Sixti* IV. ac *Pii* V., necnon sua ipsius, quæ incipit = *Regis Pacifici*.) *perinde ac si præsens Decretum non emanasset. Et ita decrevit & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus* &c. Hactenus *Paulus* V. dicto anno 1617., cujus Bulla = *Sanctissimus D. N.* = prostat in citato Bullario, si cui eam lubet consulere atque conferre. (*)

Pau-

(*) Quæ post evulgatam hanc Paulinam Constitutionem olim in eam evomuerit

Paulum V. in Pontificatu, & in amore erga Virginem *sine labe conceptam* indivisus comes, sequutus est *Gregorius* XV., qui quum certior esset factus riteque cognovisset, ne silentio quidem a Decessore suo *quoad actus publicos* imposito fautoribus Adsertoribusque *foedati Conceptus*, omnem scandalorum ac dissensionum materiem præcisam fuisse; quin vero *aliquibus in Regionibus*, nova & jurgia & scandala jam erupisse *ex sermonibus* nedum *publicis* sed etiam *privatis*, pluraque ac majora in posterum obventura merito reformidari ac præsentiri: Cardinalium in id rei Congregationem, adversus hæreticam pravitatem Inquisitorum Generalium, coram se cogi jussit, ex iisdem, quid facto sit opus, intellecturus. Anno itaque 1622. die 24. Maij auditis Purpuratorum PP. placitis, quos *Gregorius* in consilium acciverat, *Pauli* V. Edictum = *Sanctissimus D. N.* = superius allegatum, consentientibus animis non tam renovavit, quam sub iisdemmet pœnis „ extendit & ampliavit etiam ad PRIVATA COLLOQUIA & SCRIPTA, „ mandans & præcipiens omnibus & singulis &c. ne de „ cetero, donec articulus hujusmodi a Sede Apostolica definitus, „ vel per Sanctitatem suam & Sedem Apostolicam fuerit ali„ ter ordinatum, neque etiam in SERMONIBUS & SCRI„ PTIS PRIVATIS audeant asserere, quod eadem Beatissima „ Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac Opi„ nione affirmativa aliquo modo agere seu tractare; exceptis „ tamen quibus a S. Sede Apostolica fuerit super hoc specia„ liter indultum.„ Indulsit autem Pontifex (ne quis, si taceam, vitio id mihi vertat) *omnibus & singulis Ordinis Prædicatorum Fratribus, ut de cætero in quibuscumque PRIVATIS eorum Colloquiis seu conferentiis, inter se DUMTAXAT, & non inter alios aut cum aliis, de materia ejusdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis differere & tractare absque ullo pœnarum incursu libere & licite possint & valeant:* quemadmodum ex ejusdem constat Bulla = *Eximii, atque singulares fructus* = relata pag. 315. *cit. Bullarii*, atque edita 28. Julii 1622., hoc est, duobus Mensibus vix elapsis ab evulgato altero Diplomate jam antea laudato. Eatenus autem concessit id illis *Gregorius* teste Spondano, quatenus

Ad an. 1622 pag. 396. n. 2.

rit *Gasparus Ram* Hispanorum audacissimus, relata invenies ac protrita a P. *Laurentio de Portel* Tom. 1. *Respons. Moralium* Part. 2. Casu 32. per tot.

nus & facto ipse ostenderet, *se non propterea Sententiam contrariam* hoc est Thomisticam, *reprobare* voluisse, quasi *Hæreticus* reve fit, qui illi addictus esset, illamque non ejuraret. Hinc t men *Gregorius* non illis facultatem concessit tenendi Opinione *Præservationi* oppositam, sed duntaxat hoc de argumento *di rendi & tractandi absque ullo pænarum incursu*. Aliud quippe e *differere* & *Tractare*, aliud ac longe diversum, *docere*, *ten* ac *tradere*. Qui enim e Romanis Pontificibus dat alicui facu tatem legendi proscriptos e. g. *Lutheri* aut *Calvini* Libros, temque *differendi* ac *tractandi* de hæresibus atque erroribus, q in iis continentur; non propterea & eadem assertionum mo stra *tradendi* aut *sentiendi* facultatem fecisse censendus est. A vero hanc illis facultatem, a *Gregorio* traditam, eripuerit, n ne, ejus successor *Alexander* VII., constabit ex dicendis inf Capite sequenti.

Quoniam vero ii, qui *Conceptionem* Virginis *Immacul tam* tantum non execrabantur ac diris devovebant, Divinis i Officiis peragendis *Conceptionis* loco, *Sanctificationis* duntaxat n men usurpabant suapte sponte auctoritateque ac contra man festum præscriptum Ecclesiæ; idem ipse *Gregorius* PP. XV., temerariis id genus ausibus, uti par erat, obsisteret, ac gli centem istiusmodi phrenesin (si quidem ita fas est dicere refrænaret, post relata verba, quibus *Intemerati Conceptus* host vel *in privatis Colloquiis & scriptionibus* silere penitus jussi sunt isthæc subtexuit ad rem perquam consentanea: „ Et insup „ eadem Sanctitas sua, cum S. Romana Ecclesia de Beati „ Virginis Conceptione Festum Solemniter & Officium celebre „ omnibus & Singulis &c. mandat ac præcipit, ut in Sacr „ sancto Missæ Sacrificio ac Divino Officio celebrandis, ta „ publice quam privatim, non alio quam *Conceptionis* nomi „ uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas sua voluit „ declaravit subjacere debere, & subjecit Censuris & pœnis.... „ ipso facto incurrendis. Et ita decrevit & mandavit ubiq „ inviolabiter observari. Non obstantibus in hac parte & „ &c.„ Diploma istud *Gregorianum*, quod itidem, uti de *Pa lina* diximus, incipit = *Sanctissimus D. N.* = legesis pag. 31 *cit. Bullarii*.

Pontificii autem istius Diplomatis, seu Legis a *Gregor* hujus nominis XV. rogatæ ne vola quidem una, aut vest gium invenire est apud *Lampridium*. Caussam ejus rei si peta tacere malo, quam adversus officium hominis minus decore qui

quam

quam eloqui aut mussitare. Ut autem non eum puto nos fallere voluisse, ita e contrario difficulter, ut credam, adducor, Virum adeo doctum atque omnigenæ eruditionis laude cumulatum, rem tam obviam, conspicuam tritamque ignorare potuisse. Attamen, quæ fluant consecutiones ex relato Apostolicæ Sedis Decreto, quod *Lampridius* insalutatum dimiserat, ignoravit is sane, aut non satis, ut oportebat, adtendit. Quei enim, si adtendisset, hæc sibi excidere passus esset, *pagina* quidem sui Operis 68. = *CRAS potest a Romanis Pontificibus deprehendi Veritas in Thomistica Sententia*, hoc est illorum, qui contra *Immunitatem* Deiparæ usque ad aurem obganniunt? Et pag. 97. = *Neque enim* (ait) *Thomistica Sententia desinit esse Pia atque PROBABILIS*. Paucisque interjectis: *PIA perrexit esse & altera Thomistarum Opinio, neque ei hunc titulum sine impudentia & PECCATO auferre quis potest*. Rursus pag. 112. = *Ita vero unam Opinionem commendarunt atque foverunt Romani Pontifices, ut alterius tamen jura* (id est, Opinionis Thomisticæ) *non læserint*. Tum etiam pag. 148. in fronte Capitis XX. = *Thomistica de Conceptione Sententia, & ipsa esse potest HONORIFICA Virgini*. Tandemque (ut mittam sexcenta alia farinæ ejusdem, miro opere a *Lampridio* hac illacque intexta) pagina 133. conceptis verbis legitur: *Ad præceptum quod adtinet, nihil discriminis inter utriusque Sententiæ* (Thomisticæ scilicet, & Scotisticæ) *Patronos & Censores Ecclesia statuit*. Hæc, inquam, hisque similia *Theologus Mutinensis* unquamne, quæso, effudisset confidentia tanta, tamque incredibili, si quidem vel tantillum perpendisset, secumque animo reputasset, quæ sunt & quanta *Gregoriana* Sanctionis, ab se se prætermissæ, consectaria?

Sed agedum, videamus. Duo potissimum sunt, prout ad rem, ejus generis consectaria, quorum alterum *Sententiam* ipsam, alterum ipsummet *Cultum* Marianæ Conceptionis spectant. Primum, illudque magni hercle ponderis, in eo est, quod præfata *Silentii* lege, per *Paulum* V. ac *Gregorium* XV. constituta, haud leve inflictum sit vulnus Opinationi illorum, qui Originali Contagio infectam Virginem sentire ac dicere non erubuerunt. Profecto, *Silentium* uni ex duabus dissidentibus Partibus ante decisionem peremptoriam quoquo modo imperatum, quam illi sit ejusque Opinioni probrosum, itemque damnosissimum; quamque etiam in Ecclesia Dei & apud omnes æquos rerum æstimatores habitum sit semper ceu nota quædam (ut minimum) vel *Falsitatis*, vel *Improbabilitatis*; sat evidenter ad-

L pa-

paret vel hoc uno exemplo, quod nobis commodum suppeditant Annalium Ecclesiasticorum monumenta. Etenim Seculo Ecclesiæ VII., seu anno Christi Sexcentesimo quadragesimo octavo promulgatus est *Typus* quidam a *Constante* Orientis Imperatore, non a se quidem, sed a *Paulo* Constantinopolitano Pseudo-Episcopo, callidissimo *Monothelitarum* Fautore ac Patrono, subdole excogitatus atque elucubratus, specie quidem inducendæ pacis, revera tamen cura studioque Hæresim stabiliendi, ac suæ, quæ jam nutabat undique, famæ consulendi. Scitum est autem, *Typum* hujusmodi quandam esse Fidei formulam sive expositionem, in qua insuper dissensionum scandalorumque cohibendorum obtentu *Silentium* utrisque præcipitur, Catholicis juxta atque Hæreticis; ne quis scilicet eorum *de una vel duplici in Christo tum Voluntate, tum Operatione* audeat in posterum verba palam facere, ac si antehac jurgium nullum, nulla unquam altercatio hac de re exarsisset. Quem quidem *Constantis*, ut vulgo audit, *Typum* [seu verius uti dictum *Paulli* Constantinopolitani, qui eum & *Constantis* nomine & auctoritate communivit], veluti impium ac scelerosum facinus rejecit atque detestata est *Synodus Lateranensis* sub *Martino* Papa I., anno Christi DCXLIX. congregata, *Canone* XVIII., ut videre est apud *Labbeanam* Conciliorum Collectionem, omnium maximam atque locupletissimam.

Tom. 7. col. mihi 356.

Ideo vero Patres *præfatæ Synodi* (numero centum & quinque) *Typo* huic dirum sunt exitium imprecati, quod perviderent, certoque scirent, ejus generis *Silentio*, utrinque impiissime indicto, elevari admodum, concuti, pessumque dari Catholicam *de duabus Christi Voluntatibus Operationibusque* Sententiam, similemque inuri huic notam, qua unice ferienda erat opposita *Monothelitarum* Opinio, maxime omnium detestabilis. Evincunt id liquido verba *Synodi* apertissima dicentis: *Quoniam omnino est inconveniens Catholicæ Ecclesiæ Regulæ, in qua utique Adversa TANTUMMODO* (id est, impia, hæretica, erronea, falsa, improbabilia &c.) *jubentur MERITO sepeliri SILENTIO: non enim Orthodoxa cum Contrariis confiteri omnino, aut quoquo modo denegare. - - - Qualis namque participatio justitiæ cum iniquitate aut qualis communio luminis cum tenebris?*

Secretario 4. in Conc. Later. col. 243.

In hoc præterea *Constantis* Imperatoris *Typo*, quem prælaudata *Synodus* anathemate perculit, *nihil* (ait Vir Clar. Antonius Pagi) *nihil invenies damnabile, si SILENDI dispensationem dempseris: in hanc enim* [addit] *præcise tendunt omnia fulmina, contor-*

Crit. in Ann. Baron. Tom. 3. ad ann. 648 n. 6. fol. 315. Ed. Antv. 1705.

torta a Patribus in Typum, quem ea de causa præsertim anathematizarunt, quod „ cum perfidis Hæreticis & Orthodoxos Pa-
„ tres abjiceret & cum sceleroſorum Virorum vocibus, hoc
„ eſt, una Voluntate & Operatione, pariter denegari fa-
„ ceret Orthodoxorum Doctrinas, id eſt, duas ejuſdem Chri-
„ ſti Voluntates & Operationes „ *ut inquit Martinus* in Conc. Lateran. Secret. V., ſeu in Epiſt. Synodica ad *univerſos Fideles*, poſt abſolutam eam Synodum data. Perſuaſum ergo habebant qua Sanctus Pontifex Apoſtolicæ Romanæ Sedis, qua reliquorum etiam Patrum, qui memorato Concilio interfuerunt, chorus univerſus, ingentem cladem inferre allegatum *Silentii* Edictum Dogmati Catholicorum, etiamſi & Hæreticis ne mutire quidem eſſet datum, atque adeo utrique Parti quomodolibet ea de re loqui vetitum ex æquo eſſet: quid, amabo, dicturos facturoſque illos exiſtimas, ſolis ſibi ſi tacere, non item adverſariis, demandatum fuiſſet? Nihil autem refert, quale ſit Dogma, cui *Silentium* indicitur, neceſſarium ne, an indifferens ſeu nondum reapſe definitum? modo ei manus & lingua amputentur, hoc eſt, cum publice tum privatim prodire, ac vel muſſare interdicatur: quippe juxta Eccleſiaſticam Regulam *Adverſa tantummodo jubentur merito ſepeliri Silentio*, uti ex *laudato Concilio* ſupra didicimus.

Eat nunc vero *Lampridius*, ac tunicato imperitoque Popello divenditet, Opinionem Piæ Sententiæ contrariam de *Conceptione* Virginis *vigere adhuc*; ut ipſemet ſcribit pag. 68. Quei namque *adhuc* illa *vigens* dici jure poteſt, cui omnis prodeundi poteſtas non palam modo, ſed etiam clanculum, ademta eſt? Pergat porro dicere, ſi poteſt: *Ita vero unam Opinionem commendarunt atque foverunt Romani Pontifices, ut alterius tamen jura* (id eſt illius, quæ ſordidum ac maculoſum Conceptum tutatur) *non læſerint*. Ita ne *Lampridi*! Non *læſerunt* Romani Pontifices iſtiuſmodi *jura* Opinionis, quam ſolam & Scholarum Exedris, & Sacris Templorum Roſtris, & privatis etiam hominum Conventibus exeſſe juſſerunt, ſcilicet ut æternis damnata *Silentii* tenebris, lentam mortem obiret? An quid huic ſimile & de altera forſan fingi a te poteſt Sententia, de *Pia* nempe atque ex diametro illi oppoſita? Minime vero omnium. Quin econtra, tantum abeſt, ut iſtius *jura læſerint* unquam Pontifices Maximi, ut multimodis etiam auxerint plurimum; gaudeantque unam hanc ubivis libere expatiari; altaſque hanc ſolam in Chriſtianorum animis radices

agere: Quid ita, mi *Lampridi*? nisi quia hæc illis una ac sola (post perscrutata toties momenta hinc inde omnia) & vere *Pia*, & in Deiparam vere ac oppido *Honorifica* (ne dicam *Vera* & *Certa*, infra tamen Fidem) in libra *Ecclesiæ* visa plane est atque inventa? Et etiamne aliis verbis occentas præfracte nimis, Ecclesiam *nihil discriminis inter utriusque Sententiæ Patronos & Censores statuisse*? Iterum repeto cum *Patribus* citatæ Synodi Lateranensis, videlicet Catholicæ Ecclesiæ Regulam ita ferre, ut *in ea utique Adversa tantummodo jubeantur merito sepeliri Silentio*, hoc est dictu, aut *Improbabilia* solum, aut *Scandalosa* aut *falsa*, aut si qua alia sæviorem etiam censuram promerentur. Quadrant ne hæc, componive cum illis possunt, quæ paullo ante ex *Lampridio* audivimus, aut cum aliis longe pluribus, quæ sinimus præterfluere, quibusque suum ille Opus mira arte consuit atque ab imo ad summum refercire haud dubitavit? Utinam tantisper ad hæc animum adjecisset *Lampridius*! Non ego in eum nunc dicerem potiori etiam jure, quæ ipsemet nuper pag. 143. intorsit in *Parthenotimum*; videlicet *hoc unum satis esse posse, ut ejus ductum quisque saltem suspectum habeat, atque ab ejus Theologia & Libello* (aut verius, justæ molis Libro) *sibi metuat*, caveatque. Sed jam de prima *Gregoriani* Decreti consecutione satis multa.

Quod est ad alteram, id est ad *Cultum* Virgineæ *Præservationis*, qui eodem fonte venit; faciam equidem brevi, quoad ejus fieri potest; auctorque sum sincero cuivis Amatori Veritatis, ut jam recensitum *Gregorii PP. XV.* Edictum huc mente recolat, qua parte omnibus mandatur & singulis, ne cui liceat in posterum in *Sacrosancto Missæ Sacrificio ac Divino Officio celebrandis, tam publice quam privatim, alio* unquam, *quam CONCEPTIONIS nomine uti*. Quibus verbis Pontificii Diplomatis obstructum tandem os est illis, qui Ecclesiæ, Matris Optimæ & Sapientissimæ, inobsequentes, vel post tempora *Pii V.* reformatique ab se *Breviarii* ac *Missalis Romani*, nedum ante, nulla nixi ratione, suique ipsorum sensus contra fas ac supra fidem unice tenacissimi, rem Divinam faciebant non alio intellectu, nec alia voce, præterquam *Sanctificationis*: atque ideo jam diu impletum est, quod *Catharinus* olim prædixit fore, quum de præpostero hoc usu differens (quem solum apud *Suos*, nec tamen Omnes receptum dolet) in hunc loquutus est modum: *Verum, cito, Domino procurante, spero & confido* (ejus generis Festum, sub *Sanctificationis* nomine contra

(Cit. disp. ad *Patres Conc. Trid.* part. 2. columm. 105.)

tra

tra Ecclesiæ mentem susceptum) *cessaturum, postquam omnis prorsus est illis sublata axcusatio;* quemadmodum a lata *Gregorii* Lege cessavit plane. Quanquam si rite illi rationem subduxissent, a voce sensuque *Sanctificationis* multo etiam ante abstinere debuissent, saltem ab eo tempore, quo Sanctus *Pius* V., ex suo ipsorum Ordine adsumptus, *Conceptionis* Officium recitari ab omnibus non modo permisit, sed etiam præcepit, statuto probatoque in id *Nativitatis* Officio, mutatoque nomine *Nativitatis* in nomen *Conceptionis*, neutiquam *Sanctificationis*; ut illi temere ac perperam factitabant. Ergo, ne longius abeam, quid hac *Gregoriani* Decreti parte inferatur, nemo non videt. Infertur enim, unum a Pontifice præscriptum esse, alterum vero usurpare denegatum: præscriptum quidem *Conceptionis* nomen, interdictum illud *Sanctificationis*, cujus usum *Gregorius* PP., quum ab Ecclesiasticis Officiis, Precibusque Canonicis omnino voluit exulare, consequens illud est, ut cum voce & notionem eidem subjectam una procul amandaverit; ac proinde Objectum Religiosi Cultus non ipse aliud statuerit, quam quod Prçcessoribus suis placuit esse statuendum, quodque sua statione immotum Ecclesia universa jamdudum ac semper retinuit; videlicet *Conceptionem Immaculatam*, aut uno verbo *Præservationem*, sive *Immunitatem*. Quale autem, quantive pretii heinc robur accedat vel ipsimet *Sententiæ Piæ*, ex asserto scilicet Cultu *Præservationis*: fusius, explanatiusque alibi.

Jam vero, quid ad hæc *Lampridius* noster, ut consecutionem, tam rite ex *Gregorii* Sanctione subductam, pro more suo, sin minus infringat prorsum, at debilitet ac minuat saltem? Equidem fateor nescire me. Quei enim id ego sciam, quum ejus generis Decretum silentio ille presserit, ut supra indicavimus, totoque Libro suo minime adtigerit omnium? An fortassis, quod ipse de *Pio V.* dixit, id ipsum aut quid huic simile & de *Gregorii* XV. Edicto sentiendum, nempe *Conceptionis* nomen utrique favere Sententiæ, qua *Præservationis*, qua *Sanctificationis*, neutrique officere quicquam? Ita quidem explicate *Valdesius* Epist. VI. pag. 64. (idem autem is est, atque ipse *Lampridius*), qui post relata antedicta Pontificis verba, sic e vestigio commentatur: *Ad mentem nempe Pii V. ut utraque factio sine suæ Opinionis læsione Festum illud celebrare posset.* Atqui (ut taceam, nihil ejusmodi a S. *Pio* V. cogitatum) si neutri obest, si ex çquo suffragatur utrique, aut si, ut *Valdesio* placet, eatenus id factum, *ut utraque factio sine*

suæ

suæ Opinionis læsione Festum illud celebrare posset : eccur ; peto , *Præservationis* Hostes , tantum non consilii inopes & in furias pene acti , non eo *Conceptionis* nomine usi sunt (pulso altero *Sanctificationis*) vel anteaquam *Gregorius* XV. suam in id Legem conderet ac promulgaret ? Argumento id est , sane invicto atque ab ipsissimis Adversariis accepto , non aliud venire *Conceptionis* voce Ecclesiasticis in Precationibus , neque aliud designari pro Objecto Cultus , nisi Deiparæ *Immunitatem* , vel ejusdem ab omni labe *Præservationem*. Testimonium autem , *quod fertur ab inimicis , & in judiciis & ubique* validissimum *esse , maximeque a suspicione remotum* , scitissime S. *Joannes Chrysostomus* admonet . Alia proin Theologo nostro anchora non est , ad quam confugiat hoc vasto in gurgite , nisi una illa , ad quam se se ii receperunt , quos *Raynaudus* commemorat , deblaterantes a tempore editæ Pontificiæ hujusmodi Constitutionis immutatam a *Gregorio* fuisse notionem vocis *Conceptionis* ; neque primam fœtus animationem , seu primum vitæ instans , ab ea signari amplius , uti antea designabatur .

In Ps. 44. init.

To. 7. Tract. de retinen. Tit. Imm. Concept. § 1.

Sed quam hæc fabula male consuta sit , maleque sibi cohæreat ; ostendit nemo melius indigitato celebri *Societatis Jesu* Scriptore , qui & peculiarem Tractatum hanc in rem elucubravit data opera : *De retinendo Titulo Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis* . Ineptissimum quippe id esse , nedum falsum , quod *Gregorius* quicquam hac parte novarit , aliamque atque aliam *Conceptionis* voci notionem indiderit ; hoc vel uno (ut mittam cetera , de quibus late eo loci *Raynaudus*) satis superque probatur , quod expresse ille mandarit , *ut in reliquis omnibus , ubi hujusmodi Decretis non adversantur , Constitutiones Sixti IV. , Alexandri VI. & Pii V. ac Pauli V. , ejus Prædecessorum , super Conceptione Beatissimæ Virginis firmæ & illibatæ remaneant , ac exacte observentur , perinde , ac si hujusmodi Decretum non emanasset* . Indubitatum autem est , laudatos Pontifices , qui ætate *Gregorium* XV. anteverterunt , de *Conceptione* fuisse loquutos, prout primam sonat fœtus animationem : eandemque in Virgine & dici & coli posse , immo post *Pium* V. etiam debere , uti *Sanctam* ac cujusque noxę purissimam , ab iisdemmet Summis Ecclesiæ Hierarchis auctoritate Apostolica sancitum est . Heinc jure ac merito hanc elicit conclusionem citatus Auctor : *Hæc ergo Decreta approbans & confirmans Gregorius , quomodo potuit aliud* (nomine *Conceptionis*) *intelligere , quam quod intellexerunt anteriores illi Pontifices , quorum ap-*

N. § 3. n. 6.

pro-

probat Decreta atque confirmat? Vel si aliud intellexit; quomodo non pugnat secum & evertit omnia, quæ in anterioribus clausulis adeo explicate tradiderat?

Præterquamquod, & ratio edendæ id genus Legis paullo accuratius introspicienda; quod huc plane conducit plurimum. Quid, cedo, Pontificem impulit, ut non aliud in Divinis Officiis nomen ratum gratissimumque haberet, nisi unum *Conceptionis*? Id sane in caussa fuit, quod observaret a *Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis CONCEPTIONE* (non vero *Sanctificatione*) *Festum solemniter & Officium celebrari*; uti diserte suo in Decreto præfatur idemmet *Gregorius*. Ac proinde, ad Ecclesiæ Romanæ normam ut se quisque componat (quod Filios decet, Matri & Magistræ suæ obsequentissimos); non alio is uti nomine concessit, quam quo Illa uteretur, nimirum *Conceptionis*. Porro, *Conceptionis* nomine Romana in Ecclesia non significari, nisi *puram* & usquequaque *nitentem* Conceptionem, seu primum vitę instans, nullo nævo fœdatum; adeo inconcussum est & verum, quam quod verissimum: Idque non modo ante *Gregorii* Pontificatum ex dictis supra, sed etiam post vel in hunc usque diem, *Alexandro* VII. (de quo *Capite sequenti*) perspicue adtestante, *Conceptionis* Cultum, secundum Piam *Præservationis* Sententiam in *Ecclesia Romana* Dei Genitrici exhibitum, ex quo primum institutus est, *nunquam fuisse immutatum*. Itemque ibidem *Alexander* liquido fatetur, Decretum *Gregorii* XV. (uti & *Sixti* IV. ac *Pauli* V.) non tam in *favorem* Piæ istius Sententiæ, quam *Festi* etiam ac *Cultus*, secundum illam *Conceptioni* Deiparæ pręstiti, rogatum emissumque fuisse. Quid, amabo, clarius, quid hoc probationis genere ad rem luculentius?

In Bulla *Sollicitudo* omnium Eccl. [illegible]

Obmutescant ergo nugivenduli isti ac somniorum Opifices inepti! ediscantque potius, quo abierit sensim caussa, quam sustinent, non jam ex me aut extero quopiam, sed ab *Ambrosio Catharino*, Viro perquam doctissimo; quo scilicet & fidei adimant minus, & auscultent libentius. *Dicebant enim* (ait Vir eximius) *dicebant ab initio* Osores impolluti Conceptus (*nota prudens Lector, quo paulatim redacti sunt*): *Ecce Romana Ecclesia non celebrat. At nunc contra opportune in eos dicitur: Ecce jam dudum cœpit celebrare Romana Ecclesia. Dicebant: Non instituit illam celebrationem* Conceptionis Innocuæ, *sed tantum permisit. Et nos: Ecce nedum permisit, sed etiam*

Loc. cit. col. 109. & seq.

jam

jam solenni Decreto (id est, a temporibus Sixti IV.) *instituit & quod ipsa instituit*, *tandem Generale Tridentinum Concilium NE MINE RECLAMANTE comprobavit*. *Dicebant* (*imo & nunc a liqui dicunt*) *in Ecclesia S. Mariæ Majoris in Urbe celebratur sub nomine SANCTIFICATIONIS*. *Quasi vero*, *si forte hoc verum fuerit aliquando*, *necesse sit esse verum semper*. *Sed demus fuisse verum olim* (*quod tamen nequaquam legitime probatur*, *nec ego* inquit ille, *verum puto*): *Ecce nunc jam mutatus est ritus*. *Celebratur enim ibi palam de Conceptione* sub dicta significatione non *Sanctificationis*, sed *Præservationis*. *Cur igitur vos pariter cum illa* (hoc est, Ecclesia) *postquam ejus nobis auctoritatem objicitis*, *ritum vestrum non mutastis?* Heic desiit *Catharinus* circa annum Christi MDLI. quo hæc Romæ publicam in lucem emisit. Quid non hisce adjecisset Auctor præstantissimus, omnique disciplinarum genere excultus, si ei diutius vivere ac v Edictum saltem *Gregorii* XV. videre & perscrutari licuisset Tulisset ne illos, qui delirantes somniant & somniantes effutiunt, ab hoc Pontifice notionem vocis *Conceptionis* immutatam fuisse? aut non potius calamum in eos acuisset, quo veluti ex somno exciti, cum Phrygibus saperent aliquando?

Sed ad *Lampridium* nostrum ut accedamus propius; Quum audis ipsum magistrali quodam supercilio docentem: *Post paucos dies*, imo & *Cras posse a Romanis Pontificibus deprehendi Veritatem in Thomistarum Sententia*, Conceptus scilicet contaminati; quumque hanc audis nihilo minus, quam *Scotisticam* illi e regione oppositam, & *Vigentem adhuc*, & *Probabile* ac *Piam* a Mutinensi Magistro adpellitatam; immo quum audis (quod monstro finitimum est) quum *Lampridium* aud & illam ipsam *Virgini*, haud minus altera *Scotistarum*, *Honorificam* esse posse dictitantem: putas ne, ut nihil proferam durius, vere eum ac religiose, obtemperasse, moremque gessisse *Paulo V.* ac *Gregorio XV.*, omnigenum indicentibus silentium, vetantibusque, ne quis *etiam in Sermonibus & SCRIPTIS PRIVATIS*, nedum PUBLICIS, *audeat asserere*, *quod Beatiss. Virgo fuerit concepta cum peccato Originali*, *nec de hac Opinione affirmativa ALIQUO MODO agere*, *seu tractare*? Nolo ego quidem violatarum a se Legum Pontificiarum *Lampridium* reum hoc loco agere. At si operosum valde est, hac eum nota liberare: quæro, facile ne a censuris illum absolvere & pœnis, Transgressores hac de caussa latis? Sed de re hac plenior infra

ſra ſermo recurret. Interea vero temporis, *Lampridius* parcat, velim, ſi cum S. *Hieronymo* heic ego dixero: *Multi utroque claudicant pede; & ne fractis quidem cervicibus inclinantur, habentes affectum erroris priſtini, cum prædicandi eandem non habeant libertatem.*

Epiſt. ad Aur. olim 81, nunc 142 Veron. ed. an. 1731.

CAPUT VIII.

Expenditur Bulla Alexandri VII. omnium ſane præcedentium celeberrima. Ejus condendæ quænam mens & ratio? Quam multiplici hinc favore & Sententia & Cultus Immunitatis decorentur. Lampridius non unam ob Cauſſam caſtigatus. Cur is Bullam illam mutilaverit? Male a Valdeſio defenſus. Ambo illudunt Orbi, dum contendunt licere cuique hacde re aliter ſentire, hoc eſt ſub alia intentione celebrare Conceptionis Feſtum, quam Præſervationis.

SEd ex omnibus Pontificiis Conſtitutionibus, pro Pia *Immunitatis* Sententia & Cultu evulgatis hactenus, nulla ſane adferri poteſt aut celebrior aut favorabilior, quam illa, quæ ab *Alexandro VII.* rogata fuit atque inſerta Tomo V. Bullarii Romani pag. 346. ac ſequentibus. Exordium autem ejus tale eſt: *Solicitudo omnium Eccleſiarum:* Sub datis 8. Decembris MDCLXI. hoc eſt, annis novem & triginta poſt editum Decretum *Gregorii XV.* a me nuper relatum. Ibi ergo *Alexander,* hujus nominis VII. Pontifex Maximus, hæc habet: *Sane vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam Pietas, ſentientium, ejus animam in primo inſtanti creationis atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Jeſu Chriſti, ejus Filii, humani generis Redemptoris, a macula Peccati Originalis PRÆSERVATAM immunem; atque in HOC SENSU ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni ritu co-*

Ed. Lugd. ann. 1673.

lentium & celebrantium: crevitque horum numerus, atque hujusmodi Cultus post editas a felicis recordationis Sixto Papa IV. prædecessore nostro in ejus COMMENDATIONEM Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit atque observari mandavit. Aucta rursus & propagata fuit Pietas hæc & Cultus erga Deiparam post erecta HOC NOMINE, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria Religiosorum Ordinum, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem Indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc Sententiam, jam fere OMNES CATHOLICI eam complectantur.

Dein continuo ita subdit: „ Et quia ex occasione contrariæ assertionis in Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus & Actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum Peccato Originali, oriebantur in Populo Christiano cum magna Dei Offensa scandala, jurgia & dissensiones; recolendæ memoriæ *Paulus Papa V.*, etiam prædecessor noster, vetuit horum Opinionem, præfatæ Sententiæ contrariam, publice doceri aut prædicari: quam prohibitionem piæ memoriæ *Gregorius Papa XV.*, similiter prædecessor noster, ad privata etiam Colloquia extendit; mandans insuper IN FAVOREM ejusdem Sententiæ, [nempe *adfirmantis. gloriosam Dei Genitricem Mariam suo in Conceptu nulla prorsus labe fuisse adspersam*] ut in Sacrosancto Missæ Sacrificio ac Divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio, quam CONCEPTIONIS nomine uti quicumque debeant. „

At quia ejusmodi Summorum Pontificum Edicta nonnulli ex Hispanis nihil pensi habebant, eaque de caussa & offensionum & jurgiorum & scandalorum nullus esset finis aut modus; quin vero (uti ait *Alexander PP.*) pergerent *aliqui contrariæ illius Opinionis assertores contra præfatas Prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam* (Impolluti Conceptus) *Sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus Cultui & Festo secundum ILLAM præstitum ita interpretari, ut FRUSTRENTUR; immo Ecclesiam Romanam huic SENTENTIÆ & CULTUI, juxta illam Beatæ Virgini exhibito, favere negant, pios Christi fideles a sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala & jurgia, quibus obviare voluerunt* Paulus V. & Gregorius XV. *nostri prædecessores, perdurant adhuc, & ex occasione eorumdem Adversantium majora his incommoda in posterum prudenter & merito timentur:* propterea

lau-

laudatus Summus Pontifex sanxit cavitque in hæc verba :
„ Nos considerantes, quod S. Romana Ecclesia de intemeratæ semper Virginis Mariæ Conceptione Festum solemniter celebrat, & speciale ac proprium super hoc Officium olim ordinavit juxta piam, devotam & laudabilem institutionem, quæ a Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanavit ; volentesque laudabili huic Pietati, & Devotioni, & Festo ac Cultui, secundum ILLAM (seu *Sixti institutionem*) exhibito, in Ecclesia Romana post ipsius Cultus institutionem NUMQUAM IMMUTATO, Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum exemplo favere, nec non tueri Pietatem & Devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratia a Peccato Originali PRÆSERVATAM : cupientesque in Christi grege UNITATEM Spiritus in vinculo Pacis &c. Constitutiones ac Decreta a Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, & præcipue a *Sixto IV.*, *Paulo V.* & *Gregorio XV.* edita in FAVOREM Sententiæ asserentis, Animam Beatæ Mariæ Virginis in sui CREATIONE, & in Corpus INFUSIONE Spiritus Sancti gratia donatam, & a Peccato Originali PRÆSERVATAM fuisse, nec non & in FAVOREM Festi & Cultus, Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum PIAM ISTAM SENTENTIAM, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & sub Censuris & Pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. „

Præterea, ut omnes dicto audientes sint, nullique posthac vel pateat effugium, vel prosit; sic eidem *Alexandro VII.* e re visum est statuere in quemcumque contumacem ac refractarium, videlicet : *Et insuper omnes & singulos, qui præfatas Constitutiones seu Decreta ita pergent INTERPRETARI, ut FAVORES per illas dictæ SENTENTIÆ, & FESTO, seu CULTUI, secundum illam* (Piam Sententiam) *exhibito FRUSTRENTUR; vel qui hanc eandem Sententiam, Festum seu Cultum in DISPUTATIONEM revocare, aut contra ea quoquo modo DIRECTE, vel INDIRECTE, aut quovis prætextu, etiam Definibilitatis ejus examinandæ, sive Sacram Scripturam aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi; denique alio quovis prætextu, seu occasione, Scripto, seu Voce, loqui, concionari, tractare, disputare, CONTRA EA quicquam determinando, aut asserendo, vel Argumenta contra ea afferendo, & INSOLUTA*

M 2 re-

relinquendo ; aut alio quovis EXCOGITABILI MODO differendo , ausi fuerint , præter Pœnas & Censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas , quibus illos subjacere volumus , & per præsentes subjicimus , etiam concionandi , publice legendi , seu docendi , & interpretandi facultate , ac voce activa & passiva in quibuscumque Electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus &c. &c. *innovantes Pauli V. & Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones , sive Decreta* . Hæcque de *Personis* Adversantium , seu de ipsis Adsertoribus Opinionis afflictæ aut *fœdatæ Conceptionis* .

De *Libris* vero addit , eandem afflictam Opinionem continentibus , hunc in modum : „ Ac Libros , in quibus præfata SENTENTIA , *Conceptus scilicet Incontaminati* , FESTUM , seu CULTUS secundum ILLAM in DUBIUM revocatur , aut contra ea QUOMODOCUMQUE , ut supra , aliquid scribitur aut legitur , seu Locutiones , Conciones , Tractatus & Disputationes CONTRA EADEM continentur , post *Pauli V.* supra laudatum Decretum editos , aut in posterum quomodolibet edendos , prohibemus sub Pœnis & Censuris in Indice Librorum prohibitorum contentis , & IPSO FACTO absque alia declaratione pro EXPRESSE prohibitis haberi volumus , & mandamus . „ Egentne hæc interpretatione , aut tanti , obsecro , non sunt , ut recenseri heic mereantur ? Ita hercle est visum *Lampridio* , qui Cap. I. *sui Operis* , ubi Decreta refert Romanorum Pontificum huc spectantia , non relatu digna hęc esse verba existimavit : certe in enarranda *Alexandrina* præsertim Constitutione sic incubuit , ut cum alia pleraque , nec levioris brachii , mox a nobis innuenda , tum integrum etiam hunc Paragraphum ne quidem primoribus , quod dicitur , labris degustarit . Si petis: quo id *Lampridius* consilio fecerit ? Nihil refert commemorare , ac ne inquirere quidem . A vero tamen non ille abludit prorsus , qui suspicatur , ab eo id factum , ut damnationis sententiam non in se se , suumque in fœtum ipsemet exscriberet ac pronuntiaret .

At quoniam , non ut quæ jam recitavimus , ita a laudandis & quæ sequuntur , parcitum sibi voluit *Lampridius* (quam ob caussam ? haud erit arduum divinare) : ingenui hinc ac religiosi hominis partes ex me postulant , ut illamet ipsa , prout a Theologo nostro percensentur non inlubenter , hoc mihi loco elabi nullatenus sinam . Sic ergo habeto : *Vetamus autem*

autem (edicit insuper ibidem Alexander) *Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam Opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum Originali Peccato fuisse conceptam, Hæresis crimen, aut mortale Peccatum incurrant, cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc MINIME DECIDERE* (majusculis cum *Lampridio* pag. 5. id Literis efferamus, ut morem geramus homini arbitranti, cum iis sibi confligendum esse, qui aut ignoraturi hæc sint, aut inficias ituri) *volumus aut intendimus. Quin potius contrariam illam Opinionem Hæresis aut Peccati Mortalis, aut Impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superius infliximus.*

Hactenus Bullam *Alexandri PP. VII.* audivimus, omnium postremam juxta & celeberrimam: nunc eandem & paulisper expendamus, atque a pravis *Lampridii*, *Valdesiique* detorsionibus vindicemus. Cui quidem rei faciundæ plura nobis sunt Capita impendenda: nimis enim longum foret, omnia hoc uno & singula velle complecti. Videamus itaque in primis, quid fuerit caussæ, cur Pontifex tam celebrem Constitutionem evulgaret; postea de favoribus pauca dicturi, quibus ipse tum Sententiam tum Cultum *Marianæ Præservationis* supra alios quoque Pontifices haud parum cohonestavit. De caussa ut dicam: si qua *Lampridio* fides, fecit id *Alexander*, ut enatam paullo ante de *Immaculatæ* titulo, deque nomine *Conceptionis* disputationem resecaret. En Theologi nostri verba conceptissima [pag. 60.]: *Sub Innocentio X. ex occasione cujusdam Decreti Sacræ Inquisitionis Romanæ, interdicentis appellari* Festum Immaculatæ Conceptionis, *acris disputatio renovata est, contendentibus quibusdam, sub nomine* Conceptionis *nihil aliud ab Ecclesia celebrari posse ac debere, quam* Sanctificationem *Virginis, non vero* Præservationem. *Hispanicorum querelis ac precibus FATIGATUS Alexander VII. anno 1661. controversiam hac ratione sustulit* &c.

Primum de *Lampridio* heic ego queror, nec immerito, quod vir, ad omnem Criticen natus, Decreti meminerit *Sacræ Inquisitionis Romanæ, interdicentis appellari Festum Immaculatæ Conceptionis* (*), quin vel unum fecerit verbum de falsitate ejus-

(*) Similis de eodem Mutinensi Theologo querela institui, nec temere, po-

ejusdem; aut de vehementi saltem suspicione falsitatis; itemque quin Lectores ipse suos monuerit usquam, qua ratione id Decreti genus improbarit repudiaveritque *Alexander VII.*, ut primum ad Apostolatus fastigium evectus fuit, Christique in Terris Vicarius designatus. Nimirum Pontifex (ut dicam obiter) satius duxit id facto perficere, quam verbo, mandans *Martino de Esparza*, Societatis Jesu Doctori Theologo, ut *Conceptioni Virgineæ* suum *Immaculatæ* Epitheton Scripto quodam publico jungeret, adsereret, restitueret, quod Ille extemplo præstitit, vulgavitque Romæ Typis *Hæredum Corbelletti* anno 1655. jubente eodem Pontifice, & sacri Palatii Apostolici Magistro *Raymundo Capisucco Ord. Præd.* (voluerit noluerit) annuente atque approbante. Huic autem Opusculo titulus iste præfigitur, grandioribus characteribus efformatus: *IMMACULATA CON-*

---

potest, quod *Capite ultimo* Italici Libri, ab se Venetiis evulgati ann. 1747. cui titulus: *Della regolata Divozione de Cristiani*, metam excedens, Officium quoddam *de Immaculata Conceptione* ab Innocentio XI., uti & alterum nuper a Benedicto XIV., prohibitum fuisse scribat, nullo verbo facto de caussis proscriptionum istiusmodi. Utrum id ille egit, ut invidiam conflaret? Certe, ut de priore dicam, ex Apostolicis Literis ejusdem *Innocentii Papæ* ad bon. mem. *Leopoldum I.* Imperatorem datis die 18. Decemb. anni 1678., quas ex integro refert Eruditus P. *Plazza* Act. V. art. 2. Operis inscripti: *Causa Immac. Concept.* pag. 445., liquido patet, Officium illud parvum, Mediolani impressum, a *Raymundo Capisucco*, Sacri Palatii Magistro, die 17. Febr. dicti anni ideo fuisse proscriptum, *quia* (ait Pontifex) *Indulgentiam apocrypham continebat, & falso afferebatur a fel. mem. Paulo V. Prædecessore nostro approbatum fuisse, aliisque de causis, quibus consulere oportuit, ne Fideles Populi deciperentur*. Tum vero, teste eodem *Plazza* in subjectis *observationibus* num. 217. ac seq., non multo post idem Officium ipsemet *Innocentius XI.* imprimi concessit, jussitque insuper, ut in novis editionibus ad illa primæ Collectæ verba: *Ut qui nunc tuam Sanctam Conceptionem devoto affectu recolo* &c. ad ly *Sanctam* addatur expresse = *& IMMACULATAM Conceptionem*. Id, quod cit. Auctor num. 219. ineluctabilius firmat ex alia ejusdem Pontificis Constitutione ord. 85. *Credita Nobis*, edita die 7. Junii ann. 1680. qua adprobantur Institutum & Constitutiones *Clericorum Sæcularium in communi viventium* sub immediata Ordinariorum jurisdictione. Duodecima enim ex iis Constitutionibus, in ipsa Bulla Innocentiana insertis *pro Juventute ad vitam Sacerdotalem educanda*, sic sonat: *Qui Officium parvum B. M. V. necdum orant, Officium IMMACULATÆ Conceptionis a SANCTA SEDE APOSTOLICA approbatum, una cum Hymno S. Casimiri .... persolvant*. Ita Tom. VIII. *Bullarii Romani* pag. 139. novissimæ edit. Rom. ann. 1734.

CONCEPTIO B. M. Virginis &c. talisque ei finis imponitur : *Cumulat itaque, non evacuat gloriam Redemptoris gloria CONCEPTIONIS IMMACULATÆ*. Plura Auctor *Historiæ Conceptionis* Thomas Strozzi, cujus nonnunquam testimonio & *Lampridius* utitur, præsertim *Cap. XI. pag.* 80., ubi nescio quid, sua quod interest quoquo modo, invenisse sibi videtur. Et quis, quęso, non miretur, & credat, *Lampridium*, cui alioquin nasus est Rhinocerotis, hæc non olfecisse? Atqui si tale facinus aut *Parthenotimus*, aut alius quisquis, pro *Illibata* Virginis *Conceptione* dimicans, patrasset unquam, taleve pro se, suaque sententia Decretum aut confinxisset, aut confictum ab aliis ea, qua *Lampridius*, ratione commemorasset: tacuisset ne *Lampridius*, vir adeo nasutus; aut non potius in ejusmodi hominem omni studio, ingentique fragore declamaret, obtestareturque per quidquid sacri universos, ne se patiantur ludificari fabellis hisce, fraudibus ac mendaciis; verbo, & si non posset eos voce flectere, nonne huc vel Acheronta moveret? At ipse tamen in rem suam tacuit callideque silentio obvolvit, quod ab aliis dictum, inque aliorum rem, ipsemet nullo pacto ferret. Quid ita, o bone? nisi quia tumetipse *Lampridi* ex illis unus es, quos pag. 76. *æquo animo minime ferendos* jure scribis, nempe *qui existimationis propriæ cauti custodes, commenta ejusmodi non jam impudenter adhibent* (id quippe unum hoc tibi loco cavisti) *sed ita pro sua sententia adferunt, ut illorum nolint præstare*, aut in se recipere *veritatem*; *simul tamen ipsa congerunt, Lectorique propinant, rati non defuturam bonam gentem, quæ hisce etiam imposturis ac ineptiis adhibeat fidem*? En quam belle hæc *Lampridii* verba in caput suum, in suum Auctorem, in ipsummet *Lampridium* recidunt!

Part.2.Lib.10. Cap.1.&seqq.

Deinde nescio, annon similiter & *Lampridio* exprobrandum, quod scripserit, *Alexandrum* VII. precibus Hispanorum ac querelis *fatigatum* (ita enim Scriptor modestissimus loqui amat) id est, quasi reluctantem atque invitum, hanc suam tandem oppido famosam Sanctionem edidisse; in rem utique *Virgineę Immunitatis*. Ejusmodi sane phrasin, duriusculam ac crudiorem justo, reperies familiarem fuisse Auctori nostro, atque etiam ab eo protrusam in alio Opere, excuso longe ante, sub *Pritanii* nomine; ut ego dubitem, an cordatorum quis illam possit concoquere. Non inficior tamen multiplicem Verbi istiusmodi = *Fatigare* = in Oratione usum esse,

De Ingeniis Moderat. Lib. 2. Cap. 6.

esse, variasque illud habere significationes apud Latinæ lin guæ peritos. Sed an id in Theologo, hujus saltem no tæ ac nominis, adprobandum sit, necne? ipsimet Ingenio rum Moderatori discutiendum relinquimus. Dum id auten ab eo præstari nobis cupimus, hæret aqua; nec sane vide mus, quei dictio illhæc, a Mutinensi Theologo non seme usurpata (utcumque sit anceps) temperari atque emolliri in eo possit citra apertam vim, aut in benigniorem parten trahi: ex quo præcipue ille ipse *Lampridius* noster *pag.* 82 non tam de *gente Hispana*, quam de ipsis quoque, quo mirari subit, *Catholicis Regibus* consignare hæc litteris non e veritus, scilicet, *Catholicos Reges IMPORTUNE apud Romano Pontifices egisse* hac de re; ac, si non quod erat in votis *saltem a Paulo V., Gregorio XV. & Alexandro VII. decret & Bullas retulisse, silentium præcipientes*. Hæccine Lampridi Reges Catholici *importune*, sententia tua, hanc oraru causam apud Pontifices Romanos, tam bonam, tam ju stam, tamque Catholico Rege dignam & Christi Vicario gra tissimam? atque uni huic eorum *importunitati* accepta refer & Decreta & Bullas, hanc in rem ab Apostolica Sede jar diu emanatas? Quid aliud (si vera sunt, quæ jactas som nia) quid aliud, rogo te, innuis Clientulis tuis, quum d *Alexandro Papa* ais, ab Hispanis *fatigatum* controversiam d Mariana Conceptione sustulisse ratione illa tua, nescio qua certe portentosa, uti infra videbimus; quid, inquam, aliu agis, o *Lampridi*, quam Supremum Ecclesiæ Pastorem exhi bere nobis animo imbecilli admodum, tantumque non mulie bri, ut qui passus fuerit se expugnari, cesseritque *importun* Hispanorum seu querelis seu precibus; atque adeo invitu quasi, atque omnino reluctans, Bullam in id suam, nob pulchram, tibi autem maxime invisam, cuderit ipse edideritque in vulgus? Lege Caput V. Libri IX. *Historiæ Concept.*, ubi i lius Auctor nigram hanc calumniam, in Gentem inclytam in Reges, inque ipsos Pontifices Maximos intentatam, c *Waddingo* aliisque invicte diluit atque retundit.

Sed ut ad caussam edendę id genus *Alexandrinæ* Constit tionis, unde paullulum digressi sumus, nostra revertatur ora tio: non alia plane ea fuit, quam quæ ab eodem refe tur Pontifice disertis hisce. Nempe id fuisse caussæ, quo *pergant aliqui*, ut ipsemet narrat, *contrariæ illius Opinionis* *sertores* (id est, Conceptus Maculati) *contra præfatas* (Pa V.

V. ac Gregorii XV.) *prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam* (Innoxię Conceptionis) *Sententiam aut impugnare, aut vellicare, &c. favorem a Romanis Pontificibus Cultui & Festo secundum illam* (seu Immunitatis Sententiam) *præstitum ita interpretari, ut frustrentur; imo Ecclesiam Romanam huic* (Immunitatis aut Conceptus Impolluti) *Sententiæ & Cultui, juxta illam Beatæ Virgini exhibito, favere negent, Pios Christifideles a sua quasi pacifica possessione deturbare conando* &c. &c. Impugnatio itaque Piæ Sententiæ, contra Apostolicas Sanctiones a nonnullis suscepta; tum falsa Bullarum Pontificiarum interpretatio, in favorem Cultus & Festi *Præservationis* Deiparæ editarum; necnon audacissimum eorum facinus, qui Ecclesiam Romanam hujusmodi & Sententiæ & Cultui favere negabant: tria hæc, per Hispaniarum Episcopos ad *Alexandrum* delata, Pontificem moverunt, ut de nova isthac in lucem emittenda Constitutione serio cogitaret, utique ad offensiones arcendas, ad compescenda jurgia & scandala, quæ inde, quasi herba irrigua, quotidie atque uberrime succrescebant. Cuinam ergo, obsecro, citius credas, *Pontifici* ne tam perspicue ac vera loquenti; an *Lampridio* secus somnianti, caliginemque veritati historicæ offundenti?

Expectationi autem de se conceptæ apprime respondit idem Pontifex *Alexander*, atque ex Pastoralis muneris debito temerariis id genus ausibus obviam ivit animo adeo invicto, ut nihil magis. Nam & favores a Decessoribus suis, Romanis Pontificibus, nominatim a *Sixto V.*, *Paulo V.* & *Gregorio XV.* huc conlatos (de *Pii V.* Decreto altum ubique silentium) non modo probavit ipse suoque innovavit calculo, verum etiam nova in id accessione, a se facta, maxime omnium locupletavit. Etenim, ut in pauca universam rem conferam, animadvertendum cum primis est, *Alexandrum VII.*, ubi Decreta *Sixti IV.*, *Pauli V.* ac *Gregorii XV.* suo Diplomate confirmavit, eo duntaxat ex capite confirmasse, quo *Conceptionis Immaculatæ* Mysterio favent, ut Alexandrinam Bullam intuenti liquet: ceteras vero, ut vocant, clausulas, ab iis Pontificibus ibidem appositas, idem *Alexander* intactas reliquit atque omnino insalutatas. Ad hæc, in Alexandrino Diplomate omnis quoque est mentio intermissa Pianæ Constitutionis, *Super Speculam Domini*, quam nos supra recensuimus, ubi suo quæque loco. Qui sic, obsecro? Quia hercle exploratum habuit Pontifex (quei enim non haberet?)

hancce *Pii V.* Sanctionem cum sua stare nullatenus posse : Heine unam hanc, a se editam, ita firmam esse jussit & ab omnibus incorrupte atque integre servari in posterum, ut §. 8. *cit. Bullæ* contrariis quibuscumque diserte derogaverit. *Non obstantibus* (inquit eo loci laudatus Summus Pontifex) *non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac quibusvis Indultis & Litteris Apostolicis, quibusvis Personis quantumcumque qualificatis* &c. &c. *concessis* : *Quibus omnibus & eorum singulis* &c. *præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, harum serie specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque*. Quibus quidem perspicuis verbis Piano sane Decreto abrogatum vel derogatum Ipse voluit : an vero & peculiarem abrogarit facultatem, a *Gregorio XV.* factam Fratribus Ordinis Prædicatorum in Litteris = *Eximii*, superiori Capitulo commemoratis ? prudentum erit judicare. Saltem colliges, quo jure, quave injuria *Lampridius* apud *Valdesium* Epist. 14. pag. 173. cum Anonymo expostulet, quod adversus ipsum *Italico* sit usus sermone : *Nihil* [ait] *veritus suspensionis pœnam a Pio V. ipso facto sibi inflictam*. Scilicet foris oculatus, domi cæcus ; inque aliis festucam, in seipso trabem non videns.

Attamen favoribus istis, qui sunt sibi cum prælaudatis Pontificibus fere communes, & alios aggregavit *Alexander*, proprios, vereque singulares, quos nemo ante. Ecquis enim ante ipsum enodate, districte edicendum sibi sumpsit, ne Sixtinas, Paulinas, Gregorianasq; Constitutiones sive Decreta ita *interpretari* ausit ullus, ut *favores* per illas qua Sententiæ, qua Festo aut Cultui *Conceptionis intemeratæ* impertiti, *frustrentur* unquam ? Quis eandem Sententiam, Festum vel Cultum præfata sub significatione *Immunitatis* revocare *in Disputationem* ; aut contra ea quidquam *directe* seu *indirecte*, sive *alio quovis prætextu* vel *occasione*, non solum *scripto*, sed etiam *voce*, tractare vetuit ac disputare ? Quis denique *contra ea*, hoc est dictu, contra dictam Sententiam & Festum seu Cultum, *determinare* quicquam ; quis *asserere* ; quis argumenta ex adverso *adferre* & *insoluta relinquere*, aut quovis alio vel *excogitabili modo* differere interdixit, præterquam unus *Alexander*, hujus nominis Papa Septimus ? Hęc alte ut infigas animo, memoriaque teneas ; te etiam atque etiam rogo. Non enim semel, sed sępius huc nobis redeundum erit ; potissime ubi, paruerit ne, an non *Lampridius*, multo plenius disceptabimus.

Prę-

Prętereà in id genus favoribus haud postremum tenent locum & quæ de *Libris*, sive jam editis, sive posthac edendis, ab eodem Pontifice sancita esse legimus, quæque nos jam supra in medium adduximus ipsissimis *Alexandri* verbis, ad *expresse prohibitorum* classem omnes ejuscemodi Libros ablegantis, in quibus aut in *dubium* vertitur Sententia, vel Festum seu Cultus *Immunitatis*, aut quid alterutri contrarium *quomodocumque* promitur, vel continetur. Meliore ergo loco Sententiam Piam, uti & Oppositam pejore, vix esse posse, quam in quo nunc sita est; profecto, ut opinor, dabitis. Denique his quoque affine est, eodemque in numero, quod est ab *Alexandro* diserte ibidem declaratum. Nempe, *Gregorium XV.* ubi uno *Conceptionis* nomine perscripto, cetera amandavit omnia ab Ecclesiasticis Officiis, huc tantum respexisse, atque in *favorem* ejusdem Piæ Sententiæ, necnon & in favorem *Festi* & *Cultus*, juxta eam Piam Sententiam Deiparæ delati, id ipsum unice decrevisse: Tum illud etiam, *in Ecclesia Romana post ipsius Cultus institutionem*, quæ a *Sixto IV.* emanavit, ejusmodi *Intemerati* Virginei Conceptus Cultum *nunquam* fuisse *immutatum*. Atque hem tibi, quam multimoda huc congesserit beneficia, quamque variis modis & Sententiæ & Festo ac Cultui *Marianæ Præservationis*, seu *Immunitatis* ab Adami contagione, faverit *Alexander VII.*; cujus postremo allegata verba = *Post ipsius Cultus institutionem NUMQUAM immutatum* = uti illa quoque, quæ sunt proxima, *Gregorii XV.* hac nobis super re mentem reserantia, *Lampridius* noster omnino præteriit. Adeo mutilatam libuit sibi *Alexandrinam* exhibere Bullam, ut sane vel parcissimus quisque ac moderatissimus vix ei temperaverit.

Qua de re juvat heic referre, quid (ut mittam alios) *Joannes de Luca* Franciscanus sentiat, Venetæ *Observantium* Provinciæ Theologus atque Alumnus. *Ægre mihi est* (inquit ille) *palam hoc dictitari de viro erudito* (puta de *Lampridio*) *fraude mala in hoc argumento esse versatum, dataque opera verba illa omisisse Alexandrini decreti, quæ Pontificis mentem in hoc Mysterio colendo, atque adeo Romanæ Ecclesiæ, hoc est Catholicæ testarentur: in re tam obvia non eum falli potuisse, sed alios fallere voluisse.* Jure ne id, an injuria de Theologo Mutinensi suspicetur Venetus Theologus; facile erit ad intelligendum. Nam quæ *Valdesius* Epist. V. pag. 47. exeruit, profecto non sunt tanti, ut *Lampridium* suum, aut potius semetipsum (variis pro libitu nominibus sibi adsumptis) purgent nobis.

In *Præf.* ad Lect. Opusc. de *Imm. Concept.* typis Neapolis

Quid enim refert dicere: *quacumque* Lampridius *prætermisit*; *per varia &c. alibi quærenda designavit*? Quasi non summa hæc Causidicorum ars sit sententias vel negare, vel tegere, vel detruncare seu rectius pervertere notis illis compendiariis, prout e re sua suorumque, quibus ii patrocinantur, fore intellexerint. Adde, partem maximam *Alexandrini* Diplomatis quod dederit *Lampridius* cuilibet conspiciendam paucissimis tacitis, iisque recensitu quam facillimis; nulla mehercle est ratio. Ad extremum, ubinam, quæso te, ubinam *Valdesi* varia illhæc tua *&c.* sane evanida, quo ego monitus inquiram alibi, seu quæ de Libris *Alexander* instituit, seu quæ de mente *Gregorii*, Decessoris sui, enucleate ipse in lucem protulit? Num jure quodam tuo a Lectoribus postulas, ut calleant artem divinandi, qua nullo prævio tui istius animi indice, quod geris intimis præcordiis, odorari valeant atque retegere?.

Sed est etiam multo ineptius, quod in *Lampridii* defensionem rursus educit obtruditque *Valdesius* noster, venditans per alia ipsius *Alexandri* Pontificis verba, a *Lampridio* sane non prætermissa, videlicet: *Nos considerantes, quod S. Romana Ecclesia de intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione Festum solemniter celebrat, & speciale ac proprium super hoc Officium olim ordinavit juxta piam, devotam & laudabilem institutionem. quæ a Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanavit*: satis indicari, Conceptionis Festum a tempore *Sixti* usque ad *Alexandrum VII.* numquam immutatum. „ Ita *Valdesius* verbis conceptissimis. Ast, quam ille fallatur aut fallat, non multis opus est ut ego probem, ac cuiq; vel obnitenti persuasum eam: Quippe iis verbis *Alexandrinæ* Bullæ, a *Lampridio* quidem non infideliter prolatis, hoc unum docet Pontifex, Festum Conceptionis Deiparæ a *Romana Ecclesia* etiamnum celebrari, itemque ab illa speciale ac proprium *olim* Officium in id rei ordinatum fuisse juxta *Sixti PP.* institutionem. An hęc, amabo te, *indicant* oppido *Satis* Ecclesiam Romanam *nunquam* Cultum *immutasse* Mariani Conceptus, eum, quem Sixtus IV. instituerat, hoc est dictu, Conceptus purissimi ac cujusque noxæ prorsus expertis?; Id namque ferunt ea, quæ *Lampridius* siluit, Apostolici Decreti verba: *Post ipsius Cultus institutionem numquam immutato*. Non ergo insulsa, ut eam *Valdesius* vocitat, Patris *de Luca* querela: quin potius, quam ipse insulsus sit *Lampridii* defensor; ex hoc plus satis potes intelligere.

Utut tamen sit: Virum tam bene de optimis Literis me-

meritum cujusmodi *Lampridius* est, non facile subleste heic fidei ego condemnaverim; maloque præjudicationi aut nescio cui indiligentiæ id vitio dare, quam animo illius ad fallendum composito. Veruntamen arbitror esse aut fore neminem, qui non fateatur, intercisa a *Lampridio* verba ad substantiam maxime pertinere, neque quod omissis, idem ipsum eque posse & ullis aliis a se exscriptis verbis unquam demonstrari. Etenim, quæ heic de *Gregorio* antecessore suo testatur *Alexander*, cum scilicet in *favorem* Piæ Sententiæ, uti & Festi ac Cultus *Inculpato Conceptui* exhibiti, præcepisse, nulli ut fas sit hominum alio in posterum, quam *Conceptionis* nomine uti, quum rem Divinam facerent: hæc, ajo, quæ sibi *Lampridius* non commemoranda existimavit, plane evincunt, illorum profligatam prorsus esse caussam, qui statim ab evulgata *Gregoriana* Lege notionem vocis *Conceptionis* mutatam esse dictitabant. In his nomen suum & Theologus Mutinensis posuit, seque illis inconsulte comitem adjunxit hac in re; ut nuper ostendimus *Capite præcedenti*. Quare, si judice *Alexandro*, in illius *favorem* Sententiæ, quæ Virginem asserit ab originali labe omnino immunem, præstitit id *Gregorius*, ut præjactum est: Ergo nullus dubitationi locus est super, quin alio numquam intellectu, quam *Præservationis*, integrum nobis sit Deiparæ Conceptionem celebrare, ejusque diem festum agere. Alioqui, quomodo stabit *favor*, quem *Gregorius* Sententiæ impertivit, utique illi, quæ negat Virginem contraxisse Peccatum Adæ? aut qui, obsecro, favor iste erit, si quidem (uti post *Lampridium* pag. 60. & 90. locis ferme innumeris *Valdesius* inculcat) si ajo, cuique volenti fas fuerit sub *Conceptionis* nomine *Sanctificationem* colere, hoc est *Expiationem* Virginis a parentali nœvo seu a culpa originali? Numquid inter *favores* numerandum, quod Pontifex (proscripta ab Ecclesiastico Cultu *Sanctificationis* voce, eaque una *Conceptionis* tantum retenta, a qua alias abhorrebant maxime quotquot in Opinione erant Immunitati contraria) rem ita temperarit, composueritque, ut iis quoque liberum foret *Conceptionis* Festum celebrare *ad suę Opinionis normam, hoc est sub consideratione SANCTIFICATIONIS;* uti pag. 51. *Valdesius* quasi ex Tripode pronuntiat? Fortassean, quia *Gregorius* idem utrique contendentium Parti nomen præscripsit in re Divina facienda, videlicet purum putumque *Conceptionis* nomen, non eandem nominis si-

significationem; Sententiæ *Præservationis*, ejusque Cultui *favisse* dicendus erit?

Præterquamquod, quum audis Pontificem *Alexandrum* testantem, *in Ecclesia Romana* Marianæ *Immunitatis* Cultum, ex quo semel susceptus fuit, atque a *Sixto* IV. Solenni deinde Decreto probatus, *nunquam immutatum* fuisse, seu jam inde a tempore *Sixti*, ac longe etiam ante, semper eundem perseverasse: continuo intelliges, multoque clarius, quam ante, a *Romana Ecclesia* uni tantummodo *Immunitati* seu *Præservationi* cultum deferri, semperque delatum esse; adeoque Objectum ejusmodi seu Festi, seu Cultus ea in Ecclesia, omnium Matre ac Magistra, non aliud esse, fuisse aut fore, quam Deiparæ Virginis Conceptionem, uti *Immaculatam*. Atque hinc & illud jam tenes, nec *Pium V.* nec *Gregorium XV.* neque alium quemquam ex Romanis Pontificibus, quod est ad id genus Cultum ejusque Objectum, novasse quidquam: quin immo a veri tramite qua *Lampridium*, qua *Valdesium* aberrare quam longissime, illum quidem, ubi *Thomisticum* nescio quod Officium & Missam a *Pio V.* invectum somniat, Scotistis juxta & Thomistis commune; hunc vero, quum venditare non dubitat, ad istiusmodi duntaxat Pontificis mentem *Gregorium XV.* solius usum *Conceptionis* demandasse omnibus, neutiquam autem in rem seu *favorem* Immunitatis; uti *Alexander* aperte docet & ante jam vidimus. Habes rursus, quo sit nomine dignus *Valdesius*, quum pag. 65. offucias quærens claudit: *Unum ergo illud, quod præstitit Alexander, situm est in hoc decernendo, videlicet Piæ Sententiæ addictos in celebrando Conceptionis Festo Præservationem illius semper coluisse; & quod est ad eos & ad Cultum ab iis Virgini sub hac significatione exhibitum, nihil unquam immutasse Romanos Pontifices*. Næ ille egregius mihi est Alexandrini Diplomatis explanator & interpres! utpote in quem *Tertulliani* illud convenire quam apte videtur: *Tantum Veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor Stylus*. Qua de re mox a nobis plura: enarrare enim tibi hoc loco omnia, simulque refellere, proposita unius Capitis brevitas, quod jam in altum excrevit, omnino prohibet.

De Præscript. Hæret. Cap. 17.

CA-

CAPUT IX.

Eadem de re; hoc est de Objecto Festi seu Cultus Virgineæ Conceptionis, in una Immunitate sistendo, paulo latius. Valdesiana in id commenta exsufflantur. Conceptionis vox idem sonat hodie, quod olim ac semper, id est, idem quod Conceptio Immaculata. An extet Præceptum de celebranda ab Omnibus Immunitate? Negat Lampridius simul & Valdesius; sed omnino perperam.

UT clarius ac facilius intelligas; quam procul sit ab *Alexandri VII.* mente Mutinensis iste Magister & Doctor, quamque multis modis Pontificis Bullam in alienum inprudens sensum detorqueat; animadvertas velim, seu ex dictis potius nunc recolas, memineris que, jam inde ab anno 1439. (hoc est septem ac triginta annis priusquam *Sixtus IV.* primam suam Constitutionem = *Cum præexcelsa*, in lucem proferret) Basileenses Patres clarissimis verbis testificari, *tam per ROMANAM*, (*) *quam per alias* Orbis *Ecclesias ANTIQUA & lau-* Sess. XXXVI. Syn. Basiliens.

(*) Quod de *Romana Ecclesia* Basileenses affirmant, negare videntur *Joannes Capreolus*, ac *Joannes de Turrecremata*, Dominicanæ familiæ Theologi illustres atque celeberrimi, locis a *Thyrso Gonzalez* indicatis Libro *de gradu certitudinis* hujusce Mysterii *Disp.* 2. *Sect.* 18. *num.* 216. Floruit autem *Capreolus* quindecim circiter annis ante latum Decretum Basileense; *Turrecremata* vero, quem *Eugenius IV.* jure meritissimo Sacra ornavit Purpura, claruit post, obiitque anno 1468. At *Basileenses* multis mihi titulis majorem videntur fidem promereri, quam *Capreolus* & *Turrecremata*, quos non immerito ceu suspectos hac in caussa, a testimonio dicendo possumus repellere. Quid enim non possit vel in Magnis identidem viris favor, gratia, amor aut odium; cum in aliis prope omnibus, tum in hac potissimum controversia abunde liquet. Suspectum autem esse, ut minimum, istorum testimonium elicitur quoque clarius ex verbis *Joannis Bacconi*, Carmeliticæ Scholæ Principis, qui e vivis fertur excessisse ann. 1346. diserte testantis in 4. Sent. Dist. 2. q. 4. art. 3. *publica & diuturna consuetudine* in Romana Curia præsentibus Cardinalibus apud Carmelitas, inque eorum Cœnobio *Conceptionis Mariana* Festum celebratum fuisse. Si enim *publica & diuturna* (ut ille ait) *consuetudine* suo id fiebat ævo, sique, ut e vestigio addit, *hæc duraverunt*

laudabili consuetudine immunem *celebrari* ab Originis labe Deiparam Virginem. Ubi quidem notabis, vel in *Romana* Ecclesia (nedum in aliis Singularibus, loco dissitis) non novum aut nuper enatum, sed jam tum quoque *antiquum* ab iis dici Conceptionis Cultum, *Impollutæ* scilicet atque *Candidissimæ*: quibus sane idoneis testibus, utpote de facto, si quod aliud, cunctis notissimo aperte affirmantibus, cedo, quis non credat, quis non adhibeat fidem? eam ajo saltem fidem, quam vir probus nemini vel ex trivio deneget, modo non rabulæ de foro aut impostori manifesto (*). Oblatrarunt tamen nonnulli indigne id ferentes maxime, ut fit fere inter mortales, qui Opinionibus identidem vivimus: at ii cum risu ubivis excepti fuere, ac prorsus nihil promoverunt importunis, inconsultisque id genus clamoribus, objurgationibusve.

Quia

---

runt tempore multorum Romanorum Pontificum usque in præsens tempus; & constat, quod tamquam diuturnam & notoriam solemnizationem ii bene noverant: annon ab omni veri specie abhorret, tamdiu ante *Turrecrematam*, immo & *Capreolum* de hoc Festi genere ita scripsisse *Baceonum*, quin illud, a Cœnobitis primum inductum annuente Pontifice, in ipsam dein *Romanam* Ecclesiam non multo post immigraverit? Quod autem, ut hanc componat litem, excogitavit *Calderoninus*, a Gonzalez citat. num. 217. nempe *Basileenses* dicere, *antiqua* id *Consuetudine* celebrari *per Romanam Ecclesiam*, non vero *ab Ecclesia Romana*; inane prorsus est ac nullius ponderis, præsertim ni quod ille de *Romana*, id ipsum velis & de *aliis* Orbis *Ecclesiis* statuere ac pronuntiare. Etenim tam de istis, quam de illa *Basileenses* eodem loquuntur modo id est *per alias* aiunt *Ecclesias*, non autem *ab aliis Ecclesiis* &c. Confirmari id ipsum magis magisque potest, immo & extra controversiam poni luculento pervetusti Dominicani testimonio, nempe *Bartholomæi Tridentini*, Scriptoris Sæculi XIII. circiter medii ex Ordine *FF. Prædicatorum*, qui in Opere cui titulus: *Prolegomena super libro Epilogorum in gesta Sanctorum*, ab se elucubrato, hæc prout ad rem oculatus testis habet: *Conceptio Sanctæ Mariæ.* = *Conceptio Matris Dei a plerisque solemniter celebratur, sicut ipse* (ait) *præsente Romana Curia, nec inhibente, in Cathedrali Ecclesia Anagniæ fieri vidi* &c. Disertissima isthæc *Bartholomæi* verba nuper Roma accepi, fideli manu descripta ex Codice M. S., qui ibidem in *Barberinorum* Bibliotheca adservatur *num.* 2061.

(*) Sapienter hinc *Catharinus* in cit. pluries Disp. *pro veritate Immac. Concept. B. V.* ad S. Synodum Trident. Part. I. col. 70. = *Etsi*, inquit, *non fuerit eo tempore ibi auctoritas Synodi, erat tamen auctoritas Virorum doctorum ac sapientium. Nec parvi est momenti Concilium illud (quod ad hanc determinationem attinet) a nonnullis Nationibus esse receptum; quodque magnopere est considerandum, non reclamante Summo Pontifice, & Sede Apostolica minime reprobante.* Usque hactenus *Catharinus*, jam duobus abhinc Sæculis.

Quia vero isti altius in dies vociferari; ac tam laudabili Ecclesiæ mori simulque perantiquo, ferocissime maledicere haud desinebant unquam, mentientes id fieri aut inconsultis aut insciis, aut (quo nihil deesset ineptiarum) prope etiam invitis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus Maximis: idcirco *Sixtus IV.*, quo caussæ tam bonæ, uti decebat, prospiceret, anno 1476. celebrem tandem Sanctionem evulgavit, a me paullo ante laudatam, qua morem hunc, seu Cultum Marianæ *Præservationis*, Apostolicæ Sedis munimine roboravit, peculiarique ornavit Officio, videlicet illo, cujus fama certa est, ac liquido constat, *Nogarolam* auctorem Parentemque extitisse. Hanc dein *Sixti* Constitutionem septem post annis, hoc est anno 1483. excepit & altera, quæ incipit: *Grave nimis*, ab eodem Pontifice adornata eandem in rem, inque Obtrectatores invidos atque immorigeros, frænumque mordentes, ab OEcumenico postidem *Tridentino Concilio* firmata atque innovata. (Sess. V. ubi de Peccato Originali.) Quod quidem adeo verum est, ut non heic repugnantem, sed prorsus consentientem habeamus *Lampridium* atque *Valdesium*; ut videre est cum pag. 59. & 60. Libri *De Superstitione Vitanda*, tum etiam, multoque apertius, pag. 64. *Valdesianarum Epistolarum*. Hucusque tamen ex prudenti quadam Romanorum Pontificum Oeconomia nemo cogebatur invitus ejusmodi Cultum deferre Virgini: quin & ab eo abstinere licebat cuique pro lubito ad annum usque 1568., quo illum S. *Pius V.* Bulla, *Quod a nobis*, ad universam Ecclesiam, seu ad Ecclesiasticas Personas universas, non jam invitando (quod unum antea *Sixto* præplacuit) sed etiam imperando propagavit. Id autem male omnino, immo & pessime habet *Valdesium*, qui proinde cit. pag. 64. postquam *Nogarolianum* Officium Breviario Romano exeisse animadvertit jussu Pii V. Sanctissimi Pontificis, eo solum retento, quod e duobus, de eodem Mysterio extantibus Officiis alteri præstabat vetustate; illo scilicet, quo *Romana* etiamnum *Ecclesia* utitur, quodque ipse *Valdesius*, sane obdormiscens Orbique illudens, *Thomisticum* appellat; ita cavillando subnectit: eum Pontificem, hoc est *Pium V.*, Officium Missamque induxisse ejus generis, *quæ tam affirmantibus quam negantibus Præservationem Virginis convenire possent, & neutri sententiæ obessent.* Quod est reapse contra *Alexandri VII.* luculentissimam declararationem dicere atque effutire, *Ecclesiam Romanam* veterem *Purissimæ Conceptionis* Cultum *immutasse*; neque amplius,

O ut

ut ante, unam duntaxat colere Divinæ Matris *Immunitatem* sive *Præservationem*. Sed quam procul id absit a vero, quin & ab omni veri specie; planissime a nobis nuper (aut ego fallor) confectum est: eoque res nunc rediit, ut volens nolens, ferat *Valdesius* patienter in se se retorqueri justius, quæ ipse fidentius pag. 62. in Minoritam Venetum torserat, nimirum: *Qui ista comminiscitur* (Mutinensis Theologus), *necesse est uno tantum oculo, eoque infirmo utatur*; ni potius nullo prorsus. Legendi hanc in rem (si per otium licet) omnium præcipue *Suarezius* atque *Raynaudus*, duo Societatis Jesu Theologi vere Eximii, nominisque immortalis.

In III Part. Tom. II. quæst. 27 art. 2 Disp. 3. Sect. 5. De Pass. Lect. pag. mihi 356. column. 2.

Pergentibus autem fautoribus Opinionis adversæ, id est, non nitidi sed *sordidati* Conceptus, eundem Spurium suum in colenda Dei Genitrice ritum, quem ante *Pium V.* foverunt, etiam post ipsum mordicus tenere, nempe sub nomine atque Objecto *Sanctificationis* (quo facto ipsissimi *Valdesii* Clientes Patronum suum mirifice hallucinatum produnt, ubi ille *Thomisticum* Officium a *Pio V.* invectum utrisque commune, tam iis qui inficiunt Virginem, quam qui nunquam infectam eam tutantur ulla Peccati macula), atque id ipsum non modo præter, sed etiam contra manifestam Ecclesiæ mentem: præsto hinc fuit *Gregorius XV.*, qui pro Domo Dei proque Illibatæ Virginis Mariæ gloria viriliter decertans, anno 1622. istorum hominum tandem cervices fregit, cavitque, ne quis *in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis tam publice, quam privatim alio, quam Conceptionis nomine uti* audeat vel possit. Exinde illi tam perspicuo ac peremptorio Decreto nihil habebant, quod opponerent exciperentque: ac tunc primum cœpta est ab iisdem usurpari in Missa, Horisque Canonicis vox *Conceptionis* loco alterius *Sanctificationis*, qua abstinere jussi sunt. Sed ecce! Eruperunt sub *Innocentio X.* ex Sacra quadam Religiosorum familia (cujus parco nomini) Libellatores duo, bellum aliter, cuniculisque instaurantes. Quorum unus ajebat, *Gregorium* Pontificem id quidem præcepisse, *ut cultus esset magis uniformis*; at simul ostendisse, *nomen CONCEPTIONIS esse de se indifferens ad utramque Sententiam*, id est tam affirmantem, quam negantem in Deipara originale Peccatum. Non absimilia & alter habet ex Romanis illis Libellatoribus: *Aliquando idem erat dicere quoad plures, CONCEPTIO; &, IMMACULATA CONCEPTIO: at post Gregorium non idem sonat*.

bat. (*) Quod perinde est ac dicere, Ecclesiam Romanam post *Gregorianum* Decretum colendæ Virginis ritum commutasse, ita ut non amplius de *Præservatione* tantummodo, verum liceat etiam pro cujusque arbitrio de *Sanctificatione* seu *Expiatione* Festum celebrare: quo & id consequens est, nihil inde præsidii, nihilque *favoris* accessisse Piæ *Præservationis* Sententiæ, quod non idem & in oppositam, tantum non enectam, Opinionem *Sanctificationis* æque demigraverit.

Quæsitum hinc est, acriterque inter Theologos disputatum, qui esset Romanæ Ecclesiæ sensus in Festo *Conceptionis* agendo post *Gregorium* hujus nominis *Quintumdecimum*. Unus præ aliis *Theophilus Raynaudus* adversus ejusmodi morosos ac derisiculos Libellatores calamum acuit: editaque Dissertatione: *De retinendo Titulo Immaculatæ Conceptionis B. Virginis*, omnes illorum seu tricas, seu cavillos dissipavit, feliciterque protrivit. Hæc autem dum aguntur in Scholis, in foro, & ubique incredibili contentione animorum, magnoque Christiani Populi scandalo; ex umbraculis Eruditorum in solem atque pulverem, inque ipsum discrimen aciemque res perducta est, hoc est dictu, ad Apostolicam est Sedem delata, utique discutienda ac dirimenda, *Alexandro VII.* sedente atque Ecclesiæ gubernacula tractante. Hic, instituto judicio cognitaque caussa, ut finis aliquando judiciariæ id genus controversiæ constitueretur, clarissimis verbis adversus Osores *Immunitatis Marianæ* atque injustos id genus Nugatores anno 1661. decrevit, edixitque, *Gregorium XV.* id, quod supra est positum, imperitasse *in favorem ejusdem* (Piæ) *Sententiæ*, quæ Deiparam habet primo creationis instanti ab Originis labe omnino præservatam. Non ait *Alexander*, in favorem *utriusque* de Conceptione Sententiæ constituisse *Gregorium*, ut ab omnibus usurparetur *Conceptionis* vocabulum: sed id duntaxat jussisse *in favorem* unius, scilicet Sententiæ *Præservationis*. Et sane, si & alteri favisset *Gregorius* Pontifex, idest Opinioni *Sanctificationis*; qui, amabo, esset *favor*, quem (*Alexandro* judice) in Sententiam *Immunitatis* Ille contulisset? Tantum id abesset a *favore*, ut nihil *favori* magis possit esse contrarium. Adhæc, declarat *Alexander* eodem loco, hoc est in relata Bulla:

(*) Libellos hos invenies in *Armamentario Seraphico* a colum. 6. usque ad 26. & in *Apologia* Antonii Calderonii edita anno 1650. Istorum autem Libellorum quis auctor fuerit? vide apud *Petrum de Alva* in *Sole veritatis* colum. 217. postremæ Editionis Lovaniensis de anno 1666.

Solicitudo omnium Ecclesiarum, Conceptionis *Cultum secundum illam* [Sixti institutionem] Deiparæ *exhibitum*, nempe Cultum *Conceptionis Immaculatæ*, in *Ecclesia Romana post ipsius Cultus institutionem*, seu ex quo semel adhiberi cœpit, *numquam esse immutatum*, ita ut id ipsum, quod olim, nunc quoque ac semper sit Objectum Festi ac Cultus *Conceptionis* apud Summos Pontifices, Clerumque Romanum, ac quibus est cum Pontifice Romano Religionis societas vel communio. Hoc enim sonat, Cultum *Virgineæ Conceptionis*, ad *Sixti IV.* mentem præstitum, *numquam esse immutatum in Ecclesia Romana*: videlicet apud eos, quos memoravimus, *Immunitatis* Cultum semper eundem extitisse atque perseverasse, quin ullum ibi locum habuerit unquam Cultus oppositus *Expiationis*.

Nunc ita conficio: certissima res est, cunctisque notissima, *cum consequens aliquod falsum sit, illud, cujus id consequens sit, non posse esse verum*; hoc est, purum putumque figmentum esse, quod commendarunt chartæ *Libellatores* ingeniosissimi, deblaterantes, *Conceptionis* nomen post *Gregorium XV.* non idem sonare quod ante, illudque *de se esse indifferens ad utramque Sententiam*, cum *Præservationis*, tum etiam *Sanctificationis*. Cujus quidem rei & ratio quoque est in promtu. Quid enim *Conceptionis* vocabulum, obsecro? Si naturam, si communem sensum consulamus, non aliud plane designat, nisi animæ in corpus infusionem, quæ a Deo fit unico momento indivisibili. Secundo igitur, aliove deinceps momento ab infusa in corpus Anima, jam *Conceptio* non est, sed omnino prætervolavit. Ergo *Gregorius*, qui in colenda Diva Virgine quodvis nomen a *Conceptione* diversum de medio sustulit, *primum* vitæ ejus momentum celebrari mandavit; ideoque *Conceptionis* vocabulum *indifferens* esse vel ambiguum significando, profecto non potuit. Sapienter hinc *Raynaudus* in eos, qui *Sanctam Conceptionem* aliud, quam *Immaculatam*, sonare contendunt (quippe quod vox *Sancta* neutri Sententiæ de *Conceptione* alligetur, ac vere Deiparæ *Conceptio* dicatur *Sancta*, quia hoc illi adtributum quadrat vel primo creationis instanti, vel secundo, vel tertio, vel alio deinceps, quo revera *Sancta* fuit) : *Hæ tricæ*, ait, *destituuntur veritate. Nam vox SANCTA, cum cadit in Conceptionem, acceptam in sensu protrito* (id est, ut significat Animæ in Corpus infusionem, seu primum vitæ exordium) *quem ante habebat*, ac semper est habitura; *sonat gratiam Animæ inhærentem in primo vitæ momento, cum qua inhæsione incompossibile est peccatum Originis*. *Quia ergo Ecclesia* [pergit Auctor doctissimus] *SANCTAM vocat & colit Conceptionem, sic sumptam, agnoscens in ea Pie & probabiliter Sanctitatem, plane eodem tenore*

De vero Tit. Immac. Concept. §. 4.

nore

nore agnoſcebat Conceptionem IMMACULATAM.

Sed ſi *Libellatores* illi vix ulla ſunt venia digni, quod tantas nugas procreaverint, tametſi ante Diploma *Alexandrinum* diſſeminatas atque diſperſas: quid de *Valdeſio* dicendum, acuto illo Lampridiano interprete, qui noſtra hac ætate, longeque poſt evulgatam *Alexandri* Pontificis Sanctionem, adeo perſpicuam, eadem ipſa commenta ex Orco revocare, ac opinione latius ſpargere non eſt veritus, dictitando, eam in rem a *Gregorio XV.* unum *Conceptionis* nomen præſcriptum fuiſſe omnibus, *ut utraque factio* (ſunt hæc diſertiſſima *Valdeſii* verba pag. 64.) *ſine ſuæ Opinionis læſione Feſtum illud celebrare poſſet?* (quo neſcio, an quidquam ſcribi potuiſſet vel audacius, vel inſulſius). Enimvero, quis non præſtigiarum ejuſmodi pertæſus jure meritoque ſuccenſeat homini, talia auſo, quem non ratio, non Pontificum auctoritas, non denique obſequium, Apoſtolicæ Sedi omnino debitum, coegit in ordinem, in officio continuit? Profecto, ſi Sanctiſſima Eccleſiæ Decreta ac Pontificia Diplomata in quas volueris partes ita verſare licet; ſi ad voluntatem iis addere aut demere; eademque ſi luxare, eludere, inflectere fas fuerit: quantum inde detrimenti Religio latura ſit, certo conſtabit, modo paullulum huc velis animum advertere.

Quo autem *Valdeſiani* iſtius interpretamenti falſitas appareat magis, id quoque tibi ob oculos ſiſtam, atque ut perpendas, hortor, quid ante adeptam Præfecturam Sancti *Pii V.*, nedum *Gregorii XV.*, Cultores obtruſerint *Sanctificationis*; quo ab ejuſmodi Cultu, in odium *Immunitatis* atque in dedecus Apoſtolicæ Sedis arrepto, crimen omne removerent. Excuſabant enim illi Silentium Pontificum Romanæ Eccleſiæ; quo uno ſat ſe tutos eſſe atque extra teli jactum poſitos contendebant. Audi eos ita loquentes apud *Ambroſium Catharinum* jam ab anno 1551. quo ipſe laudatam ſæpius Diſſertationem ſuam Romæ excudit: *Cur*, ajebant, *vel nunc nobis permittitur celebrare de SANCTIFICATIONE, non de CONCEPTIONE?* Non eſt hujus inſtituti tam ridiculum atque elumbem eorum conatum prolixius refutare. Satque ſuperque præſtitit id *Catharinus* eodem loci, Theologus ſane graviſſimus doctiſſimuſque. *Utinam*, inquit, *non multa eſſent alia ſcandala, quæ Speculatores non corrigunt! & iſtud unum eſt illorum, cujus gravitatem (quæ jam nimia eſt) non ii ponderant. Deinde*, adnectit, *multa ad duritiam noſtram tolerant, ne deteriora contingant. Ob eam cauſſam tolerati ſunt olim Judæi in ſuis Cæremoniis, donec mortiferæ facta ſunt.* Similiter (addo) & illis ſeu Judæis conceſſus erat olim libellus *Repudii*, Chriſto Servatore noſtro dicente: *Moyſes ad duritiem cordis* ve-

Diſſ. cit. *ad Synod. Trid.* Part. II. column. 112.

Matt. XIX. 8.

vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Nempe permissum id erat, aut potius in Populo cervicoso, ac durissimi ingenii, a Moyse *toleratum*, non tanquam res licita, quæ sine culpa fieri posset, sed tanquam minus malum ad vitanda majora, teste S. *Hieronymo*, quem Ducem sequuntur S. Bonaventura in 4. *dist.* 33. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2., Hugo de Sancto Caro in *Caput XXIV. Deuteron.* sub initium, Estius in 4. *Dist.* 33. §. 9. aliique passim. Attamen illi, hoc est Auctores Fautoresque *Sanctificationis*, surdi prorsus ad hęc; nunquamque non reponebant vel ad nauseam usque, caussantes: Quid ergo silet Sedes Apostolica? cur permittit, cur ipsa non prohibet unam præ *Conceptione* a nobis *Sanctificationem* celebrari? Ita illi quidem usque ad annum 1622., quo præfatum *Gregorii* Decretum prodiit de omni vocabulo a *Conceptione* diverso e Breviariis Missalibusque expungendo. Post hoc igitur tempus, quo abolevit Pontifex *Thomisticum* id genus Officium Missamque *Sanctificationis*, quæ paucorum sibi factio, *Præservationi* refragantium, perperam conflaverat, nemo amplius eorum ausus est dicere atque in ejus rei excusationem ingeminare: *Cur permittitur nobis de Sanctificatione celebrare?* nec sane ii poterant, etiam si maxime vellent, aut si post hominum memoriam vel impudentissimi fuissent. Nam a *Gregorio XV.*, ut jam non semel diximus, jussi sunt omnes & singuli (excepto prorsus nemine) non alio uti nomine, præterquam *Conceptionis*; seu uni *Conceptioni* cultum adhibere, aut, quod perinde est, primum tantummodo momentum animationis Deiparæ venerari. Quamobrem, *Gregoriano* hujusmodi Decreto, uti jam vides, erepta illis est tandem tergiversatio isthæc misera. Nihilo tamen minus (quis crederet?) manum illi de tabula nunquam, nec ab incœpto destiterunt: immo, ut cavillationibus pollent iisque unice delectantur, dejecti ex una, ad aliam derepente convolarunt veluti ad validissimum munimentum. Atque nunc primum auditum est (nempe statim post *Gregorii* tempora) nomine *Conceptionis* non idem importari, quod ante, hoc est non *Conceptionem Immaculatam* tantum, sed commune jam nomen illud evasisse ac *de se indifferens esse ad utramque Sententiam* cum eorum, qui recipiunt, tum etiam qui repudiant *Immunitatem*: quod aliis verbis *Valdesius* pag. 64., eatenus inquiens a *Gregorio* id Pontifice constitutum, *ut utraque factio sine suæ Opinionis læsione Festum illud celebrare posset*. Nugæ! Ubinam enim rationes, quibus id probes *Valdesi*? Sane nusquam; saltem quæ alicujus sint momenti, ut in loco pe-

Lib. I. in *Matth.* Cap. V. v. 32. & Lib. III. Cap. XIX. v. 8.

perſpicuum fiet: Probari autem id oportebat manifeſtis argumentis: alioqui iſta a te (ut cum *S. Auguſtino* heic ego loquar) *conviciante magis levitate, quam convincente veritate dici, quis mediocriter ſanus ignoret?* Id certe nemo unus collegiſſet, quin potius omnino contrarium, ſi pacato animo ac ſine partium ſtudio ad legendum acceſſiſſet. Quare, ut tergiverſatio illa prior a *Gregorio XV.*, ita & poſterior iſthæc ab *Alexandro VII.* rectiſſime ſublata eſt atque exploſa, ut jam nuper vidimus: ideoque majori hoc fraudi *Valdeſio* erit, quam illis fuerit, qui *Alexandrum* ætate præceſſerunt. Utri ergo potius credas, Romano ne Pontifici, vera dicenti; an *Valdeſio*, ſua nobis ſomnia venditanti? Lib. 4. Unit. Eccl. Cap. V.

At, qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum aut revocare gradum, aut ſiſtere; hoc opus, hic labor eſt. Unde *Valdeſius*, quem *Gregorio PP.*, alios licet ſequutum, nec piguit nec puduit apertam vim inferre; ipſe omnium primus ac ſine Duce, vel *Alexandri* Diploma falſa depravare interpretatione in ſuæ Opinionis ſubſidium neceſſe habuit. Videamus igitur, quid ille huc ferat novi. Expendens enim *Valdeſius* iſte pag. 65. *Alexandrinum* teſtimonium de *Præſervationis* Cultu in *Eccleſia Romana* nunquam immutato, hæc habet: *Teſtatur Alexander NUMQUAM IMMUTATUM fuiſſe a quoquam Pontifice Cultum Virgini præſtitum AB ADHÆRENTIBUS Piæ Sententiæ.* Et infra: *Unum ergo illud*, inquit, *quod præſtitit Alexander, ſitum eſt in hoc decernendo, videlicet piæ Sententiæ ADDICTOS in celebrando Conceptionis Feſto Præſervationem illius ſemper coluiſſe & colere; & quod eſt ad eos, & ad Cultum ab iis Virgini ſub hac ſignificatione exhibitum, nihil unquam immutaſſe Romanos Pontifices.* Lepide profecto! atque oppido ſatis, ut intelligas quam vere, quamque ad rem appoſite *Terentius* in Phormionem Act. IV. Scen. 4.: *Nihil tam bene dictum, quin male narrando poſſit depravarier.* Enimvero, hac *Alexandrini* Decreti parte Cultus *Conceptionis* (ut intuenti liquet) ſecundum *Sixti* inſtitutionem, id eſt *Conceptionis Innoxiæ*, non ſimpliciter, non nude *numquam immutatus* edicitur a Pontifice Summo, ſed præterea ab eo additur = *in Eccleſia Romana:* id, quod cum illo fateri recuſat omnino *Valdeſius*. Dicet ne is forſan, uti alibi dixerat; ſatis id ipſum oſtendi, ubi ait, eum Cultum *numquam fuiſſe immutatum*, qui *Conceptioni* Virginis præſtatur *ab Adhærentibus* Piæ Sententiæ? Aſt verbis iſtis indicatur quidem quod aliis clarioribus idemmet *Valdeſius* paullo poſt; nempe:

Piæ

Piæ Sententiæ ADDICTOS in celebrando Conceptionis Festo Præservationem illius semper coluisse & colere (qua de re quis unquam sanæ mentis poterat ambigere, aut subdubitare?): sed ista hercle satis non sunt, ut ostendant, *Præservationis* Cultum nunquam esse immutatum *in Ecclesia Romana*. Quamvis autem qui Piæ *adhærent* Sententiæ, seu (ut *Valdesius* pag. 64. multo explanatius) *qui cum Scoto faciunt*, in *Ecclesia Romana* sint, non illi tamen *totam* eam Ecclesiam exhibent, sed *partem* duntaxat, eamque nec præcipuam sane, nec potissimam: quippe quod ad illam Ecclesiam spectent non ii modo, qui Piæ Sententiæ *addicti* sunt, aut *Scotum* sectantur Sententiæ Ducem, verum etiam illi, qui eidem, jure ne an injuria, adversantur; verbo, ad eam spectant quotquot cum illa, ejusque Supremo Pastore & Capite, non tam unius Fidei communionem habent, quam ejusdem etiam Cultus Ecclesiastici, uti profecto decet habere Omnes. In hac ergo Ecclesia, sive eo in Cœtu, qui præcipue compingitur ex Pontifice Maximo, Cleroque Romano, tum Episcopis etiam, atque Ecclesiis singularibus omnibus (non solis autem iis Theologis, qui *Scotistæ* adpellantur) in hac, inquam, *Romana Ecclesia* decernit *Alexander VII. Immunitatis* Cultum *numquam* esse *immutatum*, non scilicet a *Pio V.*, non a *Gregorio XV.* aut alio quoquam ex Romanis Pontificibus: quin potius apud eos omnes, quos venire diximus *Ecclesiæ Romanæ* nomine, ejus generis Cultum, postеaquam primum inductus est, eundem semper perseverasse citra mutationem prorsus ullam, aut vel umbram mutationis. Quocirca eo collineant (quod nobis heic quoque iterandum est) eo collineant isthæc *Alexandri* Papæ verba, ut illorum obturentur ora, qui cavillantur vel ipsam *Romanam Ecclesiam* in Cultu novasse *Marianæ Conceptionis*, ejusve Objecto celebrando; post *Pium* scilicet *Quintum*, aut saltim post *Gregorium XV.* Id quod diserte negat *Alexander VII.*, testans Cultum *Conceptus Innoxii* post ejusdem institutionem *in Ecclesia Romana numquam* fuisse *immutatum*; ac proinde non *Scoto* solum *addictos*, aut piæ Sententiæ *adhærentes*, sed ipsissimam etiam *Romanam Ecclesiam* [quanquam & hæc in *adhærentibus Piæ Sententiæ* omnium maxime numerari debeat, nedum possit] *Præservationem* Virginis, *Alexandro* auctore, coluisse semper & colere. Valeat itaque Paraphrastes iste Mutinensis, atque integram *Alexandri* sententiam, velit nolit, tandem admittat, afferatque nihil heic umquam immutasse Romanos Pontifices, sive quoad eos, qui *Immunitati*

nitati adhærent ; sive non : qua de re postea pluribus .

Ex hactenus dictis , fusiori etiam calamo , quam forte opus erat , probe constat , *Conceptionis* nomine in Ecclesiastico Officio & Missa , seu in sensu *Romanæ Ecclesiæ* , hoc est Catholicæ , non aliud innui ac designari , præterquam *Conceptionem Immaculatam ;* ita ut perinde sit *Conceptionem* Deiparæ prosequi religioso honore sub nuda *Conceptionis* voce , atque eandem venerari sub nomine *Conceptionis Intemeratæ* , sive prorsum carentis Adami labe. Nolo autem heic lites serere , libensque dabo *Valdesio* , jam inde a *Pio V.* & subsequutis Pontificibus in re Divina facienda *Conceptionem* vocare *Immaculatam* , seu istiusmodi *Epitheton* adjicere *Conceptioni* in Divinis Officiis celebrandis , plane esse vetitum (*). Quod inde tamen conficit *Valdesius* pag. 66. scribens, eo Pontifices respexisse , *ut utraque pars sine suæ sententiæ detrimento , atque ad illius normam , Virginem conceptam laudent ac venerentur , scilicet sub consideratione Præservationis , aut Sanctificationis ;* ridiculum adeo isthuc est atque prærancidum , ut justo possit Auctor rubore suffundi . Qua quidem de re mox dicam latius . In præsentia sat erit dixisse , *Immaculatæ* titulum , *Conceptioni* detractum, nihil prorsus damni inferre *Præservationi* Virgineæ ; Hancque unam *Præservationem* demonstrari Ecclesiæ Cultu , sive *Conceptionem* nude dixeris , sive etiam *Immaculatam* . Palam id est autem ex deductis supra, fuseque jam per nos expensis ; potissimum ex *Alexandri* oraculo , diserte testantis , a *Conceptionis* Cultu , eo , quem vel instituit *Sixtus* , vel institutum antea ipse comprobavit , a Cultu nimirum *Conceptionis Immaculatæ*, Ecclesiam Romanam haud unquam abscessisse , nihilque in eo novatum usquam aut *immutatum* a quoquam Pontificum Maximorum. Tum etiam ruit funditus *Valdesiana* id genus argutatio , si, cur editum sit Decretum a *Gregorio XV.* promulgatum ac toties a me laudatum , memoria lubet repetere ; illud , inquam, Decretum, quo perspicuis verbis a Pontifice præcipitur , *ut in sacrosancto Missæ Sacrificio , ac divino Officio celebrandis , non alio quam Conceptionis nomine uti quisque debeat* : quo uno Decreto innixus dicere

P

(*) Scilicet ex illa generali Regula , qua privato licet nulli , Breviario Missalive Romano verbum ullum vel addere , vel demere , ex Pianis Bullis, *Quod a nobis* , & *Quo primum tempore* , alias a nobis Cap. VI. commemoratis .

cere potuit *Valdesius*, liberum nobis non esse (quum rei divinæ operam damus) *Conceptionem* appellare *Immaculatam*. (*) Quid multa? Memineris, oportet, statutum id fuisse a prælaudato Pontifice eam in rem, ut *Sanctificationis* ipse Missam & Officium de medio tolleret, non ut *Immunitati* derogaret. Teste enim *Alexandro VII.*, non modo *Immunitati* seu Conceptioni *Immaculatæ* nihil nocuit *Gregorius* hæc decernendo, quam etiam procul dubio savit ipse plurimum: quippe de hoc ille testatur, alter de altero Pontifice, Successor de Antecessore, *in favorem* non utriusque, sed *Piæ* tantum *Sententiæ* id ipsum ab eo factum atque præscriptum fuisse.

Supervacaneum item atque inutile non erit hoc loco monere, quod est alias constitutum a nobis, hodiernum scilicet *Conceptionis* Officium, a Sancto *Pio V.* ad universam Ecclesiam propagatum sub nudo *Conceptionis* nomine, jam diu ante obtinuisse, quam Ille in Christi Vicarium assumptus fuerit, Sedisque Apostolicæ regimini feliciter admotus. Patet id manifesto ex Breviariis impressis, eo Pontifice longe vetustioribus, quæ nos jam allegavimus supra *Capite VI.*, præsertim illo, quod est typis traditum anno 1499. Immo fuisse id ipsum servatum atque usu jam receptum vel ante *Sixtum IV.*, seu ante *Nogaroliani* Officii promulgationem, evincunt perquam evidenter Breviaria & Missalia MSS., quæ supersunt; in primis Missale unum *membranaceum* de anno 1372., Breviarium alterum *chartaceum*, seu ex contritis linteis confectum, de anno, ut minimum, 1455. (**) quorum primum suppeditavit mihi comitate singulari Amicus Oenipontanus *D. Antonius Roschmann*, Patriæ Historiæ indagator haud indiligens; alterum vero Reverendissimus D. *Ignatius Kranabiter*,

(*) Observes tamen velim, aliud esse, non licere alio heic, quam *Conceptionis* nomine uti, aliud prohiberi, ne *Conceptioni* a quoquam addatur titulus *Immaculatæ*. Primum expressis verbis a Pontifice cautum lego, non simul alterum: quanquam & ab hoc additamento cavere sibi quisque debeat ex præfata Regula generali, qua & Virginis *Assumptioni* fas nobis non est *Corporalis* adjectivum adnectere, tametsi id, quod ea accessione innuitur apertius, satis nullo dubio intendatur ab Ecclesia, Baronio teste in *Annalib.* ad annum Christi 48. num. 24. Quæ ergo heic de uno *Conceptionis* nomine adhibendo cavillatur *Valdesius* pag. 119. tam nullius momenti sunt, ut refutatione non indigeant.

(**) Annus iste ex Tabella *Aurei numeri &c.* non obscure colligitur, eidem Breviario præfixa. Incipit enim hujusmodi Tabella ab anno 1455., desinitque in annum 1479.

ter.; Canonicorum Regular. Lateran. ad *S. Michaelem* ad Athesim Prælatus Infulatus, quem honoris caussa nomino. Utrobique autem (plura id genus MSS. adduxisse nihil refert) Virgo nobis exhibetur sub pura ac sola *Conceptionis* voce colenda; ut non modo ex Officii Missæque *titulis* compertum est, quam ex ipsis etiam *Collectis*, seu Orationibus. Titulus autem, seu verius Rubrica *Missalis*, ex *membranis* compacti, hæc est: *De Concepcione Sante Marie Virginis* (Sic enim Codex, nempe sine Diphthongis, ac mutatis, omissis, adjectisque nonnullis Litteris, pro more illorum temporum, aut Scribarum imperitia vel oscitantia) *omnia fiant sicud in Nativitate ejusdem Genitricis, nisi ubi dicitur Nativitas, ibi Concepcio nominatur, exceptis Collectis.* Breviarii vero titulus ita rubris est characteribus digestus: *De Concepcione B. Virginis Marie.* Porro, Oratio, utrique communis, *Breviario* simul & *Missali*, sic habet: *Deus ineffabilis misericordie, qui prime mulieris placula per Virginem expianda sanxisti; da nobis quesumus CONCEPCIONIS ejus digne Solempnia venerari, que Unigenitum tuum Virgo concepit & Virgo peperit Dominum nostrum &c.* Ita quidem in *chartaceo* Breviario, viginti & amplius annis ante *Nogarolianum* Officium manu conscripto (*), ac in Missali etiam *membranaceo*, quod est quoque multo antiquius; ut plane nemo, nisi pervicacissimus, inficiabitur, id jam ab Ecclesia usurpatum fuisse; vel anteaquam *Sixtus IV.* Romanæ Pontifex Ecclesiæ esset inauguratus. Quod si altius velis adsurgere, ipsumque fontem adire, unde ejus generis Solennitas ad nos dimanavit; relege quæ *Cap. IV.* nuper diximus, ac procul dubio deprehendes vel a primordiis susceptæ ejus Solemnitatis nomen adhibi-

P 2

(*) Duravit autem alicubi saltem longe etiam post, ut videre est in Breviario pro *Ecclesia Brixinensi* Venetiis impresso apud *Joannem Osualdum*, Civem Augustensem, ann. 1516., quod asservatur *Medii S. Petri* in Bibliotheca FF. Minor. Reform., ubi a *pag.* 244. proprium quoddam de *Concept. intactæ & Immac. Virginis Mariæ* Officium legitur, a *Nogaroliano* diversum, inque illo ad *Laudes* ipsissima hæc Collecta præscribitur, uti & alia in *Vesperis* prorsus distincta, illa nimirum ipsa, quam hodieque ex *Piano Edicto* Ecclesia recitat universa. Sex priores hujusmodi Officii Lectiones ex spuria (ut nonnullis videtur) *S. Anselmi Cantuariensis* Epistola conflatæ sunt, toties mihi memorata. Porro, hoc eodem in Officio qua *Antiphonæ*, qua *Invitatorium*, qua *Responsoria &c.* omnia sunt propria, ac Mysterio ex asse faventia &c.

hibitum non esse aliud a primis Cultoribus, nisi unum *Conceptionis*; id quod & multo fit clarius ex pervetusto Sermone, aut Epistola de *Concept. B. Mariæ Virginis*, falso olim *S. Anselmo* adjudicata, ubi forma traditur celebrandæ istiusmodi Festivitatis in hæc verba: *Omne Officium*, *quod dicitur in ejus* (hoc est, Virginis) *Nativitate*, *dicetur in Conceptione*; *excepto quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis*. Quicumque enim fuerit ejus Auctor Epistolæ, *Bernardi* ætate conscriptam eam fuisse *Gerberonius* ipse fatetur in *Censura num.* 10., Tom. II. Operum *S. Anselmi* novissimæ Editionis ab se curatæ præfixa: alibique a nobis observatum est, ex fictitio hoc *Anselmi* fœtu Lectiones olim decerptas fuisse, ac Romanis quoque Breviariis inlatas, nedum aliarum Ecclesiarum particularium.

Hoc autem uno *Conceptionis* nomine significari *Præservationem* seu *Immunitatem* Deiparæ a parentali culpa; eamque solam esse Objectum ejusce Cultus, ex ipsa sat discimus *S. Bernardi* Epistola 174. sub annum 1140. ad *Canonicos Lugdunenses* data. Ideo enim Vir Sanctus Cultum hunc minus æquo tulit animo, ac suo etiam arrosit tempore, quod simul putarit (meticulose licet admodum) B. Virginem in peccato conceptam, seu Adamiticæ labi instar aliorum hominum obnoxiam fuisse. Idem quoque vel ipsimet Adversarii facto docent, dum a colenda Divæ Matris *Conceptione* tantopere refugiebant, ut qua die honorem ei defert Ecclesia, eadem ipsi *Sanctificationem* a noxa, quam ipsorum opinione Virgo incurrit, suapte voluntate subrogarint. Quam in rem *Catharinus* audiendus, cujus verba nuper dedimus, iterumque heic dare molestum nobis non erit. *Festum* (ait ille) *SANCTIFICATIONIS postea est introductum adversus Ecclesiam, quæ sub nomine CONCEPTIONIS celebrabat, ab iis, qui falsam celebrationem istam putabant. Ne autem ea die omnino silerent, SANCTIFICATIONIS Festum, nulla Ecclesiæ auctoritate probatum, invexerunt*. Id autem sibi propterea assumserunt (quo jure, nescio), quia perspectum habebant atque exploratum, *Conceptionis* nomine, a qua illi diffidebant nimium, nonnisi *Immunitatem* ab Ecclesia intelligi, hoc est dictu, *Conceptionem Immaculatam*: alioqui quid rei, quid caussæ erat, ut tam illi obstinate atque irreverenter *Sanctificationem* præ *Conceptione* celebrarent ac venerarentur? Et sane, ex *S. Thoma*, rectaque ratione illi noverant, *non celebrari Festum in Ecclesia*, *nisi pro aliquo Sancto*, seu Sanctum esse oportere, quid-

in Disp. pro Immac. Concept. ad S. Synod. Trid. Part. 2. columna 165

Part. 1. Summa Quæst. 27. Art. 1.

quidquid ab Ecclesia solenni veneratione recolitur (*): atque adeo, dum ab Ecclesia vident *Conceptioni Virginis* Cultum religiosum impendi, haud illi dubitabant, quin ex ejus Ecclesiæ mente Conceptio *Sancta* sit, aut quin ab ea colatur uti *Sancta*, id est, ut divinæ gratiæ muneribus exornata, ut immunis omni nævo, sive uti *Immaculata*. Ergo hoc facti genere, tam dilucidi, quodque plus est, a contraria factione profecti (etiamsi deessent cetera) plane liquet, unum idemque Objectum, hoc est unam tantummodo *Præservationem* importari *Conceptionis* voce, tum nuda, tum etiam aucta Titulo *Immaculatæ*: Ideoque pessime rationem subducere *Valdesium*, quum ex hujusce suppressione Tituli (aut potius ex primitivi hac de re Officii retentione, altero posthabito a *Nogarola* recentius condito) infert, eum fuisse scopum Pontificum supprimentium, *ut utraque* contradictionis *pars* Festum istud solemne habeat sub consideratione aut *Præservationis* aut *Sanctificationis*, uti erit collibitum. Quo quid magis vanum fingi potuit, risuve quid dignum magis? Rectius ille multo, si ex suppressione vocis *Sanctificationis*, per *Pium V.* aut *Gregorium XV.* nominatim demandata, ejusdem quoque significationem seu considerationem suppressam, vetitamque agnovisset: quo de nunc mihi differendum.

Ne longum faciam, age, videamus primum, quid heic *Lampridius* tradat, quidve ejus interpres *Valdesius* huc miri apportet. Lampridius itaque *pag.* 90. aperte docet, licere etiamnum *sub nomine festi* Conceptionis *SANCTIFICATIONEM Virginis celebrare*; *neque enim*, ait, *hoc interdixit Bulla Alexandri VII.* Id quoque ipsum aliis ille verbis præformaverat *pag.* 60. Neque a Præcursore suo discrepat *Valdesius*, qui pag. 48. inquit: *Neque Sixtum*, *neque ullum ex subsequutis Pontificibus sensisse aut statuisse pro objecto Festi de Conceptione accipiendam esse, ab universa Ecclesia PRÆSERVATIONEM Virginis*. Et iterum pag. 49. = *Neminem celebrantium illud Festum* (Pontifices) *præ-*

(*) Videsis & S. Bonaventuram in. 3. *Dist.* 3. *part.* 1. *Art.* 1. *quæst.* 1. *prope fin.* in id ipsum egregie conspirantem: *Statuta*, ait, *universalis Ecclesiæ de Sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt super SANCTITATE*, *ut nullo die pro aliquo Sancto solemnizet*, *in quo vel pro quo Persona SANCTA non fuerit*, *cui honor ille defertur*. Ita Doctor Seraphicus, cum Angelico apprime concors.

præcepto obligant ad illud celebrandum secundum Piam Sententiam [hoc est, Præservationis] *neque ad inclinandam mentem in illam*. Idemque repetit *Valdesius* pag. 51. & 65. alibique sæpissime in suis Epistolis. At ego Theologum Mutinensem percontabor: ut quid Lectores tuos etiam nunc subducere istis dictis postulas? Lege enim ac relege Pontificias hac de re Sanctiones: citius aquam ex pumice educes, quam ex iis id, quod heic ipse somnias. Sed inquies cit. pag. 51.: *Liberum reliquit Sancta Sedes* hac in re cum Thomistis *sentire*, id est cum eis, qui *Sanctificationis* potius Sententiæ adhærent, quam *Præservationis*. Exinde ita arguis: *Si id eis liberum, liberum quoque sit necesse est celebrare Conceptionis Festum ad suæ Opinionis normam, hoc est sub consideratione SANCTIFICATIONIS*. Argutule profecto! An ita sentire nunc liberum sit, ut plane erat olim Viris doctis, ætate scilicet *Pii V.*? diximus supra suo loco, ubi de *Pauli V.* ac *Gregorii XV.* decretis disputavimus. Sed si nunc quoque id foret prorsus liberum, Virginem scilicet tenere Originali peccato commaculatam [id, quod non licere, fusius quoque infra probabitur]: an propterea liberum Eandem venerari sub consideratione *Sanctificationis*, hoc est *Expiationis* a Peccato? At pergis: *Neque enim hoc interdixit Bulla Alexandri VII.* Verum, annon Sanctificationis nomen, seu aliud quodvis a *Conceptione* diversum, heic usurpare, sin minus a *Pio V.*, at saltim a *Gregorio XV.* cuilibet expresse est vetitum? id, quod & ab *Alexandro VII.* (ut supra ostendimus) disertissimis est verbis confirmatum. Quidni ergo una cum ejus generis voce, nimirum *Sanctificationis*, ejusdem quoque significationem (ut ut in cordis intimo) interdictam tibi esse noveris, dixerisque? Attamen, si demus etiam tibi hoc minime prohibitum esse a *Petri* Cathedra: an ideo sequitur, id esse liberum atque in arbitrio cujusque constitutum? Ubi enim, ubi interdictum *D. Bernardi* ævo *Conceptionis* Festum agere una tantum *Præservatione* subintellecta? Nusquam sane. Nihilo tamen secius, an se, quæso, Vir tantus continuit, quin eam ob caussam *Canonicos Lugdunenses* memorata in Epistola 174. acriter increparet iis conspicuis verbis: *Miramur, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio? Numquid* (prosequitur) *Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose præsumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit*. Hæc *S. Bernardus*

sub

sub initium. Ad finem vero ejusdem Epistolæ ita concludit: *Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas; & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum*. Jam quæro abs te bona fide *Lampridi* atque *Valdesi*: Num Propugnatores Cultus *Sanctificationis* Apostolicam hac de re Sedem adiere, num supplicarunt eidem, num aliquando approbationem impetrarunt? Profecto, si etiam petiissent, impetrassent, ni ego fallor, minime. Nam id genus Cultum ab iis fuisse susceptum *adversus Ecclesiam*, ex *Ambrosio Catharino*, legitimo teste, omnique exceptione majori, paullo ante audivimus. Quid ergo? Nonne, *Lampridi*, tua illa calculi subductio: *Licet igitur, quod non est interdictum*: Abbati Clare-Vallensi, si superstes esset, nullius prorsus foret pretii, ut tum non erat, opposito quidem in Cultu, at caussa omnino simili, quum in vivis agebat? Immo, nonne Ille ipse hodiedum sermonem inverteret, teque tantum ac tui similes, *Sanctificationis* Cultores & Vindices, iisdemmet, quæ modo retulimus, insectaretur verbis, forte etiam multo vehementioribus? Certe laudata *Bernardi* sententia magis ferit eos, qui nunc *Sanctificationem*, quam qui olim *Immunitatem* sub *Conceptionis* nomine venerabantur ante Pontificiam adprobationem.

Sed ut propius cum *Lampridio* ac *Valdesio* congrediar, probare etiam heic loci (rationibus, non tantum verbis) mens mihi est, extare omnino Præceptum de colenda ab omnibus Divæ Matris *Immunitate*, sive *Præservatione*. In hoc quippe uno totius cardo difficultatis versatur: ac proinde ita summam conficio. Quid huc contulerit *Pius V.*, dictum est alibi, ubi & *Valdesianum* temperamentum, quo *Sanctificationis* aut *Expiationis* cultus æquatur Cultui *Immunitatis*, ad commenta, ad aniles tantum non fabulas ablegavimus. Ex quo autem *Pius PP.* anno 1568. in Breviario Romano ab se se reformato *Conceptionis* Officium detinuit (illud scilicet vetustissimum, quo Ecclesia utebatur vel ante ipsius *Pii* tempora, & quo etiamnum utitur) omnemque ad Clerum extendit qua Sæcularium, qua Regularium; *Præcepto* sane eos adegit (quod nemo ante) ad unum omnes, ne quis eorum aut mutaret illud quoquo modo, aut recitare intermitteret, suæ alioquin obligationi minime satisfacturus: ut ex Bulla, *Quod a nobis*, fit manifestum. Sed ad evidentiora veniamus. Plane, *Gregorius XV.* rem in medio nequaquam reliquit, hunc in modum statuens: *Insuper eadem Sanctitas, cum S. Romana Ecclesia de Beatis-*

sima

sima & Intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione Festum solemniter ; & Officium celebret ; omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam cujusvis Ordinis & Instituti Regularibus MANDAT & PRÆCIPIT, ut in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis tam publice, quam privatim non alio, quam Conceptionis nomine uti debeant. Quibus verbis expressum jam tenes *Mandatum*, expressum *Præceptum*, nec a quocumque, sed a Romano Pontifice, Supremo illo universalis Ecclesiæ Hierarcha, probe latum. Ac quidem, ne cum *Valdesio* pag. 66. aut decipiaris ipse aut decipias, dicente: *Comprehendit generica, ut ita dicam, vox* Conceptio *sub se, tam* Immunitatem *Deiparæ, quam* Sanctificationem *ex institutione Pii V. & subsequentium Pontificum*: conceptissima *Alexandri VII.* verba hoc tibi loco velim ante oculos statuas. Ait enim, clareque monstrat *Gregorium XV.* id, quod supra, *mandasse in favorem ejusdem* (seu Piæ) *Sententiæ*, quæ scilicet tuetur Virginem, quum est concepta, nulla fuisse peccati contagione fœdatam. Hæc ubi spectas ac vel tantillum revolvis ipse animo, jam habes *Præceptum*, quod & *Lampridius* & *Valdesius* satis intrepide negant. Nam si mandavit *Gregorius* [de quo *Alexander* testatur], ut *Conceptionis* nomen usurparetur ab omnibus in Officio Canonico rite persolvendo, idque *mandavit* in *favorem Sententiæ*, quæ immunem asserit Deiparam ab Originis labe; illud jam consequens atque in aperto est, extare *Præceptum* de una *Immunitate*, aut *Præservatione* celebranda, nec licere cuiquam sub alia unquam intentione Festum illum diem agere. Quid, quod idem *Alexander* suo item calculo idipsum magis magisque corroboratum voluit? ut proin e præscripto Pontificum, liberum non esse *Sanctificationem* colere, vel subaudire, res sit extra omnem mihi controversiam posita. Si enim (quod semper *Valdesius*, ceterique de Schola *Lampridii* in ore habent) si tam *Præservationem* colere liceret, quam *Sanctificationem* aut *Expiationem* pro cujusque arbitratu; efficitur profecto, aut omnino nihil, aut Opinioni perinde *Expiationis*, atque Sententiæ *Immunitatis* favisse Pontifices Maximos: quod à vero abscedit quam longissime. Illud demum si etiam cogites tecum ipse, Opinioni *Sanctificationis*, Gregorii Pontificis decreto (quod firmavit itidem *Alexander* totidem verbis) Silentium imperatum fuisse, ita ut ne *privatis* quidem hominum *Colloquiis* possit illa consistere: quis emotæ adeo mentis, ut ausit sentire ac dicere, per eosdem Romanos Pontifices in actu omnium maxime solemni,

lemni, id eſt in publico Eccleſiæ Cultu deferendo, prodire ei datum, ac coli permiſſum *Expiationem*?

CAPUT X.

Feſtum Conceptionis S. Johannis Prodromi num recte a Lampridio huc pertractum, riteque a Valdeſio defenſum? Bellarmino occurritur, contendenti non unam Præſervationem eſſe Objectum Feſti Marianæ Conceptionis. An nunc idem liceat dicere, quod olim Bellarmino licuit? Quid de Cardinali Gotto, idem cum Bellarmino hac de re nuper ſentiente? Valdeſii in id conatus retunditur; ac Picinini calumniis & contumeliis nullo negotio aliterque reſpondetur. Solennis Cultus, per Bullas Pontificum ſoli Immunitati impendendus, an tanti ſit, ut controverſia de Conceptione Deiparæ per Eccleſiam definita cenſeri jure poſſit?

EXerit jam vero *Lampridius* Cap. IX. pag. 61. veluti enſem fulgentem atque ineluctabilem, Feſtum *Conceptionis S. Johannis Baptiſtæ*, quod a multis Sæculis *Græci* celebrant, quin ullus tamen ex iis credat originaria eum noxa inquinatum non fuiſſe, aut quin *Præſervationem* ejuſdem ab Adami culpa Objectum exiſtimet eſſe iſtiuſmodi Cultus. Quam in rem *Bellarminum* citat, id diſerte teſtantem Lib. III. *de Cultu Sanctor.* Cap. XVI. Tum ita argumentando *Lampridius* proſequitur: *Ac proinde, etſi Græci ipſi Feſtum quoque celebrant Conceptionis S. Annæ, quam nos Conceptionem Virginis appellamus, nihil ad rem facit exemplum hujuſmodi, quum & hoc factum videamus de Johanne Baptiſta*. Magnifica hæc vox eſt, ſed non perinde vera, imo & falſiſſima; uti mox patebit. Interea ille ſine mora addit, id ipſum quoque in uſu fuiſſe & apud *Latinos* (inquit) *omnes* per plurima Sæcula, die ſcilicet XXIV. Septembris: idque probat teſtimonio *Danielis Papebrochii*, e Societate Jeſu Viri Eruditiſſimi, ajentis: Feſtum *Conceptionis* Johannis Prodromi, diverſum ab ejus Nativitate, *inſcriptum eſt* ve- In *Act. Sanctor.* ad diem 24. Junii Cap. 2. § 2. n. 41.

Q

vetustis omnibus Latinis Martyrologiis , *Hieronymi* , *Bedæ* ; *Adonis* , *Usuardi* , *Notkeri* , *Rabani* . *Nec invenio* , *qui Festum illud omiserit notare ad diem* 24. *Septembris* , *ante Bellinum de Padua*, hoc est usque ad annum 1498. Auctor dein nobis *Lampridius* est, ut etiam Kalendarium hac ipsa de re conferamus, ad calcem *Agnelli Ravennatis* editum Part. I. Tom. II. *Rer. Italicar.*, ubi idem Festum commemoratur. Quin etiam ipsemet Lampridius, in *Valdesium* conversus. *Epist. VI. pag.* 67. vel hodienum *Melitæ* celebrari id asserit, inque aliis Ecclesiis, a Sacro Militari Ordine *S. Johannis* pendentibus: quod verumne sit, an non; non vacat heic curiosius investigare. Sed quorsum hæc, quæso, nisi ut suis ille, si modo potis est, Lectoribus suadeat, nihil præsidii ex Cultu *Conceptionis Marianæ* in Piam Sententiam dimanare, nihilque quo appareat, uni tantummodò Deiparæ *Præservationi* sacros fuisse honores ab Ecclesia decretos?

Verum enim vero, id si putat se posse obtinere, næ ille fallitur basilice, aut alibi saltem & apud alios opus sibi est mercium istarum emptores inveniat. Non ego heic cogito, neque etiam necesse habeo, *Martyrologiorum* hac de re fidem in suspicionem vertere aut quoquo modo elevare: noruntque Eruditi omnes, id genus Elucubrationes aliis subinde atque aliis interpolationibus fuisse auctas, ut videre est apud *Lucam Dacherium* in Monito ad Martyrologium *Hieronymianum*. Certe, ut satis erudite Vir ille Cl. observat, tot tamque multiplices passa sunt accessiones hujusmodi Martyrologia diversis temporibus Clericorum opera ac Monachorum, ut *cogerentur identidem Eruditi viri his ipsis Martyrologiis fidem denegare, ni adjecta secernerent*. Hæcque *Dacherius*. Quo tamen loco habenda sit *Præcursoris* Conceptio, præfatis Martyrologiis inlata, num scilicet Festorum Primigeniorum, an vero a manu recentiore adjectorum? doctiores edicant, simul & statuant, qualis quantive sit pretii fiducia illa *Lampridii* tanta, qua ipse ex inscripto hoc Festo Latinis omnibus vetustis Martyrologiis affirmat cit. loco *a Latinis omnibus* id genus Festum *per PLURIMA Secula celebratum fuisse*. Bellarminus profecto, in ejusce rei testem a *Lampridio* advocatus, illo ipso, quem is laudavit, loco, postquam Kalendario *Græcorum* Mense Septembris insertum monuit *Conceptionis* Festum *S. Johannis Baptistæ*, actutum palamque de *Latinis* fatetur in hæc verba: *Sed Ecclesia Latina non* est

Tom. olim IV nunc. II. Edit. Paris. an. 1723. ab init.

est visum tot Festa multiplicare. Idem constat ex Epist. aut Sermone *de Conceptione B. Mariæ Virginis*, qui licet (ut vulgo alias putabatur) *S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi* genuinus fœtus non sit, vetusti tamen Auctoris est, complurium etiam Ecclesiarum ac Romanæ præsertim, quæ in *Marianæ Conceptionis* Festo, ex dictis supra *Cap. VI. pag.* 58. in corp. & pag. 59. in *Nota* longiuscula ad calcem addita, Lectiones sibi ex eo *Sermone* olim comparaverat, auctoritate commendatus. Verba autem Auctoris (quisquis ille est; Divo saltim *Bernardo* suppar esse videtur) verba, ajo, ejusmodi Auctoris, aperte testantis ut de re, quæ convenit inter omnes & de qua nulla unquam oborta fuerit controversia, videlicet nullius alterius quantumvis Sancti *Conceptionem*, nisi solius *Deiparæ*, ab Ecclesia festivam agi, hæc sunt: *Erubescant igitur insani, qui hunc diem* (Virginei impolluti Conceptus) *colere non volunt idcirco, quia aliorum Sanctorum Conceptiones MINIME colere Sancta consuevit Ecclesia. Maxima quippe rusticitas est eam aliis Sanctis in hoc comparare, in qua Deus carnem humanam assumpsit, quam etiam super omnes Angelos & Archangelos in Cœlis sublimavit: quamvis enim cæteris SANCTIS dies Conceptionis eorum non sit concessum ut celebretur; illi tamen* (hoc est, Virgini Immaculatæ) *a Spiritu Sancto*, suo Ecclesiam lumine adflante, *concessum est, quæ major & excellentior cunctis est*. Idem quoque, sed brevius, sub medium circiter Sæculi XIII. Seraphicus Doctor *S. Bonaventura* conceptis hisce: *Nullius Conceptionem celebrat Ecclesia* [*Romanam* intellige, aut *Universalem*] *nisi SOLIUS Filii Dei in Annunciatione &c.* Addit tamen, *esse aliquos, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos* (ait) *nec omnino laudare, nec simpliciter audeo reprehendere*. De Conceptione autem *Johannis Baptistæ* ne verbum quidem unum. Ad hæc, non quidquid in Martyrologiis pervulgatum legitur, id confestim in Ecclesia firmum, ratum Sanctumque esse, uno hoc de *Assumptione* B. Virginis exemplo satis mihi demonstratur. Baronio enim teste, Eminentissimo illo *Annalium Ecclesiasticorum* Parente, fuere qui IX. Kalendas Octobris, seu die 23. Septemb. *secundam* Deiparæ *Assumptionem*, aliam ab ea, quam cum Ecclesia XV. die Augusti celebrabant, ad *Bedæ* Martyrologium addiderunt. *Sed hæc*, ait Scriptor præstantissimus, *ab Ecclesia minime recepta esse noscuntur*. Quod ergo de hac, quam *secundam* vocant, *Assumptione*, ejusque additamento ad Martyrologium *Bedæ* ex Ba-

Tom. II. Operum S. *Anselmi*, fol. 147. *Edit. Venet.* anni 1744.

In 3. *Sent.* Dist. III. Part. I. Quæst I. Art. I. *sub fin.*

ad annum *Chr.* 48. n. 4.

ronio diximus ; quidni dicere idem liceat & de *Conceptione* Prodromi , reliquis etiam *Latinorum* Martyrologiis a nescio quibus adtexta ? (*)

Ad *Melitenses* speciatim ut descendam , ceterasque Ecclesias, Sacro eorum Ordini subjectas: nihil sane me movet, quod illis sacer adhuc ac solemnis sit (ut *Valdesius* narrat sine ullis tamen tabulis) dies *Conceptionis* Præcursoris DOMINI. Aut enim id fit adprobante , aut permittente , aut saltem tolerante seu non prohibente Pontifice Maximo. Si Pontifex probavit , vel si hoc permisit fieri ; cuique cordato ablata jam est omnis hiscendi ac mussandi libertas. Quod tamen fit a privatis aliquot paucisque Ecclesiis , utcunque permissum fuerit aut etiam adprobatum; non ejus momenti est , ut conferri cum iis possit , quæ fiunt ab Ecclesia universa. Sin vero toleratum duntaxat nec quicquam vetitum ; id ipsum nunc ego dicam de hujusmodi *Melitensium* Festo, quod de aliis olim, qui Beatæ Virginis colebant *Conceptionem* , reposuit Doctor Angelicus in hanc sententiam: *Licet Romana Ecclesia Conceptionem* (dicebat ille *Beatæ Virginis ;* nos vero , *Johannis Prodromi* dicamus) *non celebret , TOLERAT tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum , illud Festum celebrantium: unde talis celebritas non est totaliter reprobanda.*

III. Part. *Summæ* Quæst. 27. Art. 2. §. *Ad utrum.*

Sed quid attinet ista commemorare , cum palam sit , *Præservationis* Virgineæ seu Sententiam seu Cultum nihil omnino quati, nihil vacillare, etiamsi ceu indubitatum foret, inque propatulo positum, *Conceptionem* S. Johannis Baptistæ , non modo a privatis aliquibus Ecclesiis , sed ab omni etiam Christianorum Republica, qua *Græcorum* qua *Latinorum*, hodieque solemni pompa cohonestari ? Neque enim in festis diebus dimetiendis nuda vox, solusve est titulus adtendendus ; sed quid illorum Officia contineant, seu quid exprimant Precationes iis diebus ab Ecclesia fundi solitæ , cum primis acie mentis dispiciendum . En tibi exemplum illustrandæ huic rei , simul & comprobandæ, cum maxime aptum. In Martyrologio, quod *Hieronymi* nomen vulgo præ-

(*) Adhæc , in Libro *Comitis* sive *Lectionario* , cujus auctorem S. *Hieronymo* Synchronon fuisse nemo negat , ad dictam diem 24. Sept. , hoc est *VIII. Kal. Octobris* , non jam *Conceptio* notatur, sed *Natale Sancti Joannis Baptistæ* ; ut videre est cit. Tom. XI. *Operum S. Hieronymi* edit. Veron. colum. 557. ubi & col. 547. *Vigilia* ejusdem Baptistæ inscribitur *IX. Kalendas Julii &c.* ut inde saltem intelligas , non tam antiquum esse aut diuturnum Festum *Conceptionis* Prodromi , uti *Lampridius* jactitat.

præfefert, ad diem 27. Decembris, feu *VI. Kalendas Januarii*, ita legitur: *Affumptio S. Joannis Evangeliftæ apud Ephefum* (*). Sic enim difertiffime Tom. IX. Operum *S. Hieronymi*, Veronæ nuper editorum *colum.* 475., quo etiam in loco *colum.* 507. pariter notatur XVIII. Kal. Septemb. *Affumptio S. Mariæ Matris Domini noftri*; Hieronymo licet ætate multo pofterior. Habes heic titulum, habes nomenclaturam, cum Deipara *Evangeliftæ Johanni* plane communem, fcilicet *Affumtionis*. Id unum fi fpectes; *Evangeliftæ* Feftum nihil differt a Fefto *Affumptæ* Virginis: at fi rem penitius perluftres, fi utriufque Officia folemnefve in id Ecclefiæ Precationes intuearis, atque inter fe fe conferas; non te profecto latebit, aliud Objectum in *Affumptione Johannis Apoftoli*, aliud atque aliud in Fefto *Affumtionis B. M. Virginis* pie ab Ecclefia coli, ac religiofe ab omnibus celebrandum defignari. De *Mariæ* namque Affumptione poft longam criticam difputationem perfpicue tandem Cardinalis Baronius: *Sicut tam ex Græcorum, quam Latinorum omnium [perpaucis exceptis] affertione, ita etiam ex Romanæ Ecclefiæ ufu recepto firmiter conftanterque afferimus ac profitemur, ipfam Sanctiffimam Dei Genitricem Mariam una cum Sacratiffimo illo CORPORE, quo impartita eft Deo carnem, in COELUM effe receptam.* Idque ex eo eft manifeftum, quod Ecclefia Romana illas SS. *Johannis Damafceni* ac *Bernardi* (**) Homilias Fidelibus legendas tradat die Augufti 15. aliifque fequentibus, quæ Deiparam *corpore* fimul, & animo in Cœlos elatam adfirmant verbis fane omnium difertiffimis. An idem, quæfo, aut fimile quid & de laudati *Affumptione* Apoftoli, Chriftique Difcipuli, quem ille amabat plurimum, ab *Ecclefia*, facrifque *Precum* Officiis habes, quod in medium proferas? Nequaquam fane. Dixi, *ab Ecclefia*, aut *Officiis Canonicis*, ab eadem Ecclefia adprobatis: nam quod nonnulli apud S. *Thomam* pie fenfiffe videntur, non fecus ac B. Virginem, *Johannem* quoque *Evangeliftam*

Loc. citat. num. 24.

In 4. Sent. Dift. 43 Quæft. 1. art. 3.

(*) Confonat & *Labbeanum* Martyrologium, in *Actis Sanctor.* a *Sollerio* relatum Tom. VII. *Junii* fol. 376. *Edit. Venetæ.* Vid. & fol. 381.

(**) Natalis Alexander Sæcul. 2. *Hift. Eccl.* Cap. IV. Art. 3. §. *Unic.* fatetur quidem, *Damafcenum* Corpoream Virginis Affumtionem pie crediffe, docuiffeque: at de *Bernardo* id omnino negat. Verum, quam negetur id perperam a Viro hoc Cl., viden Serrianam Exercitat. 66. *de Chrifto, ejufque Virgine Matre* n. II. itemque Notam ad eum *Natalis* locum a *Roncaglia* in nupera caftigatiore ejufdem Operum Editione fubtextam.

stam perfecta immortalitate donatum fuisse, seu una cum *Corpore* ad Cœlum evolasse; non est plane, ut paucorum isthæc sensa, utcunque pia, ipsimet *Ecclesiæ* imputemus aut ab ea unquam adoptata esse credamus. Vide hac de re perdoctam, si lubet, Dissertationem Augustini Calmet *in obitum S. Joannis Evangelistæ*; insertam suis in *Scripturam Sacram* Commentariis, non ita pridem Venetiis latine redditis Tom. VII. pag. 515. & seqq. Immo privatam hanc quorumdam, utcunque veterum, opinionem non modo nostra non adoptavit Ecclesia, quam etiam palam rejicit exploditque, dum in ejus Apostoli atque Evangelistæ Festo, quod in diem incidit XXVII. Decemb., cum S. *Hieronymo* & canendo orat & orando canit: *Confectus* (Joannes) *senio*, *sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus*, *juxta eamdem urbem* (id est, Ephesi) *SEPULTUS est*: (*) quin ullum usquam de *Corporea* illius Assumptione vestigium in publicis Ecclesiæ precibus appareat. Ex hoc igitur uno exemplo (ut ego quidem sentio) liquet evidentissime, eos haud leviter falli, qui ex puro putoque Titulo festorum Objecta dierum dimetiuntur atque cognoscunt: proindeque, quod de *Assumtione* nunc diximus, communi utrique, Virgini Deiparæ simul & Evangelistæ; idem quoque ipsum de *Conceptione* ejusdem Divæ Matris ac Baptistæ Prodromi dictum existimes velim. In hoc quippe Festo, ut in illo *Assumptionis*, unus idemque communis utriusque est Titulus: at Objecta, quæ coluntur, omnino diversa. Nam, si *Officia* spectes, si elogia *Martyrologiorum*, quæ *Baptistæ* exhibent Conceptionem, non

Lib. de *Viris Illustribus* Cap. IX. Tom. II. *Operum* Edit. Veron. col. 831.

(*) Hæc ipsissima verba legere est & in *Romano Martyrologio*, Gregorii XIII. jussu edito, & Urbani VIII. auctoritate recognito, videlicet *Sexto Kal. Januarii*, seu die 27. Decembris, ubi & ita præcinitur: *Apud Ephesum NATALIS Sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ*, *qui* &c. &c. *Natalem* vocat diem obitus *S. Evangelistæ Joannis* Martyrologium Romanum; non vero *Assumptionem*, uti diserte eam nominat *XVIII. Kal. Septemb.* de B. Virginis Festo agens his verbis: *Assumptio Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ*. Propterea magnum discrimen Ecclesia statuit inter utriusque Solemnitates, *Deiparæ* scilicet, & *dilecti Christo Discipuli*; neque, ut illius, ita hujus quoque *Resurrectionem* atque ad Superos *evectionem*, aut veneratur ipsa, aut Fidelium venerationi submittit. Miror proinde *Florentinium* Exercitat. III. *de Joannis Apostoli Assumptione* hæc dicere: *Ecclesia tamen Romana in redivivum Joannem videtur esse propensa*. Nam, quæ ibi in hanc adducit sententiam, tam mihi nullius momenti sunt, ut nulla prorsus indigeant responsione. Confer & *Baronii* notas ad *Martyrol.* citatis diebus.

non aliud sub eo nomine celebrari deprehendes, quam aut apparitionem *Archangeli* ad Zachariam, multa prænuntiantis de futura *Præcursoris* Conceptione, Ortu, Sanctitate, Gestisque mirandis, aut singulare Dei beneficium, quo præter naturæ leges factum, ut a sterili fæmina atque ætate nimium devexa (cujusmodi tum erat Elisabeth) *Johannes* conciperetur ac prodiret in lucem. Contra vero, in Festo *Conceptionis Marianæ*, ipsa Dei Genitricis *Conceptio* nominatim ceu *dignissima* & *Sancta* recolitur, uti ex ejusdem *Officio* perspicuum est; eamque *Alexandro VII.* docente ac definiente, veneramur omnes gloriosissimam Virginem, ut *primo creationis instanti Spiritus Sancti gratia donatam, & ab Originali macula* revera *præservatam*. Quapropter, ut nihil decedit veritati *corporeæ* Assumtionis *Virginis* in Cœlum, quod eodem olim sub nomine *Evangelistæ Johannis* obitus indicaretur; ita nihil prorsus damni accedit *Præservationi* ejusdem Deiparæ, si vel hodiedum ab Ecclesia Conceptio *Prodromi* celebraretur.

Non ergo possumus non vehementer mirari impavidum *Lampridii* animum, sic summam conficientis, ut dudum vidimus: *Ac proinde, etsi Græci ipsi Festum quoque celebrant Conceptionis* B. Virginis, *nihil ad rem facit exemplum hujusmodi, quum & hoc factum videamus de Johanne Baptista*. Acutum hercle dictum! Quid, si alius quisquam non dissimilis animi, *Lampridii* verba arriperet, atque hoc pacto in *Marianam Assumptionem* intorqueret: *Etsi Græci Latinique Festum agant Assumtionis Mariæ Virginis, nihil ad rem facit exemplum hujusmodi, quum* ex vetustissimo omnium Martyrologio *& hoc factum videamus de Johanne Evangelista*; an applaudet *Lampridius*, tamque ineptum & inconditum carmen approbabit ille usquam? Non puto. Prævidere autem id sane potuit, quin etiam debuit vir adeo lynceus, si quidem non ipse sibi lubens exculpsisset oculos, aut ni potius aliis eruere contendisset. Propterea enim *Papebroehii* locum referens, in *Bellino de Padua* substitit missis ceteris, quæ ibidem protulit in eandem sententiam Auctor celeberrimus, ne si exhiberet, ut oportebat, omnia, bipennim sibi ipse illideret pedibus, nec assequeretur quod erat propositum, ac quod tantopere volebat. Et sane post illa *Papebrochii* verba, paullo ante producta, quibus ille testatur *Conceptionem Joannis Prodromi inscriptam esse vetustis omnibus Latinis Martyrologiis, nec qui Festum istud ante Bellinum de Padua notare omiserit, invenisse se quemquam*; protinus

tinus additur: *Heic illa primum omissa reperitur* (id est apud præfatum Bellinum) *eoque exemplo etiam in hodierno Romano per Reformatores Gregorianos, nescio quo scrupulo ductos, metuentesque, ne quod inde præjudicium pateretur Pia & Orthodoxa opinio de Immaculata B.M.V. Conceptione. Sed si* (ut pergit Vir longe doctissimus) *si appellatio Conceptionis utriusque est eadem, diversa est & NOTA SATIS utriusque acceptio ad Deiparam, Prodromumque relata. Etenim CONSTAT, quod Ecclesia hujus Conceptionem dumtaxat celebrat cum respectu ad Sanctitatem Mysteriorum, ad ipsam spectantium; de illa vero agit ut SANCTA IN SEMETIPSA*: & quæ sunt his similia bene multa, eodem loci videnda. Hæc ubi silentio non obvolvisset *Lampridius*, & sibi suæque famæ consuluisset utique, numquanque de *Virginea Conceptionis* Festo dixisset, *nihil ad rem facere exemplum hujusmodi, quum & hoc factum videamus de Johanne Baptista.* (*)

Nihilo plus momenti, ad rei summam, positum in iis est, quæ huc *Valdesius* adduxit cit. Epist. VI. pag. 67., scilicet ut *Lampridio* suo operam locet, nec tam homini patrocinetur, quam fidei: quo nomine haud levis ei macula inusta est. Primo itaque, haud inficiatur *Valdesius* [neque enim potest] prætermissa a *Lampridio* fuisse superius laudata *Papebrochii* verba: quin & fatetur ultro, in eandem cum *Papebrochio* sententiam conspirasse quoque *Bellarminum*, aliosque plures insignis doctrinæ Viros. Tum vero de iis pari confidentia subdit: *Sed per hanc rimam doctissimi viri minime evadent*. Age, videamus, quam id ille probet feliciter. *Semper enim*, ait, *verum est OLIM in honore fuisse Festum Conceptionis Sancti Johannis, Sanctamque habitam illam diem, etiamsi ab originali labe nemo umquam putarit præservatum Domini Præcursorem.* Hucusque *Valdesius* cum larvis pugnat, nullumque est habiturus Adversarium: immo in eo, quod dicit obtinuisse id *olim*, immoderantiam *Lampridii* tacite perstringit, ubi is quidem scribit Græcos id genus Festi *a multis Seculis* celebrare (**), Latinos vero ad

(*) Consulesis & *Raynaudum* in *Dypticbis Marianis* Part. 2. Punct. 2. num 7. pag. 135. hac eadem de re quam optime differentem, atque hoc telum *Lampridio* præripientem, plane antequam in hanc is lucem exiret, aut ex Ephebis egressus esset.

(**) Ad *Græcos* quod attinet; quid prohibet, quominus idem heic dicamus, quod jam dixerat in eos Vir Cl. *Augustinus Calmet*, alia quidem in caussa, fed non jam diversa penitus, imo huic nostræ quam simillima?

ro ad unum omnes celebrasse *per plurima Secula*. Hoc autem semel jacto veluti fundamento, sic dein infit: *Quod si ais, Sancta illius Conceptio Sancta est respectu ad Sanctitatem MYSTERIORUM; cur non idem de Festo Conceptionis Deiparæ dicere Thomistis liceat? Idem certe visum jamdiu animadvertimus* (inquit) *insigni viro Cardinali Bellarmino*. Verum, de tanto Viro suus erit mox infra dicendi locus. Interea, quærenti, cur non idem liceat dicere de Conceptione *Deiparæ*, quod est dictum de *Prodromi* Conceptione; ratio in promptu est, illa ipsissima, quam *Papebrochius* inculcat, videlicet quia *constat, Ecclesiam de illa*, hoc est de Conceptione Deiparæ, *agere, ut Sancta in semetipsa*. At reponit extemplo Valdesius: *Quis hactenus hoc revelavit? Sancta quidem illius Conceptio dicitur, sive quod a macula præservata, sive quod statim a Deo Sanctificata fuerit. Hujusmodi autem Sanctitas utro ex principio fluat, incertum adhuc est. Neque enim*, claudit, *aliter credere cogimur; dum suum judicium de ista controversia hactenus Ecclesia suspendit*. Phy, confidamus heic paulisper & percurramus singula. *Constare* dixerat *Papebrochius*, & recte quidem, *quod Ecclesia de Conceptione Virginis agat, ut Sancta in semetipsa*. Negat id *Valdesius*, ringiturque petens: *Quis hactenus hoc revelavit?* Mirum sane dictu! Revelationem, o bone, petis in re meri Ecclesiæ facti, adeo conspicui cunctisque notissimi? Liceat & mihi potiori jure ex te quærere: *Ecquis hactenus revelavit* tibi, quod ex adverso ipse somnias? Cætera nihil moror. Nam nulla heic *juris*, ut ajunt, quæstio instituitur: fuerit ne a macula immunis *præservata* Beata Virgo, an potius expurgata, seu paullo post a Deo *Sanctificata*? Neque (quod in idem recidit) hoc loco quærimus aut disputamus: *utro ex principio fluat Sanctitas* Marianæ Conceptionis, an ex Virginis *Præservatione*, an verius ex *Sanctificatione* ejusdem, sive *Expiatione*? Nihil sane horum in disputationem venit in præsentia. Quare ultro concedimus Valdesio, *incerta adhuc* hæc *esse* omnia, id est etiamnum sub judice, ac nondum ab *Ecclesia* solemni pe-

lima? Laudatam enim Dissertat. *in Obitum S. Joan. Evangel.* ita ille, prout ad rem, absolvit: *Græcos ultro Adversariis damus, quos, post admissum Schisma, altis adeo ignorantiæ, errorum & superstitionis tenebris offusos constat, ut ne linea quidem veteris Scientiæ & Pietatis in illis agnoscatur.* Hucusque Calmetus.

remtorio judicio definita, ita ut neutrum *cogamur credere* Divina fide, quoad nobis definitiva tandem illuxerit *Ecclesiæ* Constitutio. Duntaxat heic Quæstio *facti* moveri potest; quomodo scilicet *Ecclesia* Dei Genitricis celebret *Conceptionem?* hoc est, num *ut Sanctam in semetipsa*, an vero *cum respectu ad Sanctitatem Mysteriorum?* Ad hanc dirimendam nulla plane opus est revelatione, sed oculis duntaxat tum mentis, tum etiam carneis, probe sanis seu nullo modo corruptis. Ac proinde, duo hæc quæstionum genera si rite distinxisset *Valdesius*, non tot ille verba huc infarsisset, neque irrito prorsus conatu in defendendo *Lampridio* suo tandiu desudasset. At dicet aliquis: unde ergo *constat*, quod *Papebrochius* ait, Conceptionem Divæ Virginis ab Ecclesia celebrari *ut Sanctam in semetipsa?* Profecto id *constat* ex late deductis supra; nimirum ex ipsius Ecclesiæ mente sensuque Fidelium omnium, ex ipsissimis Ecclesiæ Precibus, necnon ex luculentissima lege Pontificum Romanorum, præcipientium, ut unam colamus omnes Deiparæ *Præservationem*. Confer quæ antea diximus, præsertim *Capite præcedenti:* videbisque, *Papebrochium* ceterosque, qui hac in re sibi consentiunt, viros doctissimos, non jam *rimis* indigere, ut heinc elabantur. Quin vero, quemadmodum constat, *Valdesio* haud diffitente, Ecclesiam olim *respectu* duntaxat *ad Sanctitatem Mysteriorum*, cultum decrevisse Conceptioni *Baptistæ*; quia scilicet *nemo unquam putavit* (ut cum Valdesio loquar) *Præcursorem Domini* Peccato Originis caruisse: ita a contrario sensu, quia Docti, indoctique fere omnes, ac potissimum ipsimet Ecclesiæ Proceres, Romanæ præsertim, in hanc unam *Marianæ Impollutæ Conceptionis* Sententiam manibus pedibusque descendunt; satis clare *constat*, Ecclesiam *de illa* (hoc est, *Virginis* Conceptione) *agere*, *ut sancta in semetipsa*. Est ne, quæso, ulla *Valdesio* rima, per quam ille possit erumpere, aut ex hoc vado emergere?

Sed jam tempus est, ut Magni *Bellarmini* testimonium audiamus; quo uno, mirum, quam exultat lætitia ac triumphat gaudio Doctor Mutinensis! Igitur celeberrimus ille Cardinalis, quem Polemicæ Theologiæ Parentem jure dixeris, loco mihi antea laudato ita loquitur: *Dico secundo, fundamentum hujus Festi præcipuum non esse Conceptionem Immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ. Qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium affert Mundo ejus memoria; tunc enim primum habuimus pignus certum Re-*

Lib. 3. de Cultu Sanctor. Cap. 16.

dem-

demptionis: Hæc ex Bellarmino *Lampridius* pag. 60., ſed conſueto ſibi more mutilata, non integra; ut ex ſubjiciendis palam fiet. Is porro & alterum huc evocavit S. R. E. Cardinalem, *Vincentium Ludovicum Gotti*, Prædicatorum Ordinis illuſtrem ſane magnæque notæ Theologum, qui in Opere *de vera Chriſti Eccleſia adverſus Piceninum Hæreticum*, italice elaborato, Tom. II. Part. 2. Art. 14. §. V. num. 33. (ut impii iſtius Hæretici os obſtruatur blaſphemantis, *Alexandrum VII.* hac in cauſſa ſecum pugnare ſibique contradicere, dum fatetur ſe nolle controverſiam dirimere, interim vero jubet, veneratione ut proſequantur omnes *Immunitatem*, quod eſt *facto* decidere) non aliis in id uſus eſt verbis, quam iis ex celeberrimo *Bellarmino* ſupra allegatis, quo cum & ipſe cenſet, *Fundamentum Feſti* Conceptionis *præcipuum* [hoc eſt, unicum, ſpeciale ſive particulare] non jam eſſe *Immunitatem* Virginis, ſed latiori quadam ſignificatione *Conceptionem Matris Dei*. Ita quidem non adeo multis abhinc annis, noſtraque memoria Eminentiſſimus *Gottus*, non ita pridem e vivis ereptus, ſummo ſui deſiderio probis omnibus poſt ſe relicto. An autem, ut inſultanti *Picenino* occurreret, neceſſe is habuerit ad *Bellarminum* confugere: infra diſceptabimus. Interea vero temporis, videamus primum, quid de præfata *Bellarmini* ſententia ſtatuendum ſit; eandemque, ut opus eſt, ad trutinam nunc revocemus.

Cumprimis illud præfabor, *Bellarminum* tanta doctrinæ atque omnigenæ eruditionis fama toto Orbe claruiſſe, ut inſigni etiam virtute ac pietate multo magis latiuſque inclaruerit. Ejus autem eximiæ ſeu doctrinæ ſeu pietati nihil deperit, quod alicubi, ut homo, cæſpitarit, nec ubique & ſemper lineam veritatis cuſtodierit. Quis eſt enim tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat? Id ſane vel Sanctiſſimis atque Eruditiſſimis quibuſque ſæpe accidiſſe, utinam non tot qua præteritæ, qua noſtræ etiam ætatis exempla monſtrarent! Faciam igitur brevi, quoad ejus fieri poterit. *Thyrſus Gonzalez* celebratiſſimus ac veteranus Theologus, quodque plus eſt, ex eadem inclyta Societate Jeſu, ex qua ad Sacram Purpuram *Bellarminus* evectus eſt, ejuſdem *Bellarmini* adſertionem, antea nobis adductam, annis abhinc ſexaginta & amplius ſuo ſubjecit examini, verſavitque in omnem partem, compluribus planeque invictis rationibus probans, ibidem videndis, *falſum omnino eſſe, fundamentum hujus Feſti præcipuum non eſſe Conceptionem Immaculatam, ſed ſimpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ.*

Tract. *de certitudine* [illegible] hujusce Mysterii, Disp. II. Sect. IX.

Et profecto [ut pauca, illinc decerpta, huc transferam atque in medio ponam] si quoquo modo id constaret; quidni quoque liceat cuivis dicere, fundamentum præcipuum Festi *Nativitatis* Virginis non esse *Sanctitatem*, eidem *in utero* collatam, seu non esse *Nativitatem ut Sanctam* in semetipsa, sed simpliciter *Nativitatem Matris Dei futuræ?* id quod cum veritate neutiquam congruere illa docent S. *Bernardi* verba laudatæ toties Epistolæ 174. = *Ortum Virginis didici in Ecclesia & ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque SANCTUM, firmissime cum Ecclesia sentiens, in UTERO eam accepisse, ut SANCTA prodiret*. Rursum, si ita esset, ut *Bellarmino* visum, id est si præcipuum ejus Festi Fundamentum *simplex* foret *Conceptio Matris Dei futuræ*; nihil fuisset caussæ, cur idem *Bernardus* in Canonicos Lugdunenses tam acriter inveheretur, quod ejusmodi Festum ipsi coluerint, suæque Ecclesiæ Fastis inscribi curarint. Deinde, id genus assertioni, sane falsæ, resistit non modo consensus Academiarum ac totius Populi Christiani, qui *Conceptionem* Virginis ut probe *Sanctam* & *Immaculatam* venerantur & prædicant, sed etiam ipsa resistit Ecclesia, quæ stata die ita precatur: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam SANCTAM Conceptionem*. Omnium autem maxime resistunt fulgentissima *Apostolicæ Sedis* Oracula, dudum a nobis producta, explicata atque excussa, quibuscum conciliari isthæc *Bellarmini* assertio nullo modo potest; præsertim ex quo *Alexander PP. VII.* proposita *vetere Christi fidelium pietate sentientium, B. Mariæ animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia &c. a macula peccati Originalis PRÆSERVATAM immunem, atque in HOC SENSU ejus Conceptionis Festivitatem solenni ritu colentium & celebrantium*, ita decrevit: *Nos volentes laudabili huic pietati & devotioni & Festo ac Cultui secundum illam* (Piam Sententiam) *exhibito, in Ecclesia Romana post ipsius Cultus institutionem NUMQUAM immutato, favere, necnon tueri &c. Constitutiones ac Decreta a Romanis Pontificibus edita in favorem* Piæ *Præservationis* Sententiæ, *necnon & in favorem Festi & Cultus, Conceptioni Deiparæ secundum Piam istam Sententiam exhibiti, innovamus & sub Censuris ac Pœnis observari mandamus*. Tum & gravissimas iis pœnas interminatur, *qui* prædicta *ita pergent interpretari, ut favorem per illa dicta Sententiæ, & Festo seu Cultui, secundum illam* (seu Piam Sententiam) *exhibito frustrentur*: id, quod sane facit *Lampridius*, dum hac ætate *Bellarmini* verba sic avide arripuit, quasi diutur-

turnam sitim explere cupiens. Ex his ergo, aliisque, quæ alibi supra pluribus exequuti sumus, exploratissimum est, a vero maxime alienum esse, quod de *fundamento hujus Festi* scripto tradidit *Bellarminus*, Doctissimus alioqui ac Piissimus Cardinalis. Atque in hunc fere modum de Sodale olim suo, Viro Summo atque Sapientissimo, *Thyrsus Gonzalez*, non jam *juvenis Theologus* (ut alteri non ita pridem ad nauseam usque exprobravit *Valdesius* pag. *63.* & seqq.), sed quidem in *Salmanticensi Academia* SS. Theologiæ Primarius Antecessor *Emeritus*, anno scilicet 1688., quo primum hæc in Hispania prælo submisit, universæ Societatis Jesu *Præpositus Generalis* ac Supremus Moderator jam creatus.

Condonandus autem facile est hujusmodi lapsus Cardinali Eminentissimo, quippe quod eo scripsit tempore, quo ex *tolerantia* Romanæ Sedis etiamnum erant, qui celebrarent hoc Festum sub nomine *Sanctificationis*, seu quo necdum omnes & singuli unam jubebantur colere *Immunitatem:* hoc est dictu, tempore *Gregoriani* Decreti promulgationem antevertente, nedum *Alexandrini*. Fiet id clarius, si coævum Scriptorem ejusdem Societatis, *Gregorium de Valentia* cum Bellarmino heic committamus. Agnoscit enim & ille multiplex esse Objectum, seu *fundamentum* Festi Virgineæ Conceptionis, de quo in hæc verba loquitur: *Omnes ii, qui tenentur servare formulam Breviarii & Missalis Romani, tenentur etiam celebrare illud Conceptionis Festum per intentionem aliquam ex illis jam dictis, nimirum vel tanquam Conceptionis IMMACULATÆ (ad quod invitantur quidem omnes ab Ecclesia, ut dixi, per Indulgentias) vel quia statim atque concepta est B. Virgo, fuerit a peccato SANCTIFICATA; vel quia concepta est illa, quæ futura erat MATER Redemptoris: qui duo posteriores celebrationis modi ab Ecclesia etiam TOLERANTUR saltem, & permittuntur.* Sic *Valentia* sub annum 1597., quo sua super *Tertiam Partem D. Thomæ* Theologica Commentaria typis ipse mandavit: videlicet non modo ante *Alexandrum VII.*, sed etiam ante *Gregorium XV.*, immo & ante ipsum *Paulum V.*, Pontifices Maximos, præ cunctis, qui præcesserant, Mysterio maxime faventes. Eatenus ergo *Valentiæ* visum, non unam *Præservationem* esse Objectum hujusmodi Ecclesiastici Cultus, quin vero etiam eodem spectare tum *Sanctificationis* significationem, tum *futuræ Matris Redemptoris;* quatenus id ætatis sub alterutra harum intentionum ejus generis Festum celebrari Ecclesia adhuc *tolerabat*, aut expresse non-

In 3. Part. Disp. 2. Quæst. 3. Punct. 2. §. *Quarto* i*dem probatur.*

nondum interdixerat, quemadmodum postea est factum anno 1622. *Gregorii* Diplomate, per *Alexandrum* inlustrato atque innovato. Huc quoque respexit *Bellarminus*, quum sub idem tempus, eandemque ob caussam dixerat, *fundamentum hujus Festi præcipuum non esse Conceptionem* uti *IMMACULATAM*, *sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ*. Petis, quare? Quia, (ut ille ipse extemplo subdit) *hoc Festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam*. Si Festum istud ab iis quoque celebratur, qui Virginis inficiantur *Immunitatem*, ut tunc sane celebrabatur ab aliquibus, sed quam paucissimis, Ecclesia id utique *tolerante* aut connivente: ergo (inferebat idem *Bellarminus*) non est *præcipuum*, seu unicum Festi hujus fundamentum *Præservatio* Mariæ. Neque enim audebat modestissimus Cardinalis eos durius insectari, penitusque reprobare, quos per Pontificum conniventiam vel *tolerantiam* alia sub intentione videbat *Conceptionem* venerari, præterquam *Immunitatis*. Propterea hanc ibidem Dicti sui rationem ille reddit, quia *hoc Festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam*. Scilicet, illud tum ab iis alia mente celebrabatur, *adversus* quidem *Ecclesiam*, ut nuper a *Catharino* audivimus; attamen *tolerantibus*, caussa servandæ Pacis, Summis Ecclesiæ Præsulibus: quanquam hi alias probarent id minime. Hæc ergo postrema *Bellarmini* verba clausis oculis; ut præmonui, *Lampridius* citato loco præterivit; licet alibi, id est pag. 90., eadem postea suppleverit, ubi minus necesse erat. Quod si rite expendisset, ut oportebat; neutiquam ille hoc tempore *Bellarminum* e cœlo devocasset, ut perditæ suæ opinioni patrocinium præstaret. Etenim post Decretum *Gregorii PP.* non amplius *toleratur* Cultus *Sanctificationis*, aut alius quisquam a *Præservatione* diversus: imo econtra aperte interdicitur ac prohibetur. Relege in hanc rem superius dicta, ubi abunde satis evicimus, ab eo tempore, quo *Gregorii* Decretum prodiit, *Præceptum* extare de una ab omnibus *Immunitate* colenda. Hoc autem *Præceptum* si vidisset *Bellarminus* (obierat enim diem suum XV. Cal. Octobres anni 1621., id est, uno ante evulgatum *Gregorii* Decretum anno), quis tam effrons ac singularis ingenii doctrinæque viro, quis injuriosus adeo, ut censeat, de sententia eum non lubenter, non e vestigio decessurum?

Quid, quod idem *Bellarminus* prope vitæ exitum, hoc est, anno 1617. coram Congregatione Cardinalium S. Romanæ

næ Inquisitionis hac super re sententiam dicere jussus, non modo, quod olim antea dixerat, emendavit, quam etiam, ejusmodi saltem *Præceptum* ut edatur, monuit, indicavit, e re esse duxit? Illius autem sententia (ut ab *Eusebio Nierimbergio* refertur in Opere Parthenico *de perpetuo Objecto Festi Conceptionis* Cap. XXXI. ex authographo ejusdem Cardinalis, ad Catholicum Regem *Philippum IV.* Roma transmisso, *Paulo V.* PP. annuente), hujusmodi est: *Nec potest responderi, quod in Officio Conceptionis non approbatur Conceptio corporalis IMMACULATA, sed Sanctificatio in UTERO post animationem. Nam Sixtus IV. qui approbavit Officium, declaravit animum suum, tum in extravaganti* Grave nimis, *tum in approbando Officio Leonardi de Nogarolis, in cujus Collecta dicitur: Virginem per merita Christi prævisa PRÆSERVATAM ab omni Macula. Præterea in Responsorio octavo* (Piani Officii) *dicitur: SANCTA Conceptio. At non est Conceptio nisi in illo PRIMO instanti, in quo infusa est Anima Corpori, in quo cœpit esse in rerum natura Persona integra Virginis: alioqui si accipiatur Conceptio pro SANCTIFICATIONE post Animationem, etiam Jeremias, & Joannes Baptista dicerentur Concepti sine peccato Originali. Denique communis sensus Fidelium est, celebrari Conceptionem solius Virginis, quia ipsa sola vere concepta est sine peccato Originali .... Si forte* (concludit) *non placet nunc ulla formalis* Piæ Sententiæ *definitio, saltem deberet fieri PRÆCEPTUM omnibus Ecclesiis Sæcularibus ac Regularibus, ut recitarent Officium de CONCEPTIONE, quomodo recitat Ecclesia Romana*, id est sub nomine *Conceptionis* (subintellecta *Præservatione*) non vero *Sanctificationis*; ut nonnulli factitabant. *Sic enim*, ait, *sine definitione haberetur intentum.* Hujusmodi porro *Præceptum* exiit tandem bonis avibus a *Gregorio XV.*, anno a morte Sapientissimi Cardinalis nondum elapso; ut indicatum est ante.

Postremæ huic *Bellarmini* sententiæ, qua priora retractando a menda purgavit, etiamsi fidem forte, quia nocet, adhibere nolit *Lampridius* veteri more; negare tamen cordatorum nullus potest, quin hodie statimque a *Bellarmini* obitu, *toleratus* amplius non sit, immo expresse *Gregoriano* Decreto vetitus *Marianæ* Cultus *Conceptionis*, alia, quam *Præservationis*, mente eidem impendendus: itemque jam nemo dubitaverit, modo partium liber, quin Pontificia Lege a plurimis retro annis adigantur omnes, ut cum Ecclesia Romana unam tantummodo Deiparæ *Immunitatem* venerentur & colant. Ac proinde,

non

non ut venia dignus *Bellarminus*, sic & cum iis indulgentius agendum, qui ejus auctoritate abutuntur plane, nec verentur, quod ille scripserat longe ante judicium *Apostolicæ Sedis*, etiam post ipsum producere, atque hoc rursus ævo in *Præservationem* Divæ Virginis intorquere. Licuit enim ita olim sentire *Bellarmino*, utpote ante *Alexandrinam* Bullam scribenti, immo & multo ante Decretum *Gregorianum*, quum scilicet ex Ecclesiæ Romanorumve Pontificum *tolerantia* de Cultus Objecto, seu de *fundamento hujusce Festi* Catholici Viri discreparent. Nunc autem, Objecto jam designato, sublataque omni in oppositum Cultum *conniventia*, qui velit adhuc a gravissimo Auctore præsidium sibi adsciscere, perinde faciat, ut qui hac ætate post tot solennia Ecclesiæ judicia *Doctorem Mellifluum* afferret in medium, annis abhinc plus quam sexcentis id genus Festum in *Lugdunensibus* prædamnantem, ac *temeritatis superstitionisque* redarguentem, quod eo *vel peccatum honorari, vel falsa induci Sanctitas videatur*. Id, quod intolerandum plane flagitium foret, probisque omnibus non tam risum moveret, quam stomachum, ni potius lacrymas excuteret.

Miror proin magnopere, Cardinalem etiam *Gottum*, virum adeo doctum, ad hanc cariosam confractamque tabulam hoc tempore confugisse, ut *Picenini* calumnias, in Ecclesiam intortas, dejiceret ac confutaret: quod est bonam caussam non tueri, sed prodere. Eandem quoque [ut erit *Lampridio* gratissimum heic adtexere in ejus commodum] ingressus est semitam *Natalis Alexander*, qui anno plus minusve 1676. adversus *Rivetum* aliosque Heterodoxos *non scriptarum* necessitatem *Traditionum* auctoritatemque strenue vindicans, de hujusmodi Festo sic censuit: *Conceptio Beatæ Virginis celebratur, non propter propriam Sanctitatem, sed propter Sanctitatem & Dignitatem personæ Conceptæ, quæ prædestinata est ab æterno & in tempore Concepta, ut Dei Mater esset*. In quem *Natalis* lapsum jure ac merito animadvertit *Roncaglia* in ea, quam adjecit, *Nota* Sæculo IV. ad *Historiam Eccles. ejusdem Natalis* Cap. 3. Art. XXI. *de Collyridianis*. Certe, si *Picinino*, *Riveto* aliisque hujus furfuris in Eximios Viros, *Natalem* & *Gottum*, insurgere ac reponere datum esset; equidem illi dicerent cum Præposito *Societatis Jesu*, antea laudato, *falsum omnino esse*, quod *fundamentum hujus Festi præcipuum non sit Conceptio Immaculata*, *sed simpliciter Conceptio Matris Dei futuræ*: atque adeo, non ut *Bellarmino*, ita & *Natali* ac *Gotto* seu alii cuiquam æque ignoscendum esse inclamarent,

In Hist. Eccl. Sæc. II. Dissert. 14. §. 21. *Ad secundam probationem &c.*

rent, quod nunc aut paria ii scribant, aut rursus in scenam invehant *Bellarminum*, cujus nihil eos id ætatis juvare jam potest auctoritas. Adderent ii quoque Theologorum Catholicorum agmen immensum secus sentientium: præsertim *Suarium* huc & *Vasquium* (Ingenia illa nobis felicissima) educerent non immerito, quorum primus jam ab anno 1591., alter vero non ita multo post, certe vel ante Edicta Romanorum Pontificum *Pauli*, *Gregorii* & *Alexandri*, cavillos id genus omnes *contra Ecclesiæ mentem* fabrefactos esse, non solum fortiter, sed considerate etiam sapienterque designarunt. Tandemque Pseudo-Magistri illi defixis in *Gottum* & *Natalem* oculis (quod tantorum pace virorum dictum esto) sic argumentando conficerent: Vel ergo vos Pontificum vestrorum, Ecclesiæque judicia hac in re despicatui habetis; vel si id Religioni ducitis, jam non potestis inficiari, quin fundamentum istiusmodi Festi præcipuum, aut unicum, ipsa sit Conceptio *Immaculata*.

Suarez Tom. 2. in. 3. Part. disp. 3. Quæst. 27. art. 2. sect. 5. Vasquez in 3. P. quæst. 27. art. 2. disp. 117. cap. 5 num. 67. & seq. Tomo 2. qui primum est editus anno 1611., Auctore Cl. jam e vivis erepto.

Ac quidem, in hunc pene modum *Joannes de Luca* num. XXV. suæ alias a nobis relatæ Dissertationis *Picininum* induxerat adversus *Gottum* depugnantem ac differentem. Verum, iis lectitatis tantum non intenduit *Valdesius*; excitatoque de more, sed frustra, non modico pulvere, jejuno adeo inaniterque Clariss. Auctoris caussam tractavit pag. 63., ut commiserationem ipse potius mereatur, quam responsionem. Quis enim respondeat viro, nonnisi verba danti, multa quidem volventi, sed nihil prorsus efficienti? Attamen infarcire non pauca ipse maluit, ne silentio forte suo aut succubuisse videatur, aut stationem reliquisse. Dum autem hucusque deductis veram solidamque expectamus responsionem a Doctore Mutinensi (quam in rem deliberandi ei spatium indulgemus, quantum libuerit) age, videamus, an non alia pateat & verior & expeditior via revincendorum istius furfuris Hæreticorum, quin necesse sit ad eam perfugere, quam *Bellarminus* olim aperuit, quamque longo post ipsum intervallo inierunt rursum insignes quidem viri, *Natalis* & *Gottus*, licet omnino perperam. Plane, præclusam jam esse eam viam omnibus, potissimum ab *Alexandro VII.*; nemo unus, qui Pontificis Bullam legerit pacato animo, jure dubitaverit. Quid ergo? an necessitatem illi obtendent ita incedendi, ut ad calumnias respondeant ab id genus Erronibus intentatas? At magnifice falluntur. Nam superiori Sæculo XVII. exeunte *Callixtum* quemdam non ignoramus fuisse, in Academia Helmstadiensi, (*Ju*-

liâ vulgo dicta) *Lutherani fermenti* Magistrum, qui modo Militem simulans, modo Monachum Benedictinum, datis ad *Coloniensem* & *Herbipolitanam* Universitates literis, eodem modo Catholicos insultavit, quo *Rivetus* olim, ac non ita pridem *Picininus*. Quid ad *Callixtum* rescripserint Facultates Theologicæ istarum Universitatum; videsis apud *Strozzium* Libro X. *Historiæ Conceptionis* Cap. 23. Illud non prætereo, nihil, quod *Bellarminum* sapiat, ejusmodi Theologorum cœtus prompsisse unquam, immo ne somniasse quidem; quamque illi, regiam tenentes viam, *Callixto* dederant responsionem, eandem ipsissimam & *Riveto* & *Picinino*, cæterisque pestibus Ecclesiæ Catholicæ dandam nunc esse puta: ideoque ineptum prorsus esse ac ridiculum cum Mutinensi Theologo id temporis ad *Bellarminum* confugere, aut in *Gotti* responso vel alterius cujusvis paria obtrudentis, præsidium collocare.

Quei ergo, dices, pestilenti Hæretico *Iacobo Picenino* respondendum; quum per summum nefas insipientiæ ac stupiditatis arguit *Alexandrum VII.*, eidemque (ut *Valdesius* refert pag. 10.) in hæc insultat verba, *tamquam sibi contradicenti, ex quo in sua Constitutione dicat, se nolle Mysterium decidere, & postea, approbando Festum, illud decidit. Quid aliud est hoc* (*impudenter ait*) *nisi decidere & non decidere, non decidere verbis, & decidere facto? quod est sibi contradicere*. Ita disertissime ex Picinino *Valdesius*, qui & eodem loci importuna exclamatione subdit: *Heu quo tandem devenimus*! At responsio, ut facillima, sic & solide unica, in promptu est. Hæretici quippe, ab Ecclesia eliminati, Ecclesiæ mentem nequeunt sane cognoscere; ac in eo quidem se ipsos decipiunt, quod ex Conceptionis *Innoxiæ* celebritate hac tanta Mysterii definitionem concludant. Quibus mecum ita velim respondeas: Ecclesiam quidem solenni ritu colere *Intemeratam* Virginis Conceptionem, seu *Immunitatem* Deiparæ ab originis labe; potissimum vero Ecclesiam *Romanam*, reliquarum omnium Parentem Optimam ac Sapientissimam, ex quo id primum suscepit, a proposito nunquam recessisse, neque in hoc Cultus genere *immutasse* quicquam: immo non solum ab ipsa Romana Ecclesia *Immunitatem* coli, verum etiam expresse præcipi, ut omnes Cultum adhibeamus uni tantummodo *Præservationi*. Atque sic sane res se habet: neque in hoc fallitur *Picininus*, aliique ejusdem farinæ, id ipsum ex verbis illustribus *Alexandrinæ* Constitutionis vere riteque inferentes. Turpiter autem in eo falluntur,

atque

atque a vero abludunt maxime, quod ejusmodi solemnem Ecclesiæ Cultum esse velint peremptoriam istius controversiæ Decisionem, ita ut citra *hæreseos* maculam non patiatur amplius Adversarium tergiversari. Quam id vero procul absit ab omni specie veritatis; non multis mihi est opus, ut patefaciam verbis, ac persuasum eam. Etenim, nemo unus est, qui nesciat, apertissima Ecclesiæ Lege colendam nobis esse veneratione summa tum *Nativitatem*, cum etiam *Assumptionem* Deiparæ Virginis: quo quidem nomine pie cum Ecclesia & credimus & veneramur ipsam Virginem, uti Sanctitate, dum adhuc *in utero* Matris gestaretur, exornatam, die scilicet *Nativitatis* ejus; vel *Assumtionis* festo die recurrente, ut plena ac perfecta immortalitate donatam, hoc est, uti *Corpore* simul & Anima in Cœlos adsumptam. Quis porro tam imperitus, tam rerum omnium rudis, ut conficiat ex tali Cultu, aut Sanctitatem *in utero* acceptam, aut *Corpoream* Assumptionem gloriosæ Mariæ Virginis Solenni judicio definitas esse, atque adeo Divina jam Fide credendas? Plane nullus. Ergo perquam falsissimum est, quod obganniunt Hæretici, videlicet Cultum Ecclesiæ suapte natura, reque ipsa Definitionem esse: ideoque neutiquam sequitur, ut, quod est Objectum seu Festi seu Cultus, idem sit definitum & inter Fidei Articulos connumeratum. Quod autem dixi de Festis *Nativitatis* & *Assumtionis*, id quoque ipsum de Mariana pariter *Conceptione* statuendum. Nempe, Festum *Conceptionis Immaculatæ*, quod solemniter ab Ecclesia celebratur Octava die Decembris, haudquaquam probare, *Immunitatis* Mysterium, ut Fidei Dogma, decisum esse; quemadmodum nec alia, quæ jam memoravimus, Beatæ Virginis Festa probant unquam, ad Divinam spectare Fidem aut Sanctitatem sibi *in utero* collatam, aut miram Sanctissimi ipsius in Cœlum *Corporis* exaltationem. Valeat itaque cum suis criminationibus *Piceninus*, quibus in *Alexandrum VII.* impudentissime debacchatus est; simul & discat, Pontificem Maximum, approbando Virgineæ *Immunitatis* Festum exemplo Decessorum suorum, Piam id genus Sententiam minime decidisse; adeoque a se objectam *Alexandro Papæ* contradictionem derídiculam prorsus esse, nulloque in censu habendam.

Atque hoc respondere debet Hæreticis bonus, Catholicusque Theologus; non cum *Lampridio* (ut *Valdesius* facit) eludere Alexandrinum decretum ac perperam explicare, negando, Ecclesiam cultum deferre *Immunitati*: quod est plane nodum

non solvere , sed abscindere . In quo quidem Theologum Mutinensem fateor vades ac suffragatores habere viros summos *Bellarminum* & *Gottum* ; quibus , si voles , & *Natalis Alexander* addi potest. Verum , quod adtinet ad *Bellarminum* , Gregorio XV., nedum *Alexandro VII.*, jam diu præmortuum: quid, amabo , opis , quid auxilii vir talis ac tantus ferre hoc potest tempore caussæ Valdesianæ ? immo quid *Gottum* juvare , ad eam item Arcem sane eversam , præpostere nuper ac frustra confugium habentem ? Nam viros etiam doctos interdum falli & fallere posse , indubitata res est. Quod est ergo ad *Gottum* , sicut & ad *Natalem* ; eos equidem veneror ac facio maximi . Cæterum , hac in re , quia falsa infarciunt , nihil illos ego moror , uti & Mutinensem Doctorem longe minus , quippe qui adfectibus abreptus noluit plane illorum lapsum agnoscere , effugere atque expurgare. An , quæso , sibi videtur , multitudinem errantium præstare errori patrocinium ?

CAPUT

CAPUT XI.

De felicis recordationis Clemente XI. Pontifice vere Maximo. Novum ejus Decretum de agendo ab omnibus Christi Fidelibus Solenni Festo Conceptionis Innoxiæ ubivis terrarum: id, quod nemo antea. Gotti verba, a Lampridio huc adducta, ponderantur. De vitiata istiusmodi Pontificii Diplomatis impressione: an adjumento hæc sit, aut esse possit Doctori Mutinensi? Tam illustri facto Clementis Papæ, Decretum Basileensium non modo ab se æquatum est, sed longe etiam superatum. Istorum Canon refertur atque enucleatur, uti & alter Avenionensium: in quos Lampridius & Valdesius an recte subirascantur, ac æstiment nihili?

EX variis, ac bene multis Romanorum Pontificum Constitutionibus, quas hucusque sat ad rem prolixe prosecuti ac interpretati sumus, præcipue *Sixti IV.*, *Pii V.*, *Gregorii XV.* & *Alexandri VII.*, res est manifesta, *Præservationis* Cultum, seu Marianæ *Conceptionis*, quatenus *Immaculatæ*, eum esse, quem unum Ecclesia semper intendit diserteque probavit; ut proin nihil magis a veritate dissonum dici a *Valdesio* possit, quam quum *pag. 61.* intrepide scribit: *Uterque modus colendæ Deiparæ* (idest, tam sub significatione *Præservationis*, quam etiam *Sanctificationis*) *Pius est & LICITUS, Sententiarum nempe qualitati conformis*. Immo, modus ille Deiparam colendi sub *Expiationis* aut *Sanctificationis* intentione usque adeo *illicitus* est, nec sane *Pius*, ut eum Pontifices Summi *Gregorius* & *Alexander* expressis verbis sustulerint, proscripserintque. Ad hunc tamen *Immunitatis* Cultum nullus Pontificum laudatorum adegit omnes Christi fideles: solus enim tunc Clerus ex illorum præscripto tenebatur istud honoris pensum Virgini exsolvere, reliquis de populo neutiquam in id adactis. Nostro autem sæculo videre tandem obtigit *Intemeratæ Virgineæ Conceptionis* Cultum ab iis, qui in Clero sunt, ad universos Christianorum cœtus propagatum, scilicet per *Clementem XI.*, Suprema Eccle-

Ecclesiæ dignitate, auctoritateque donatum. Is enim Pontifex, vere Summus, suorum in Petri Cathedra Antecessorum religionem atque in Deiparam studium & obsequium æmulatus, id, quod nullus antea, ipse perfecit summa omnium exultatione; hoc est, Festum *Conceptionis* B. Mariæ Virginis Immaculatæ *de præcepto* ubique in posterum observari mandavit anno 1708. edita Constitutione tenoris subsequentis: *Commissi* (ait) *nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus Officii exigit ratio, ut gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo, Venerationem & Cultum, plurium Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quæ supra Choros Angelorum exaltata, pro Populo Christiano sedula exoratrix apud eum, quem genuit, assidue intercedit in Cœlis, potentissimam opem in tot tantisque, quibus premimur, Christianæ Reipublicæ & Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, promereri jugiter satagamus.* Sic exorsus est Pontifex, quo consilii sui rationem patefaceret; tum vero in hæc verba edicit: „ Sincera itaque nostra erga „ eandem Augustissimam Cœli Reginam, Patronam & Advocatam nostram devotione incitati Festum CONCEPTIONIS „ ipsius Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ubique terrarum „ in posterum ab OMNIBUS & SINGULIS utriusque sexus Christi FIDELIBUS, sicut alia Festa de PRÆCEPTO „ servari & celebrari, ac sub PRÆCEPTO observationis Festorum comprehendi, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, præcipimus & mandamus: Non obstantibus &c. &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo „ Piscatoris die 6. Decembris 1708. Pontificatus nostri Anno „ Octavo. „ Hactenus *Clemens* Papa hujus nominis XI., cujus Constitutio legitur in *Magno Bullario Romano*, unde fideliter de verbo ad verbum huc transcripta fuit. (*)

Tom. VIII. pag. 60. *Edit. Luxemburg.* ann. 1727.

In hoc autem *Clementino* Diplomate illud est maxime habendum præ oculis, riteque nobis ponderandum, in ampliando *Conceptionis* Marianæ Cultu, atque ideo in ejusdem Festo *de*

(*) Teste *Raynaudo* in Tractat. *de Pietate Lugdunensi* pag. 306. ejusmodi *Conceptionis* Festum suo jam ævo apud Gallos, Hispanos aliasque multas Nationes, cum cessatione a servilibus ex *consuetudine* agebatur: adeoque multo id ante ibi obtinuit, quam suam *Clemens XI.* in id rei Bullam pro universa Ecclesia promulgaret.

de præcepto statuendo, *Decessores suos* Pontificem Maximum sibi imitandos proposuisse; dum in hæc ibidem ipse præfatur verba, studere se nimirum ejusmodi *venerationem & cultum*, *plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum* suorum *more*, *ampliare in terris*. Imitari ergo se velle dicit *Clemens XI.* Antecessores suos, in quibus utique sunt complures, præsertim *Sixtus*, *Pius*, *Gregorius* & *Alexander*. Cujusmodi vero sit Cultus ille, quem isti probarunt institueruntque, *Immunitatis* ne, an *Expiationis*, seu alius quispiam *indifferens* utrique, uti nuper commentus est *Theologus Mutinensis*, & quavis fere *sui Operis* pagina refricat ad nauseam usque; jam dictum est supra, uberius etiam multo, quam forsitan oportebat. Scilicet Cultus *Immunitatis* est ille Cultus, quem unum, seu invitando, seu præcipiendo, gratum ratumque habuerunt suis quique Decretis ii Sacrorum Antistites, qui in Pontificatu *Clementem* præcesserant: hicque unus est Cultus ille, qui semper idem, *Alexandro VII.* teste, ac *post ejus institutionem numquam immutatus* perseveravit *in Ecclesia Romana*, videlicet Cultus *Præservationis*. Relege, quæ hanc in rem superius multa congessimus. Eundem igitur hunc Cultum *Conceptionis Innoxiæ* (non alium quemquam, in unius *Lampridii* ac *Valdesii* cerebro natum) voluit *Clemens* edicto suo amplificare, quum exerte ac palam *Præcessorum* exemplum hac sibi in re proposuit imitandum: adeoque, ut olim Isti a Clericis, sacrisque Virginibus, hoc est, a parte Ecclesiæ, eaque nobilissima; ita Ille ampliando jussit ab omni Christiano Populo, seu ab *Ecclesia universa*, unam tantummodo coli *Immunitatem*. Ex his autem illud est consequens, *Clementina* hac Lege aut Præcepto, omnium maxime luculentissimo, unumquemque cogi, etiam de Populo (quod nunquam ante) Festum isthuc celebrare subintellecta una *Præservatione*; simul & intelligas, quam male interpretetur ac depravet *Valdesius* Bullas Romanæ Sedis, quum *pag.* 48. in hæc verba loquitur: *Neque Sixtum, neque ullum ex subsequutis Pontificibus* (quorum in numero est sane *Clemens XI.*) *sensisse aut statuisse pro Objecto Festi de Conceptione accipiendam esse ab universa Ecclesia Præservationem Virginis*.

Atque ut luculentius appareat, quantam *Mutinensis Doctor* vim inferat vel ipsimet *Clementis Papæ* Decreto, proxime laudato; viden, quid ille scriptis de eo tradiderit sub *Lampridii* nomine, quidve sub larva *Valdesii*. *Lampridius* quidem *Cap.* 9. *pag.* 61. Cardinalem *Cottum* inducit ita adversus *Piceninum Hæ-*

reti-

De vera Christi Fide Tom. 2. Part. 3. Art. 14. §. V. num. 33.

reticum differentem: *Huc respexit Clemens XI. in sua Constitutione pro ipso Festo die VI. Decembris* 1708. *Cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo. Atque ut nemo in animum inducat, voluisse illum hoc facto dirimere controversiam, non illud appellat Festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, sed Festum Conceptionis ipsius Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ.* Hæc ex Eminentissimo Gotti *Lampridius*. Sed quis, amabo, istorum scopus verborum, quis sensus, quæso? Consulamus ejusdem interpretem *Valdesium*, ut tutius id assequamur. *Cur* (ait ipse *Valdesius* Epist. X. pag. 121.) *cur Clemens XI.* [*uti Lampridius ex Cardinali Gotto deduxit*] *Immaculatæ Conceptionis Festum appellari noluit, nisi ut Fideles discerent, ejus Festi Objectum non restringi ad unam Piam Sententiam*, id est, Virgineæ Immunitatis, *sed extendi etiam ad contrariæ Sententiæ sive Opinionis asseclas*, nempe Expiationis? Idem quoque antea *Valdesius* dixerat *pag. 66. Epist. VI.*, ubi & quæ sequuntur, adtexit: *Ex Libello supplici Thomistarum* (*edito ab ipso P. de Luca pag.* 129.) *habemus, indoluisse eumdem Pontificem* Clementem XI., *quod suæ Constitutionis editor quidam extra Urbem hunc ei titulum inscripsisset*: Ut Festum *Immaculatæ* Conceptionis Beatæ Mariæ &c. *& sub die* 12. *Octobris* 1709. *Ordinario loci mandasse, ut acriter corriperet alterationis hujus auctores, & vitiatam impressionem supprimeret.* Habes itaque a *Valdesio* interprete, quò *Lampridius* suus respexerit in *Gotto* exscribendo. Scilicet, ut incautis atque imperitis obtrudat atque ostendat, per *Clementinam* Bullam non jam esse ab *omnibus Christi Fidelibus* solam Deiparæ *Immunitatem* colendam.

Sed ut ad *Gottum* revertamur, non negamus, quin & prorsus fatemur, *Clementem* Pontificem hoc suo Edicto controversiam de *Conceptione* Virginis dirimere neutiquam voluisse; neque in hanc usque diem ullo Ecclesiæ aut Apostolicæ Sedis judicio alterutram partem definitam esse, seu extra *Opinionum* pomœria positam, ultro concedimus. Quæ vero ab Auctore Clariss. profertur ejus rei probatio, tam elumbis est ac pene puerilis, ut non bonam ipse caussam recte agere, sed potius prodere videatur. Ecquid enim, rogo, pueros magis decet, quam in epitheto *Immaculatæ* nugari, atque asserere, propterea non illud *Conceptioni* a Clemente tributum, sed *Virgini* tantum, ut argumento sit, noluisse Pontificem *Conceptionis* controversiam dissolvere atque eliquare? Nonne *Sixtus IV.* cum in Decretalibus Litteris hac de re ab se editis atque a nobis nu-

per

per commemoratis, tum etiam sæpissime in *Nogarolæ* Officio, per ipsum approbato, *Conceptionem* Dei Genitricis Mariæ & *miram* & *Immaculatam* conceptis verbis vocat, quin ullus tamen Catholicorum caussam finitam esse, seu *Præservationis* Mysterium, tanquam Fidei articulum, definitum censuerit, contenderitque? Deinde, nonne vel ipso *Clemente XI.* sciente atque annuente, in Ecclesiastico Officio, quo nunc quoque jussu *S. Pii V.* utimur, gloriosæ Virginis *Conceptio* apertissime *Sancta* appellatur, quin tamen ullus somniaverit unquam, id genus controversiam diremptam jam esse, neque amplius in medio, aut sub judice relictam? An forsan vox isthæc *Sancta*, Conceptioni juncta, non idem significat, quod *Immaculata*? Immo vero quid beatius ac præstantius. Neque enim, uti *Immaculatæ* epitheto, solam a sordibus *puritatem*, sed ipsum etiam *inhabitantem Divinum Spiritum* per dona Gratiæ isto *Sanctæ* Conceptionis vocabulo designari compertissima res est. Undenam ergo, dices, petenda ratio vera pendentis etiamnum istiusmodi judicii? Non aliunde plane, quam ab ipsissimis *Pontificum Romanorum* Constitutionibus, hactenus recensitis, queis liquet, eos semper cavisse, denuntiasseque verbis disertissimis; *nondum id esse ab Ecclesia Romana, atque Apostolica Sede decisum*; prout nec ipsimet Sanctionibus suis decidere *se id velle* manifeste declarant. Ita quidem Præcessores *Clementis Papæ XI.*, a quibus is plane nec verbo ullo, nec facto se diffidere monstravit unquam; quippe quod *Conceptioni* duntaxat Festum *de præcepto* ipse statuit, præterea nihil.

Ad *Lampridianum Interpretem* quod attinet, miror sane videre eum, quod nullus videt, non perspicere autem, quod omnes. *Iidem autem oculi*, ut cum *Tertulliano* loquar, *renuntiassent utrumque*, si recte iis uti voluisset. (*in Apolog. Cap. 9.*) Nam si unum forte alterumque excipias, quos cæco quodam gradu sequutus est *Vallesius*; nemo unus est tam lippus, tamque rerum imperitus, qui non statim perspiciat, fateaturque, *Clementem XI.*, dum Festum *Conceptionis* ad Christianos omnes extendit, non alia intentione, consideratioueque celebrari illud præscripsisse, quam unius *Præservationis*, sive *Immunitatis*. Quippe non novum ille Cultum invexit, nec veterem per *Decessores suos* jam constitutum, & confirmatum, immutari voluisse censendus est. Istorum etenim Prædecessorum exemplum hac sibi in re *Clemens*, ut vidimus, sumpserat imitandum. Is autem Cultus, ex alibi copiose dictis non est sane alius, quam Cultus *Præservationis*, jam mihi toties laudatus. Porro, hunc unum

Cultum, præsertim post *Alexandrum VII.* (ut alios prætereain illius Antecessores) in Ecclesia Dei esse licitum, semperque fuisse Virgini delatum, tam cuique est evidens, quam quod evidentissimum. Quid ergo, obsecro? Annon *Valdesius* is est, qui solus non videt, aut videre non vult, quod reliqui omnes vident? Pulchre proin, vereque *Tertullianus* loco proxime citato: *Cæcitatis duæ species facile concurrunt, ut qui non vident quæ sunt, & videre videantur quæ non sunt*. Profecto, tam clausis heic incedit oculis *Valdesius*, ut non modo id, quod revera est, quodque nemo non videt (unius scilicet *Immunitatis* Cultum a *Clemente XI.* ad omnes prorsus Christiani Orbis Ecclesias propagatum), nolit ipse agnoscere; verum etiam videatur sibi videre, quod non est, videtque omnino nullus. Nempe ait, *ejus Festi Objectum non restringi ad unam Piam* Immunitatis *Sententiam, sed extendi etiam ad contrariæ Opinionis asseclas*, hoc est dictu, ad asseclas *Expiationis*, sive *Sanctificationis*: quod nemo plane ante illum vidit, dixitque unquam. Quei autem id probas *Valdesi*, unus nimirum contra omnes? quibus litterarum monumentis? quibus rationibus? atque unde petitis? Scilicet, nugatorem heic agis, non Theologum, in uno *Immaculatæ* epitheto pedem figens, inquiensque, inde id confici, quod noluerit Pontifex *Immaculatæ Conceptionis Festum appellari*. Atqui, ex fundamento hocce, tam firmo, non id sane *Gottus* collegerat; uti ex ipsomet *Lampridio* supra jam accepimus. Ille enim ex eo tantum deducebat (licet perperam), eam *Clementi* mentem fuisse, ut hoc facto ostenderet, a definitione *controversiæ* se esse penitus alienum. *Valdesius* vero nugas nugis cumulat, errores erroribus, pertendens rite inde inferri, Objectum Ecclesiastici Cultus in *Conceptionis Festo* celebrando ex mente *Clementis Papæ* non unum esse, sed multiplex, id est, non *Præservationem* tantummodo, verum etiam *Sanctificationem* pro cujusque libito, ac pro diversitate, quam quisque sequitur, Sententiæ. Itane ludis, *Valdesi*? Equidem haud diffiteor, a præfato Pontifice appellatum esse, *non Festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis*, sed ordine solum inverso *Festum Conceptionis ipsius Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ*. Quæris, cur? Ratio est in promptu. Etenim novit *Clemens*, Ecclesiam ex vetere instituto *Immaculatæ* vocabulum non *Conceptioni*, sed *Virgini* adtribuere, idque vel ipsis Canonicis Precationibus: adeoque antiqui ejus moris retinentissimus, non *Festum* ipse appellavit *Immaculatæ Conceptionis*, sed

Fe-

Festum duntaxat Conceptionis *Beatæ Virginis Immaculatæ*. At urges: noluit *Conceptionem* Deiparæ vocari *Immaculatam*. Etenim quum audivit, in quadam Italiæ Civitate [quæ sit illa, obtegitur] suam prodiisse Constitutionem, mendamque in Titulum irrepsisse; ægre adeo id tulit Pontifex, ut & falsarios corripi, & vitiosam jusserit impressionem occultari. Verum, facti hujusce veritatem nolim ego, etsi possem, in discrimen vertere (scis enim alia ejuscemodi, multo etiam graviora, per Adversarios identidem conficta fuisse): quid vero postea? Hoc unum *Clemens* noluit [& recte quidem] vitiari a quoquam & corrumpi Constitutionem, quam ipse evulgarat: propterea & audacissimis corruptoribus jure indignatus est, & quam ii curarunt editionem, nec puram sane nec incorruptam, utpote qua *Immaculatæ* vocabulum sua est statione motum, suppressit merito atque obliterari mandavit. An id est autem appellari Conceptionem *Immaculatam* renuisse Pontificem, ut discamus, *ejus Festi Objectum non ad unam restringi Immunitatem, sed ad ipsam etiam Expiationem*, aut *Sanctificationem extendi*? Molestum quidem mihi pluries dicere: at, ut dicam iterum, necessitas facit. Imitatus est *Clemens* Decessorum amorem, quo ferebantur in Virginem: eorum est studium & exemplum sectatus in ampliando Cultu *Conceptionis*, ut ille ipse verbis illustribus adfirmat. Ampliavit autem, dum quod constituit Festum, servari præcepit ab omnibus ubique terrarum: atque ita amplificavit, ut non alium, quam ipsissimum illum Cultum *Conceptioni* voluerit adhiberi, quem jamdudum Decessores sui clarissimis Decretis vindicarunt, atque adhiberi voluerunt. Isque profecto unus duntaxat est Cultus *Præservationis*; seu Conceptionis, quatenus *Immaculatæ*; uti adductis bene multis; iisque firmissimis argumentis non ita pridem demonstravimus. Quid multa? Ne & ipse sibi adversetur *Clemens*, & suis item Decessoribus; ita rem, oportet, conficiamus, dicamusque, præcepisse illum, ut Christiani ad unum omnes unam intenderent, colerentque in posterum *Immunitatem*. Hancque fuisse Pontificis mentem, idque consilium, dum Decessorum insistens vestigiis solemne *Conceptionis* Festum indixit Ecclesiæ universæ, fas ne est dubitare? In errore igitur versari *Valdesium* captiosis suis inanibusque argutiis, hoc uno argumento liquet affatim, prorsus invicto. Proferat is vero æquale quid, si potest (poterit autem nunquam); & erit mihi magnus Apollo. Cæterum, quæ, amabo, vel tan-

tantilla est ratio ex *Clementini* Decreti, per nescio quem corrupti, suppressione eliciendi, quod *Valdesius* elicuit? Siquid enim ego video; non aliud elicitur, quam ut heinc discamus omnes, non jam quod gratis finxit *Valdesius*, sed quod statim in oculos incurrit, ac suapte natura fluit; videlicet impium esse atque intolerandum facinus, nolle ab interpolandis vitiandisque Pontificiis Sanctionibus manum quam religiose abstinere, ut omnino oportet.

Eoque tandem ventum est, ut jam liceat prorsus dicere, *Clementis XI.* decreto decretum *Basileensium*, jam abhinc tria & amplius Saecula editum, non tam aequatum esse, quam etiam longe vereque superatum. Videamus primum, quid olim edixerint *Basileenses*: postea videbimus, quid Rectores Romanae Ecclesiae, quidve ipse tandem *Clemens* contulerit in eandem sententiam. *Basileensis* ergo *Synodus*, prout ad rem, sic statuit: *Nos vero* (longiusculam mitto Praefationem, ibidem, si lubet, videndam) *diligenter inspectis auctoritatibus & rationibus, quae jam a pluribus annis in publicis Relationibus ex parte utriusque Doctrinae coram hac Sancta Synodo allegata sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis & matura consideratione pensatis* (vides heic obiter, quam non illi inconsulte aut inconsiderate, sed quam maturissimo consilio (*) ad Decretum istud edendum accesserint) *doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei genitricem MARIAM, praeveniente & operante Divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subjacuisse Originali Peccato, sed IMMUNEM semper fuisse ab omni Originali & actuali culpa, Sanctamque & IMMACULATAM; tanquam PIAM & consonam Cultui Ecclesiastico, FIDEI CATHOLICAE, rectae rationi & SACRAE SCRIPTURAE, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, diffinimus & declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare & docere.* Atque haec quidem prima est Decreti pars, a *Basileensibus* lati de Controversia ipsa *Conceptionis* Deiparae. Sequitur pars altera, qua ejusdem Virgineae *Conceptionis* Cultus, quatenus *Intemeratae*, seu omni *parentali* noxa expertis, cunctis Ecclesiasticis Personis praescribitur conceptis hisce: „ Renovantes praeterea Institutionem de celebranda „ Sancta ejus CONCEPTIONE, quae tam per Romanam, „ quam

Seff. 36. Tom. XVII. Concilior. a Labbe edit. Flor. Edit. Venetae 1729.

(*) Legendus *Spondanus* ad ann. 1435. num. 12.

„ quam per alias Ecclesias Sexto Idus Decembris antiqua &
„ laudabili consuetudine celebratur, statuimus (*inquiunt Basileenses*) & ordinamus, eandem Celebritatem præfata die in
„ omnibus Ecclesiis, Monasteriis & Conventibus Christianæ
„ Religionis, sub nomine CONCEPTIONIS festivis laudibus
„ colendam esse; cunctisque Fidelibus vere pœnitentibus &
„ confessis, ea die Missarum Solemniis centum, primis au-
„ tem vel secundis Vesperis totidem, Sermoni vero Verbi Di-
„ vini de ea Festivitate interessentibus centum quinquaginta dies,
„ concessione perpetuis temporibus duratura, de injunctis sibi pœ-
„ nitentiis hæc Sancta Synodus elargitur. Datum Basileæ.... XV.
„ Kal. Octobris, Anno a nativitate Domini MCCCCXXXIX. „

Quem nunc oculis Lectorum subjecimus, Canoni haud est animus majorem, quam par est ac vulgo creditur, fidem conciliare. Linquimus id Auctori, ut genere, sic & omnigena eruditione Illustrissimo, Romæ hac de re scribenti in spisso, ad quod omni studio incumbit, Opere de *Innoxio Conceptu Matris Dei*, propediem, ut audio, formis committendo; utpote cui ipsammet Autographam, seu Originalem Bullam, qua præfatæ Synodi Acta sunt confirmata, licuit invenire (*). Damus itaque ultro *Doctori Mutinensi*, quod ipse nimiopere expetit, videlicet allegatum Canonem Patrum *Basileensium* tum demum prodiisse, quum Concilium illud in apertum Schisma jam eruperat: adeoque me non jam in illo esse hominum numero, qui cum Viro alioqui Cl. *Francisco Feu* Doctore Sorbonico, *Synodum Basileensem* tunc quoque, quum prælaudatum de *Virginea Conceptione* Decretum condidit, probe legitimam atque *OEcumenicam* fuisse propugnant, *eodemque Spiritu Sancto* (ut ille ait) *Auctore continuatam*. Ejus autem rei (quod tanti Viri pace dicam) non sat ille firmas rationes exerit: nec quod Ecclesiarum dein omnium in id genus Decretum consensus accesserit, tanti est, ut *Immaculatam Virginis Conceptionem* in Dogma Fidei transiisse di-

Quæst. 4. art. 2. de Peccato.

(*) Vide *Nicolai V.* Bullam: *Ut pacis*, Spoleti datam anno 1449., Tomo XVII. *Concilior.* a col. 437., qua Acta omnia & Decreta *Concilii Basileensis* confirmantur, *rataque & firma haberi* jubentur; iis duntaxat exceptis, quæ in *Eugenium IV.* ac Supremam *Apostolicæ Sedis* Auctoritatem temere ibidem sunt ac perperam constituta: Viden & alteram ejusdem *Nicolai* PP. seu Bullam, seu Epistolam: *Tanto nos pacem*, relatam Tom. XIX. *Concilior.* a col. 49., quippe qua & revocantur omnia, quæ adversus *laudatam Synodum* quoquo modo acta sunt.

dici jure possit. Imo, etiamsi quo tempore tulit id Conventus Basileensis, *OEcumenicus* jam esse minime desiisset, necdum tamen Pia *Præservationis* Sententia *de Fide* per illum fuisset definita. Etenim, ut præclare sapienterque *Natalis Alexander* animadvertit: „ Synodus Basileensis Doctrinam de Immaculata „ Conceptione Deiparæ Virginis non ab omnibus Catholica „ Fide tenendam & credendam diffinivit, sed approbandam, „ tenendam & amplectendam dumtaxat, *tamquam piam & consonam Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi & Sacræ Scripturæ.* „ Quod autem hoc modo *consonum piumque* definitur, nemo sane dixerit evasisse in *Fidei* Articulum; ut pluribus id posset exemplis confirmari, si quidem necesse foret. Ut enim verbis utar *Andreæ Duvallii* Doctoris item & Professoris Sorbonici, in aliam quidem rem ab eo prolatis, sed huc quoque apprime spectantibus: *Nulla in verbis Concilii nota apparet, ex qua Fidei definitionem colligamus. Nec enim anathema pronuntiat in eos, qui contra sentient, nec dicit se hoc* (puta Virginis *Conceptionem* tanquam omni labe Adami carentem) *expresse aut proprie definire, aut esse de necessitate salutis ita credere, vel quid simile, ex quo expressa definitio colligatur.*

Hist. Eccles. Secul. XV. & XVI. Dissert. 8. Art. V. num. X.

De suprema Pontif. Papæ Pa.t. IV. Quæst. 7.

Nihilo tamen minus, non est, cur insultet vehementius neque contumeliosius invehatur in hunc *Basileensium* Canonem pro sua insigni moderatione *Lampridius* atque *Valdesius*. Quid enim *Lampridium* pag. 77. juvat tanto verborum apparatu intonare, quod ignorat nemo, quodque ipse in quem scribit, *Parthenotimus* non modo non dissimulavit, verum etiam illis ipsis, quæ ibidem paulo ante ex Theologo *Siculo* recitat, verbis disertissime fassus fuerat: nimirum *Basileensem* Cœtum eo tempore, quo Decretum *de Conceptione* emanavit, revera *Schismaticum* fuisse; nec proinde id genus decretum pro *Fidei* definitione habendum esse, ac quæ sunt alia ejus farinæ, quæ profecto in lucem rursus educere nec pudor quidam sinit, nec ulla cogit necessitas? Annon eadem agnovit & *Natalis Alexander*, quem sibi hac in re Ducem & Magistrum *Parthenotimus* Siculus delegerat? Lege ejusdem Natalis *Dissertationem VIII.* proxime citatam *de Concil. Basil.*, præsertim *Art. V. num. I. IX.* ac *X.*, ubi etiam vel in fronte *laudati Articuli*, *Dominicanæ Familiæ* Auctor Spectatissimus, idemque in *Sacra Facultate Parisiensi* & Doctor, & Professor Emeritus in hunc loquitur modum: *Nonnulla tamen hoc ipso tempore* (hoc est, post *Concilii* dissolutionem ac translationem ab *Eugenio IV.* factam, pri-

mum quidem Ferrariam, dein vero Florentiam) *nonnulla*, ait; *hac ipso tempore PIA & SALUTARIA Decreta Patres Basileenses ediderunt: Inter alia Decretum de IMMACULATA Deiparæ Virginis CONCEPTIONE:* etsi, ut subdit, *Pia illa Sententia Synodi Basileensis Judicio in Dogma Fidei non evaserit*; quemadmodum id Auctor probat in Corpore, ac nos jam supra ex illo monuimus in loco & tempore. Qui ergo, ejusmodi dissolutionis ac translationis optime gnarus, uti & eorum, quæ inde necessario consequuntur, ac potissimum ex Decreti verbis derivant, audet tamen dicere, nec reformidat ejusmodi Decretum & *Pium & Salubre* appellare, ut aperte *Natalis* nec semel appellat (formidabit autem omnino nullus); deferri ab eo admodum *Basileensium Patrum* auctoritati hac in re, quis, amabo, inficiabitur? Fucum proin ipse facit *Lampridius* Clientibus suis, dum suis consulens rebus talia ibidem de Viro Doctissimo typis tradidit: *Tantum abest, ut Natalis Alexander multum hac in re Basileensibus deferat, ut diserte scribat, ab iis minime definitam quæstionem, sed tantummodo, tamquam Piam ab iis pronuntiatam fuisse.* Quasi vero id aut silentio presserit *Parthenotimus*, aut stare istud nequeat, quin hac in re nihil prorsus illorum Patrum auctoritati decedat.

Sed ut videas, quantum illis a quoquam rite docto heic deferendum sit; abunde, quæ subduntur, ostendunt. Primum, a nullo negari potest, quin Decretum istud summa veneratione, unanimique consensu exceptum fuerit ubivis locorum & gentium: ac quod magis est, ab eo tempore Ecclesias omnes quarumcumque nationum, nedum Populos, in hanc *Basileensium* sententiam de *Virginis Conceptu* prorsus *Immaculato* certatim confluxisse, fascesque eidem submisisse, facile liquet cuivis, ejusce rei Historiam vel leviter executienti. (*) Quantum autem ponderis in hacce communi *Ecclesiarum* consensione situm sit; non est, ut heic loci morer te pluribus. Secundo, si unum excipias *Mutinensem* Theologum (de quo infra locupletius), invenies plane neminem, qui aut non fateatur, aut nesciat, commemoratum *de Conceptione* Canonem; a *Ba-*

(*) Sic ejusdem *Basileensis* Synodi Sanctione Ann. 1441. *Sess.* 43. de peragenda ab omnibus *Visitatione* Deiparæ, multum inserviisse Solemnitati ejusmodi propagandæ, nullus, ut opinor, reluctabitur. Videatur *Thomassinus* Lib. 2. de *dier. Festor. celebrat.* Cap. 20. num. VI.

a *Basileensibus* promulgatum, totidem verbis a *Concilio Avenionensi* susceptum ac confirmatum fuisse anno 1457., uti mox videbimus. Tertio, eodem itidem spectat, quod ejus generis seu Decretum seu Canon nusquam legatur a Romanis Pontificibus aut eorum aliquo nominatim improbatus, seu quoquo modo repulsam passus. Quin etiam, non solum ii non improbarunt, verum & suis quique Bullis, per temporum intervalla in id rei editis, tacite saltem confirmarunt, imo auxerunt quoque multum. Nam, si in memoriam revoces quæ nuper ex *Sixto IV.*, *Paulo V.* ac *Gregorio XV.* (ut de aliis taceam Summis Ecclesiæ Pastoribus) ob oculos posuimus; facili negotio intelliges, Doctrinam vel Sententiam de *Immaculata Conceptione* Deiparæ Virginis, sin minus verbo, facto saltem ipso *tamquam piam & consonam Cultui Ecclesiastico*, *Fidei Catholicæ*, *rectæ Rationi & Sacræ Scripturæ* ab illis & agnitam & adprobatam fuisse, contrariumque seu *prædicare* seu *docere*, nec tam publice quam privatim etiam, expresse ac districte per eosdem prohibitum. Quid, quod & ejusdem *Innocuæ Sanctæque Conceptionis* Solennitatem ann. 1476. idem *Sixtus* Constit. *Cum præexcelsa*, Apostolica auctoritate constituit, ac seu celebrantibus seu audientibus de Thesauro Ecclesiæ *Indulgentias* quoque erogavit, nihilo sane iis minores (quin etiam majores multo), quas eandem in rem *Basileensis* Cœtus fuerat antea elargitus? Insuper qui *Sixtum* subsequuti sunt in *Petri* Cathedra Pontifices Maximi, scilicet *S. Pius V.*, *Gregorius XV.*, atque *Alexander VII.*, non secus ac *Basileenses* ipsi, nonne eandem Virginis *Conceptionem*, ab omni labe purissimam, *in omnibus Ecclesiis*, *Monasteriis & Conventibus Christianæ Religionis*, seu ab universis Ecclesiasticis Personis *sub Conceptionis nomine* celebrari cubitalibus literis statuerunt atque præceperunt? Quod est sane exhausisse ac instaurasse omnia, quæ pridem hac de re a *laudatæ Synodi* Patribus pie ac salubriter sancita fuere. Denique, quod non est visum *Basileensibus*, effecit nuper *Clemens XI.*; hoc est dictu, Celebritatem *Conceptionis Marianæ* ab omnibus & singulis *utriusque sexus* Christifidelibus uti *Festum de præcepto* deinceps haberi, ac solenniter observari ille ipse mandavit. Quo quidem *Clementino* ex Decreto, maxime omnium illustri, consequens est, *Concilii Basileensis* hac in re Pietatem (ut ut jam exauctorati) non modo Sedem Apostolicam exæquasse, sed superasse etiam multo. Interim heic mecum animadvertas rogo, diem hunc *Immaculatæ* Conceptioni Vir-

ni Virginis Sacrum, ex veteri more *sub nomine Conceptionis* colendum *Basileenses* jussisse: id quod postea non solum *Pio V.*, sed & longe expressius *Gregorio XV.* jubere placuit indicatis supra locis. Quare, ut commentum foret dicere, *Basileenses* sub *Conceptionis* nomine nescio quid designasse a *Præservatione* diversum, seu illi cum *Expiatione* aut *Sanctificatione* commune; ita idipsum de *Petri* Successoribus, Pontificibus Maximis, cum *Valdesio* sentire, aut etiam suspicari, insolentissimæ audaciæ erit.

Diximus paulo ante, ejusmodi *Basileensium* de *Conceptione Immaculata* Edictum, fuisse ab *Avenionensi* Synodo verbis disertissimis confirmatum atque innovatum. Qua de re impavide *Lampridius* cit. pag. 77. = *Avenionense* (ait) *Concilium, quod anno* 1457. *celebratum dicitur, a Labbeo viro diligentissimo, cui magnam Conciliorum Collectionem acceptam referimus, frustra conquisitum fuit; ejusque mentionem tantummodo habemus in Hippolythi Maracii Libris pro Immaculata Conceptione editis, quos proscripsit sacra Congregatio Romana.* Tum & pag. sequenti ab eodem statim adtexitur: *Et quamvis etiam germanus sit fœtus, non pluris in caussa ista faciendus est, quam ipsa Basileensis Synodus, cujus decretum Ecclesia Romana abjecit, aut correxit.* Bona verba *Lampridi*! Ubinam, quæso, & quando Decretum istud, a *Basileensibus* pronuntiatum, Romana Ecclesia *abjecit, aut correxit* unquam? Rursus, unde tantum tibi seu fiduciæ seu animi, ut non pluris, quam *Basileensem*, ipsam quoque hac in caussa Synodum *Avenionensem* faciendam esse ducas? An, rogo te, id, quod de Synodo *Basileensi*, etiam de *Avenionensi* (te judice) sentiendum est, ita ut utramque ceu revera *Schismaticam*, atque ex paucis quibusdam in Papam contumacibus conflatam esse credas? Abeant istiusmodi præstigiæ. Quod vero obtrudis in Labbeana *Conciliorum* Collectione, omnium, quotquot ad hæc usque nostra tempora vidimus, amplissima, Concilium istud, *Avenione* congregatum, desiderari, frustra etiam a Cl. Collectore, *Philippo Labbe* fuisse conquisitum; & falsissimum est (*), & infirmius etiam, quam

V ut in

(*) Prostant enim Acta integra hujusmodi Concilii ex MSS. authenticis Ecclesiæ *Avenionensis* apud *Edmundum Martene & Ursinum Durand* Tom. 4. *Thesauri novi Anecdotor.* edit. *Paris.* an. 1717. unde & in novissima Veneta editio.

ut in suspicionem ejus Acta vocari juste possint. Ecquot enim chartæ veteres & Majorum Scripta aut in dies non prodeunt opera ac labore Virorum illustrium, aut vetustate exesa penitus, aut pugnant etiamnum pleraque cum blattis ac tineis, brevi postea, ut spes est, & eruenda & evulganda? Deinde, est quoque mihi ad manus Synodus quædam, *Salisburgi* coacta anno 1568. ab *Joanne Jacobo* ejus loci Archiepiscopo, Sedisque Apostolicæ Legato, ac totius Germaniæ Primate, quam prælo *Dilingæ* subjecit excuditque *Sebaldus Mayer* anno insequenti 1574. Hæc autem *Salisburgensis* Synodus, inventu licet non admodum difficilis, certe neutiquam impossibilis, *Labbei* tamen, viri tantopere industrii atque indefessi, diligentiam omnem præterivit. (*) Quid multis? An id fat est, ut in Synodos, quæ in *Labbeana* non extant Collectione, quasque viro diligentissimo non licuit invenire, falsitatis aut suppositionis sententiam proferre tuto queas?

Alterum quoque, quod *Lampridius* exaggerat de *Maraccii* Libris, nihilo minus cum veritate pugnat. Inquit enim, in istius *tantummodo* hominis Libris, *quos* (ut addit) *Sacra Romana Congregatio proscripserat*, ejus rei, hoc est *Synodi Avenionensis*, mentionem haberi. At vero, ne cui sim tædio, non ego morosius perscrutabor, quid mente clausum gestet *Lampridius*, quum de Libris *Maraccii* scribit, nulla caussa cogente, *eos a S. Congregatione Romana proscriptos esse*, nigroque theta notatos. Id quippe assequi, ut & alia ejus generis, prudentum calculo relinquimus. Illud heic solum demonstrari paucis opus est, non *tantummodo* Maraccium (ut fallaciter & inconsulte *Lam-*

---

editione Magnæ Conciliorum Collectionis *Labbeanæ* Tom. XIX. a col. 183. iniata sunt. Neque vero *Labbeus* de hoc Concilio inveniendo desperavit unquam; quinimmo ait, se interim ex *Maraccio* pauca *exhibere*, *donec integra illa Acta nancisci licuerit*. Nunc, posteaquam jam inventa sunt, exque optimis fontibus derivata: eccur eorum *Lampridius* aut elevat, aut imminuit certe auctoritatem?

(*) Habetur hæc Synodus (quam & *Gregorius XIII.* expresse approbavit Litteris in forma *Brevis* sub finem relatis) in Bibliotheca *Tridentina* Fratrum Minorum Reformatorum *S. Francisci*. Permultas alias Synodos, quæ apud *Labbeum* minime inveniuntur, auctarii loco Lucæ edidit anno 1748. *Johannes Dominicus Mansi* Lucensis, *Congregationis Matris Dei* Clericus Regularis: an ideo hæ omnes inter dubias, adulterinas, falsasque merces accensendæ, quia illas in *Labbei* Collectione frustra requiras?

Lampridius) in rem præsentem *Avenionensium* Decreti meminisse. Cujus quidem rei testes sunt quam plurimi, doctrina, virtute atque eruditione præstantissimi; ex quibus unum adduxisse abunde sufficiet, ne de eodem plura enumerando, fatigemus Lectores. Nimirum *Natalis Alexander* is unus est (Auctor sane & doctissimus, & *Lampridio* multis nominibus non suspectus), qui & verba laudat omnia hujusmodi Synodi, deque illa, uti & de *Basileensi*, præclarum hoc testimonium dicit: „ Cæ. Art V. Dissert. 1.
„ Pium & Salubre Concilii *Basileensis* de Immaculatæ Deiparæ
„ Virginis Conceptione Decretum suscepit atque observari sta-
„ tuit *Avenionense* Concilium, Præside *Petro de Fuxo*, Alba-
„ nensi Episcopo S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Arelaten-
„ si & Avenionensi Legato, celebratum anno millesimo qua-
„ dringentesimo quinquagesimo septimo, his verbis: *Decre-*
„ *tum in Concilio Basileensi factum de Conceptione Beatissimæ Virginis*
„ *Mariæ, statuimus inviolabiliter observari, districte omnibus inhiben-*
„ *do sub Excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid in contrarium*
„ *prædicare, vel publice* (*) *disputare præsumat: Quod si secus*
„ *aliquis fecerit, dictam Sententiam eum incurrere volumus ipso fa-*
„ *cto, & in prima Synodo per Diœceses per quemlibet celebranda,*
„ *prædicta statuimus publicari, & Curatis Ecclesiarum injungi, ut*
„ *hæc Populo manifestent.* Subscripsere huic Decreto [*pergit idem*
„ *Natalis*] præter Illustrissimum Legatum, *Alanus Coetivus*,
„ S. R. E. Cardinalis, *Robertus* Acquensis Archiepiscopus, *Pe-*
„ *trus* Episcopus Aptensis, *Georgius* Senecensis, *Gaucherius* Va-
„ pincensis, *Nicolaus* Massiliensis, *Petrus* Dignensis, *Petrus*
„ Glandevensis, *Palamedes* Cavallicensis, *Pontius* Rejensis,
„ *Stephanus* Tricassinensis, *Michael* Carpentoractensis, & *Joan-*
„ *nes* Arausiensis. „

Nunc, hisce ex *Natali Alexandro* ad verbum recitatis, *Lampridium* ipsum Judicem appello, rogoque ut edicat, annon falsum omnino sit, quod de *Avenionensi* Concilio ipse promisit, nempe mentionem ejus *tantummodo* fieri a *Maraccio* in suis Operibus, per *Romanæ Congregationis* sententiam jamdudum sa-

V 2

(*) *Gregorius* autem *XV. privatas* etiam in contrarium disputationes, seu colloquia interdixit anno 1622. ex dictis suo loco, videlicet hujusce Operis Cap. VII. Ex quo denuo colligitur, Piæ *Immunitatis* Sententiæ, sicut & ejusdem Cultui, Romanos Pontifices plus favisse, quam vel ipsi *Avenionenses* Patres faverint, nedum *Basileenses*.

sane confixis? Nunquid *Maraccius* (si placet Superis) hac in re *Natali* ipsi praivit atque imposuit, Viro tantæ lectionis ac Scriptionis, tantique judicii Critici, ut eundem in errorem trahi is ab illo quiverit atque induci? Certe *Natalis* non ex illis est, qui centones conficiunt, & obvia quæque, undecunque hausta, nullo examine, nullisque oculis ebibunt, neque etiam cum iis est enumerandus, quibus seu jure, seu injuria cum *Lampridio* pag. 91. objicere atque exprobare valeas aut *exuberantiam affectus*, aut *nimiam credulitatem*. Siquidem talia *de Francisco Suarez*, eximio Theologo S. J., *Lampridius* noster intrivit *citato loco*, a suis scilicet exedenda discipulis, quum, ab ejus ut se eximeret auctoritate, ita infarcit: *Norit Lector, magnum illum quoque Virum non satis heic sibi cavisse aut ab exuberantia affectus, aut a nimia credulitate*. Sed hæc, horumque similia (argutiarum enim hujusmodi haud est parcus *Theologus Mutinensis*) missa faciamus: consectari enim omnia, atque refellere operosum nimis esset, neque ad institutum usquam necessarium. Quocirca, ne Caput istud in immensum excrescat, neve nos extra metam vagemur longius, sic placet concludere; videlicet extare omnino nihil, quo *Avenionensem* Synodum loco moveas, aut cum *Valdesio* Epist. VI. pag. 70. inter *inutiles merces*, interque *jam deploratæ auctoritatis* monumenta rejicias: id, quod cum illo sentire ac dicere, aut inscitia aut temeritate profecto non caret.

CAPUT

CAPUT XII.

Immaculata B. M. Virginis Conceptio eodem loco est, quo ejusdem Nativitas & Assumtio. Momenta rationum, quibus qualibet innititur, proferuntur atque inter se comparantur. Valdesius notatur ac falsi arguitur, ubi ait nullum Veterum *agnovisse Mysterium Præservationis Deiparæ. Aliquot Patrum loca huc recensentur ac vindicantur, Amphilochii præsertim, Ambrosii, & Hildephonsi, seu potius Radberti, ab impolluta Conceptione liquido stantium. Argumentum vulgare, a Scriptura & Patribus ductum, facillimo negotio dissolvitur; ostenditurque, nihil id obesse Conceptioni posse, quin simul obsit Nativitati atque Assumtioni.*

SEd etiamsi Concilii *Avenionensis* Decretum superiori Capitulo recensitum, uti & alterum a *Basileensibus* hac ipsa de caussa procusum omni prorsus auctoritate destitueretur, atque inter fabulas, si voles, ablegandum foret; nihil tamen inde Mysterio *Virgineæ Præservationis*, quam heic adversus *Lampridium* & *Valdesium* tuemur, deperiret, ex quo Romani Pontifices, e quorum Decretis Ecclesia pendet universa, non modo paria, verum ampliora huc etiam, ut diximus, contulerunt atque sanxerunt. Nam quis, amabo, unquam aut *Conceptionis* Festum de *præcepto* statuit pro omni Christiano Populo, *immunis* utique ab omni macula; aut Opinionem *Immunitati* adversantem abjecit prorsus, ac *privatis* quoque hominum *Sermonibus* & *Scriptis* exesse voluit, (nedum publicis) nisi una *Petri* Cathedra, seu una Sedes Apostolica? Istius ergo indubiis clarissimisque Sanctæ Sedis Oraculis unice innixus, quibus cetera respondent omnia, quæ tam *Basileenses*, quam *Avenionenses Patres* decreverunt fieri; illud nunc probare contendo rationibus invictis, *Conceptionem* Deiparæ *Immaculatam* nec Sanctæ ejusdem *Nativitati*, nec corporeæ *Assumptioni* concedere quidquam. Mihi tamen ista tractanti nullus est animus, in tam amplo argumento ita versari, ut quæ ultro citroque disputantur aut difficultatem aliquam pariant, proferam universa. Id enim immensi esset operis: atque

quc etiam instituti modum prorsus excederem, si talia cogitarem: Quare, ea duntaxat delibabo potissima harum Celebritatum capita, quibus ceu fundamentis quæque illarum innititur, ut nimirum, in quo illæ discrepant aut conveniunt, tute ipse possis cognoscere atque judicare.

Ab *Assumptione* Virginis ducam exordium, de qua summatim perstringam quicquid nostra ætate Viri Summi accurato criterio pertractarunt ac posteritati tradiderunt. In confesso cum primis est apud omnes, Piam & Ecclesiasticam Sententiam de *Assumptione Corporea* B. M. V. nullo expresso *Scripturæ Sacræ* testimonio probari posse, nulloque Decreto *Conciliorum* aut *Romanorum Pontificum* fulciri, quo aut asseratur extra controversiam, aut in oppositum quoquo modo disputare sit prorsus vetitum. Ad testimonium *Patrum* quod spectat ac reliquorum *Scriptorum Ecclesiasticorum*, non una est omnium sententia. Etenim *Natalis Alexander* multoties jam laudatus,ac laudandus etiam mihi sæpius, *Sanctos Patres & Auctores antiquos in Ecclesia spectatissimos* ea de re *dubitasse* censet productis illorum locis compluribus, ut ibidem est videre. Confecerit vero Vir doctissimus, quod sibi probandum sumpserat, annon? non vacat pluribus dicere. Unum dixisse sat erit, *Honoratum a S. Maria*, itemque *Sandinium* in Hist. *Familiæ Sacræ* Cap. VII. *de Maria Virgine* pag. 385. & seq., in opposita sententia esse, contendentes, *Natalem Alexandrum* heic loci veritatis limites transiliisse. Cautius mihi, veriusque multo *Constantinus Roncaglia*, cum *Baronio*, *Florentinio* aliisque sentiens, nullo quidem inniti expresso *Patrum* testimonio priorum Ecclesiæ Sæculorum *Assumptionem* Deiparæ, seu *corporalem* ejusdem in Cœlos migrationem; aliquot vero Patres *mediæ ætatis* profecto *dubitasse*: attamen quamplures seu ejusdem, seu postremæ etiam ætatis *Patres*, omnesque *insignes Theologos* dubitationem posuisse, eosque gloriosam Virginem hoc *perfectæ Immortalitatis* privilegio donatam, indubitanter affirmare docens. Vide annotationem, in citatum *Natalis* locum a docto Censore subtextam. Ex quibus quam ritissime consequitur, tot *Patrum* ac *Theologorum* consensum, hujusmodi prærogativam Dei Genitrici aperte asserentium, majoris omnino esse ponderis, ac præferri iis debere, qui de eodem privilegio aut nihil prorsus, aut nonnisi cum hæsitatione scripsere. Cetera, quæ huc pertinent, momenta, ex communi *Fidelium* sensu, atque in primis ex auctoritate *Ecclesiæ*, *rectaque ratione* ducta, legesis apud *Jacobum Hyacinthum Serry* in *Exercitat. 66.* Patavii habita, atque a se in id rei graviter sapienterque concinnata.

Hist. Eccl. Secul. 2. Cap. 4. Art. 3. § Unic.

Animad. in Regul & usum Critices Tom. 1. Art. 2. §. 3. pag. 156. & seq.

Per-

Pergamus vero ad Deiparæ *Nativitatem*: quo nomine Sanctitas Virgini in utero a Deo conlata innuitur ac designatur. De hac quoque convenit inter omnes, nihil *Scripturis Sanctis* inesse, quod huc promas verbis expressis; imo in illis ne mentionem quidem ullam ejus fieri, ut rite olim *S. Thomas* 3. Part. Quæst. observavit loco a nobis alias jam relato. Quin vero in *pris-* 27. art. 1. *cis* etiam Ecclesiæ *Patribus* nihil ejus rei esse vestigii diffitetur sane nullus: ac si *Paschasium Ratbertum* excipias Corbejensem Abbatem; nonique Sæculi Scriptorem illustrem, cui potius, quam *S. Hildephonso* Toletano Archiepiscopo, Liber adscribitur de *perpetua Virginitate Mariæ*; nescio, an alius antiquior inveniri sit, qui diserte Virginem *in utero matris sanctificatam* esse testetur. Sunt autem hæc conceptissima ejus verba: *Sancta Virgo Maria, nisi in utero matris sanctificata esset, minime ejus Nativitas colenda esset*. Ejusdem dein Celebritatis sub initium sæculi X. non obscure meminit S. *Fulbertus* Episcopus Carnotensis, verbis a *Thomassino* recitatis; necnon Sæculo in- de Festis Lib. 2. Cap. 20. sequenti *Petrus Damiani* Serm. 23. de *Nativit. S. Joan. Baptistæ*, (*) num. 3. atque etiam Sæculo XII. *S. Bernardus*, e Patrum numero postremus, tum in celebri Epist. 174. *ad Canonicos Lugdun.* submissa, tum etiam Serm. 2. in *Assumpt. B. Mariæ* num. 8. Do item quam libentissime *Valdesio* Epist. V. pag. 54., idem colligi posse ex *S. Joanne Damasceno* in Oratione de *Nativit. B. Virginis* iis verbis: *Natura Gratiæ fœtum antevertere minime ausa est; verum tantisper expectavit, dum Gratia fructum suum produxisset* &c. &c. Dixi, *posse colligi*: nam aliis videtur *Conceptionem* citius, quam Virginis *Nativitatem*, omnino puram & Sanctam adstrui atque prædicari. An autem derivare idem unum rite possis cum *Valdesio* pag. 53. & seq. ex *Augustini* verbis Lib. 4. *Operis imperfecti* Cap. 122.; doctiorum calculo definiendum relinquimus. Certe in iis Theologus noster subtilius videtur argutari, quam verius; ut infra *Cap. XIV.* multo uberius demonstrabimus. Habes hinc *veterum Patrum* loca, seu medii ævi seu ultimi, de *Sancta* Virginis *Nativitate* explanate differentium; in quorum

(*) *Nullius hominis Nativitatem, præter solius Dei, ejusque Matris, in auctoritatis arcem recepit Ecclesia, hujus istius* (hoc est, Johannis Baptistæ) *exceptione servata*, ait S. Petrus Damianus *cit. Sermone* 23. *de Nativit. S. Johan. Bapt.* Tom. II. Operum edit. Venetæ ann. 1733. pag. 58.

rum exinde sententias manibus pedibusque abiere post *S. Thomam* Scholastici Doctores ad unum omnes, ea etiam ratione moti, quod id genus privilegii aliis quoque hominibus legatur concessum, præsertim *S. Joanni Baptistæ*, de quo Lucæ I. 15.: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*. Quod enim alteri datum est, quamvis Sanctissimo, quis denegatum Virgini putet, ei scilicet, quæ præ omnibus aliis majora accepit gratiarum dona, quæque *Unigenitum a Patre* genuit, *plenum gratiæ & veritatis*? Jure proin quam optimo *S. Thomas* loco citato: *Unde rationabiliter creditur, quod Beata Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur*. Ex *Conciliis* autem vel Bullis *Summorum Pontificum* suppetit plane nihil, in hanc (quod ego quidem noverim) sententiam proferendum. Accedit tamen *communis sensus* Fidelium, huic itidem caussæ; quemadmodum & præcedenti, uno ore cum Patribus ac Theologis suffragantium. Num vero istorum suffragium tenue sit, imo & nullius pretii, ut in *Conceptionis* negotio *Theologus Mutinensis* effutire non dubitavit: alibi disputabimus. Gravissimum denique omnium momentum illud est, quod post institutam atque ubique receptam ejus generis Solemnitatem, passim repetunt ex *Ecclesiæ* Auctoritate, qua Mariæ *Sanctitas* in utero, quum natalitia peraguntur, proponitur veneranda.

Veniendum est modo ad alteram argumenti partem, propter quam hæc de Mariana *Assumptione* ac *Nativitate*, levi quidem brachio, digessimus ac complexi sumus; nimirum ad Deiparæ *Conceptionem*, quatenus labis immunem, ac vere *Immaculatam*. Fatemur equidem principio, in *Libris Divinis* expresse non tradi (sensu literæ), Beatam Virginem nullam in *Conceptione* traxisse Peccati maculam; quemadmodum nec in illis traditur quidquam de ejusdem aut *Nativitate* aut *Assumptione*. Ejus autem silentii generalem hanc *S. Bonaventura* rationem reddit: *Quia, cum Evangelia inchoentur a Joanne, qui fuit consummatio Prophetarum, & initium Legis novæ; & Beata Virgo nata & concepta fuit ante Joannem: ideo nihil legitur de ejus Nativitate vel Sanctificatione in Evangeliis*. Sed cur, ne *Assumtionis* quidem aut mortis, ulla in iis mentio invenitur? quærant, qui inaccessa possunt assequi, & abdita reserare. Heic tamen cum *S. Augustino* non omittam dicere: *Quamvis hujus rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum*

In 3. *Sent.* Quæst. 3. Art. 1. Dist. 3. Part. 1.

Lib. I. *contra Cresconium* Cap. 33.

hoc

hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum jam commendat auctoritas; ut, quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat. Et alio etiam in loco idem *Aquilinus Doctor*, sed pressius: *Neque enim, ait, ut videamus, quam hoc sit verum, Scripturarum auctoritas necessaria est, ac non sensus ipse communis ita verum esse perspicua ratione proclamat, ut quisquis contradixerit, dementissimus habeatur.* Dixi, *in sensu literæ* Divina Eloquia nihil continere, quo *Innoxius* Deiparæ *Conceptus* afferatur extra omnem controversiam. Si enim secus foret; quicumque adversaretur, Fidei Catholicæ valedixisset, atque ad Hæreticorum castra demigrasset. Attamen, *sensu allegorico*, seu quovis alio non literali acciri huc posse multa ex *Veteri Testamento*, itemque ex *Novo*, quibus singularis hæc *Mariæ* excellentia atque omnigena Puritas eliciatur, & non incongrue vindicetur; apud eos videre est Scriptores prope innumeros, qui data opera & lucem, & splendorem huic caussæ adtulerunt. Neque vero ii audiendi sunt nasuti ac morosi Censores, qui, uno recepto *literali sensu*, alios omnes negligunt, irrident atque fastidiunt. Nam, ut vere sapienterque ad rem prælaudatus *Canisius* Societatis Jesu Scriptor sane doctissimus: *Etsi sensus allegoricus est imbecillior, quam qui nobis Fidei necessitatem imponat, quique renitentem cogat Adversarium, præfracto autem & contentioso vix quicquam satis fuerit: idem tamen bonos in recta confirmat Sententia, & veritatem ipsam illustriorem efficit, piosque in suo instituto non parum recreat, & consolatur.* Lege Augustini Calmet in *Prophetas Prolegomena* Articulo VI. ad finem.

Epist. ol. 7. ad Marcellinum. nunc 143. in fin.

de Maria Virg. Lib. I. Cap. 9.

Ad *Patres* quod pertinet: nullum quidem huc proferri posse, qui suffragetur *Conceptioni* Virginis, uti *Immaculatæ*, audacissime scribit *Valdesius* Epist. V. pag. 55.; quin & aliquos videri addit in contraria Sententia fuisse, *Conceptionis* scilicet *fœdatæ*, seu Adami labe conspersæ. Non est mihi propositum hoc loco *Antiquitatem* excutere, atque ex ejus parietinis longum catalogum heic texere *Veterum Patrum* ac Scriptorum Ecclesiasticorum, a *Virgineæ Præservationis* Sententia stantium, eidemque quoquo modo adstipulantium. Esset quoque id prorsus supervacaneum in tanta copia Librorum, qui omnium manibus teruntur, quique *Veterum* testimoniis, ad rem istam spectantibus, omnino referti sunt. Utinam vero *in eorum*

Theologicor. Dogmat. Lib. 14. de Incarnat. Cap. 2. num. 5.

plerisque (ut jam diu *Petavius* animadverterat, Magnus ille Vir e *Societate Jesu*, ac Dogmaticæ Theologiæ restaurator gravissimus, quocum & ego, hac parte apprime consentiens) utinam *in eorum plerisque uti Pietatem, & ornandæ Sanctissimæ Dei Matris conatum & studium probare soleo; sic in hac quæstione tractanda, diligentiam & Criticam sagacitatem a me requiri* minime necessum foret! Itemque *Lampridio* haud ego obsisto, quum pag. 64 ex eodem *Petavio* latius orationem ducit, scribente, *a plerisque* illorum (non tamen *omnibus*), qui calamo dimicarunt pro Conceptione Innoxia, *nec in citandis Auctoribus fidem ac delectum adhiberi; & quos ex antiquitate idoneos arcessunt, eorum dicta falsis interpretationibus & alienis ab eorum mente detorqueri.* At nunquid ab istiusmodi vitiis, aut eorum aliquo immunis est ullus, qui pro contraria olim Opinione pugnavit, hoc est pro *Conceptu commaculato*? Audi *Ambrosium Catharinum*, testem nulli obnoxium exceptioni, deque semetipso ita contestantem: *Fateor*, (inquit) *primo anno Professionis meæ* (quum scilicet Sacro *Prædicatorum* Ordini sese devoverat), *cum paulo curiosior in hujus rei disquisitione essem, incidi in quorumdam Tractatus, quos ut legi, facile, fateor, seductus sum: nam tot ac tanta congesserunt, ut eam, quam nunc arbitror Veritatem* (id est Conceptum undequaque Incontaminatum), *plane blasphemiam existimarem; non enim tunc bene callebam, nec deprehenderam citationes FALSAS &c. &c.* ibidem, ubi voluntas adfuerit & otium, lectitanda.

in Opusc. de Immac. Concept. Lib. 1. prope initium.

Redeo ad *Patres*: e quibus illos quam plurimos silentio heic prætermittam, qui *Virginem* passim appellant *Illibatam*, *Incorruptam*, *Impollutam*, & id genus alia. Stare quippe hæc posse omnia, ac de *Deipara* prædicari, etiamsi Originalis peccati expers ipsa non foret; *Petavio*, id asserenti citato loco, non ego invideo, non adversor, non resisto. An autem germana hæc sit illorum *Patrum* mens, talia de *Virgine* pronuntiantium? judicabit aliquando *Ecclesia*, quum eliquata jam veritate hanc libuerit controversiam dirimere. Illos duntaxat commemorabo *Patres*, qui verbis omnium clarissimis, nullaque tergiversatione celandis, Sanctissimam Dei genitricem Mariam a primigenia contagione immunem habent, nullaque vel *Originis* labe contactam seu consparcatam. Afferam autem quatuor vel quinque (plures enim nec suppetunt mihi in præsenti, neque sunt ad institutum necessarii), nempe *Amphilochium*, *Ambrosium*, *Augustinum*, *Ildephonsum*, seu potius *Rad-*

ber-

bertum; & vetuſtum Auctorem Sermonis *de Laudibus Mariæ*; Sancto olim *Fulgentio*, Ruſpenſi Epiſcopo, perperam adjudicati: quibus adtexam *S. Petrum Damiani*, ac præcipue *Presbyteros Achajæ*, Scriptores *Actorum S. Andreæ Apoſtoli*, ſane Pios atque vetuſtiſſimos. De iſtiuſmodi autem *Actis*, quæ ſuppoſitionis, & falſitatis arguit *Theologus Mutinenſis* (quicquid enim incommodat, ad ſpuria, ad Apocrypha monumenta ſtatim amandat), uti & de Magno Auguſtino, quem ille adhibitis machinis omnibus in alienum conatur ſenſum inflectere; ſuus erit infra peculiaris dicendi locus. Nam de omnibus heic dicere, & prælongum eſſet dicenti, & ei quoque, qui hæc leget, ingratum atque moleſtiſſimum.

Itaque, *Amphilochius*, Iconienſis Epiſcopus, Sanctorum *Baſilii & Gregorii Nazianzeni* æqualis, ac multiplici etiam eruditione cum illis conferendus, Homilia 4. in *S. Deiparam & Simeonem* (*) hæc habet, ad rem perquam luculentiſſima: *Quid ſtulte a veritate diſſentis? Qui enim antiquam illam Virginem* (Evam intellige) *ſine PROBRO condidit, ipſe & ſecundam* [id eſt, Deiparam Virginem] *ſine NOTA & CRIMINE fabricatus eſt*. Egent ne hæc interpretatione? Sine *nota & crimine* Mariam a Deo conditam ſcribit *Amphilochius*, eo ſcilicet modo, quo & Deus ipſe Evam *ſine probro* a Mundi primordiis condiderat. Eſt autem familiare Patribus etiam antiquiſſimis, *Matrem Divinam* conferre cum *Eva* Virgine, uti & *Chriſtum Dominum* cum Adamo ex Apoſtolo *ad Roman.* V. 14., & 1. *ad Corinth.* XV. 45. Mariam igitur diſertiſſime tradit, non generalibus tantum vocabulis *Immaculatam* & *inſontem*, ſed etiam expreſſe ſine ulla peccati labe fabricatam ſive *conceptam*. Tantæ autem vetuſtatis eſt teſtimonium iſtud, quod ex *Amphilo-*

(*) Hanc *Græce* & *Latine* Orationem edidit Pariſiis ann. 1644., aliis Amphilochianis Operibus inſertam, *Franciſcus Combefiſius* Ord. Prædicatorum *Congregationis Reformatæ* S. Ludovici: eamque *Philippus Labbe* alteri *Amphilochio*, non *Iconii*; ſed *Sydæ* Epiſcopo, qui *Ephesino Concilio* interfuit adverſus *Neſtorium* ann. 431. celebrato, exiſtimat eſſe tribuendam. *Nicephorus* autem Patriarcha Conſtantinop. ejuſmodi Orationis non alium Parentem agnoſcit, niſi *Theodotum* Epiſcopum Ancyranum, qui eodem in Concilio contra *Neſtorium* ſtrenue decertavit. Vide Auctorem *Supplementi* ad *Bellarmini* Librum *de Script. Eccleſ.* ubi de *Theodoto*. Utcunque fuerit; nihil demitur ponderis ab hoc teſtimonio, ſive illud Epiſcopo *Iconienſi* adſcripſeris, ſive *Sydenſi*, vel *Ancyrano*, ut ex ſeſe liquet.

philochio allegavimus in rem *Conceptionis Impollutæ*, ut plane nullum hactenus sit allatum antiquius seu pro *Nativitate* Deiparæ, seu pro ejusdem *Assumptione*. At vero, non est unus *Amphilochius*, qui Piæ huic atque Ecclesiasticæ Sententiæ de *Præservatione* Virginis patrocinium præbeat, veteris nimirum Ecclesiæ Auctor & Scriptor probatissimus. Suffragatur quippe eidem & *S. Ambrosius* Mediolanensis Episcopus, ille nimirum ipse, quem Cajetanus in Opusc. *de Concept.* Cap. 4. post Bandellum, & alii in opposita fuisse Opinione non verentur asserere. Quam quidem in rem sequentia illi verba ex *Ambrosii* Commentario in *Psalm.* 118. Serm. 6. proferunt, mire abs se corrupta atque fœdata: *Venit Dominus Jesus, & in Carne, qua Peccato IN MATRE fuerat obnoxia, militiam Virtutis exercuit.* At verba illa = *in Matre* = D. Ambrosio a Falsariis assuta atque affictа fuisse jam diu observarunt *Monachi Benedictini*, Ambrosianorum Operum Censores, Editoresque Eruditissimi. „ Hunc locum, *inquiunt*, Catharinus (lege, *Cajetanus*) Opus„ culo *De Concept. B. Mariæ* laudat .... Verum jam Viris „ doctis observatum est, hæc verba, *in Matre*, nusquam „ apud *Ambrosium* inveniri. Et certo S. Doctor id tantum „ hoc loco significat, Christi carnem ejusdem, ac nostram, „ quæ peccato obnoxia est, naturæ esse: neutiquam vero „ inficiatur B. Virginis *Immunitatem* ab omni Peccato, quip„ pe quam non obscure adstruat in ultimum ipsius Psalmi „ versiculum, illis verbis: *Suscipe me, non in Carne, quæ* „ *in Adam lapsa est. Suscipe me, non ex Sara, sed ex Ma*„ *ria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per Gratiam, ab* „ *omni Integra labe Peccati.* „ Ita quidem *S. Ambrosius* Serm. 22. in *Psalm. cit.* 118. num. 30., & ex illo Clariss. Editores Benedictini in *Nota ad Serm. 6. in eundem Psalm. num.* 21. Tom. I. Edit. Paris. ann. 1686.

In eandem is quoque Sententiam conspirat, quem paullo ante commemoravi, nempe vel *S. Hildephonsus* Toletanus Antistes, qui Sæculo VII., vel *Paschasius Ratbertus*, qui medio IX. Ecclesiæ Sæculo claruit, trecentis annis ante *Bernardum*, in Libro de *Partu Virginis*, seu de *perpetua Virginitate S. Mariæ & de ejus Parturitione*. Exstat autem Opus istud Tomo XII. *Biblioth. Maximæ Patrum* a pag. 565. edit. Lugdun. ann. 1677., necnon Tom. olim XII., nunc. I. *Spicilegii Dacheriani* pag. 44. & seqq. novæ Parisiens. editionis ann. 1723.; suoque est auctori restitutum, *Paschasio* scilicet

Cor-

Corbejensi Abbati, a *Johanne Mabillonio* atque a *Luca Acherio* Viris plane Clarissimis. Hæcque præclara illic est de *Intemerato* Virginis *Conceptu* Sententia, maxime omnium perspicua: „ Quia „ tam solemniter colitur (*B. Virginis Nativitas*), constat „ ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, „ subjacuit delictis, neque CONTRAXIT in utero sanctifi„ cata ORIGINALE PECCATUM. Unde etsi Jeremiæ dies „ atque Job *maledicta* pronuntiatur, dies inquam *Nativitatis* „ eorum; dies tamen, quando INCHOATA est felix Ma„ riæ *Nativitas*, *beata* pronuntiatur, & colitur religiose fa„ tis. Quod si in *peccato* esset, jure *maledicta* diceretur & „ gemebunda &c. „ Et infra: *Beata Virgo Maria, nisi in utero matris Sanctificata esset, minime Nativitas ejus colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni ORIGINALI PECCATO IMMUNEM fuisse, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur.* (*) Antea vero hæc ibidem leguntur: *Nisi Adam & Eva primum peccassent in Paradiso, nemo deinceps nasceretur sub culpa peccati: Maria autem, quia benedicta, culpam corruptionis non habuit.* Quæso, poterat ne *Immunitas* Beatæ Virginis ab originaria noxa aut exprimi clarius, aut expressius affirmari? Huc quoque videtur respexisse Pius & antiquus Auctor Ser-

in *Act. SS.* Sæc. 3. ad diem 23. Januar. pag. 497. & in *Præfat. ad 2. Part. Seculi* 3. §. 1. num. 16.

in *Monum.* Tom. I. cit. *Spicileg.* pag. 43.

(*) Post hæc verba P. *Johannes de Luca* Venetus in Disert. de *Immaculata Virginis Conceptione* pag. 69. Edit. *Neapolit.* ann. 1739. adducit & sequentia, uti eodem ex fonte derivata: *Quod quidem prætendebat Arca illa jussu Domini a Noe fabricata, quæ aquis diluvii, universam terram & altissimos montes supergressis, sola ipsa supernatans ferebatur in sublime. Audis litteram, audi mysticam intelligentiam. Arca est Virgo Maria, per quam a peccati naufragio totum genus humanum a damnationis æterna diluvio liberatum est. Quamvis igitur Sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, tamquam montes excelsi virtute & sanctitate vitæ, obruti sint aquis & inundatione peccati originalis; ipsa tamen Arca nostra* (hoc est Deipara Virgo) *universos montes istos supergressa ferebatur etiam in ipso Conceptionis initio in sublime puritatis, nec est immersa huic voragini sordis originalis &c.* Verum in *Bibliotheca SS. Patrum*, & *Spicilegio* citato isthæc *Paschasii*, vel *Ildephonsi* verba invenire mihi non licuit. Quæres: undenam ergo ea decerpsit Venetus Theologus? audi ex ipsomet ita respondente, *Neapoli se legisse in Operibus S. Ildephonsi, seorsim vulgatis. Quia vero illa per Brasichellensem expuncta* arbitratur, *alibique desiderari* vidit; *idcirco, ne locus daretur cavillationi, in editione altera, pariter Neapolitana, anno 1742. omissa esse* voluit.

Sermonis jam laudati (*) de *Laudibus Mariæ*, ubi Angeli verba expendens ait: „ Cum dicit, *Ave*, salutationem illi „ cœlestem exhibuit: cum dixit *gratia plena*, ostendit ex in„ tegro iram exclusam primæ sententiæ, & plenæ benedi„ ctionis gratiam restitutam. „ Eodem & *Petrus Damiani* multo luculentius: *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit*. Porro supremum diem obiit *S. Petrus Damianus* Faventiæ anno Christi 1072., compluribus ingenii sui monumentis post se relictis.

Serm. 40. de Assumt. B. M. V. Tom. 2 Operum fol. 57. edit. Venet. ann. 1743.

Ex quibus jam constat, *Conceptionis Intemeratæ* Mysterium persuasum hercle fuisse antiquis Patribus, nihilo sane minus, quam Mysteria *Assumtionis*, & *Nativitatis*; ut profecto ineptus futurus sit, quicumque cum *Valdesio* cit. pag. 55. velit adhuc obtrudere, quod *nullus Veterum* Marianam *agnoverit* Præservationem, *& aliqui etiam negasse videantur*. Quid, rogo, heic ais *Valdesi*? Nullus Veterum id agnovit? Atqui pervetustus procul dubio est jam indicatæ Auctor Orationis *in S. Deip. & Simeonem*, sive is *Iconii* aut *Sydæ* Episcopus fuerit nomine *Amphilochius*, sive Episcopus Ancyranus, *Theodotus* nuncupatus, pro diversis scilicet Criticorum opinionibus plane doctissimorum. Vetustissimus quoque *S. Ambrosius*, Mediolanensis Antistes: itidemque inter *veteres*, seu Toletanus Archiepiscopus *Hildephonsus* nomine, seu Abbas Corbejensis *Paschasius Ratbertus*, alteruter Opusculi Auctor nuper memorati *de perpetua Virginitate S. Mariæ*, vel *de Partu Virginis*. Istorum autem Veterum Patrum sententias jam supra allegavimus excussimusque, quibus Mysterium *Immunitatis* non modo leviter adumbratum est, sed nominatim etiam ac luculenter expressum. Et sane, si nullus etiam alius extaret ex *antiquis Patribus*, huc proferendus, præter tres jam nobis laudatos: an non hi in præsens abunde sat essent, ut *Valdesius*, a nullo *Veterum* id agnitum scribens, manifesti & erroris convincatur & mendacii? Quid, si & ab *Augustino*, & ex ipsis *Actis Apostoli Andreæ* illustria huc quoque accesserint testimonia, ut suo loco dicam? Ingeminabis ne, o *Valdesi*, nullum *Veterum* tale Privilegium in Virgine deprehendisse?

Verum

(*) Sermo iste inter *Fulgentianos* habetur, conjectus in *Appendicem* fol. 335. novis. Venetæ editionis de anno 1742.

Verum enim vero, non heic ego dissimulabo, *Ildephonsi* vel *Ratberti* locum a *Lampridio* pag. 193. ac seq. ad Deiparæ tantum *Nativitatem* referri (de altero autem seu *Amphilochii* seu etiam *Ambrosii* loco, nec apud *Lampridium* nec apud *Valdesium* ulla prorsus est mentio); uti & *Damiani* verba non ad *Originalem* ille *maculam* retulit, sed ad cetera *vitia*, *quæ Adami posteros inficiunt*, nimirum ex *Petavio*, quem citat, sic opinante & scribente, tametsi omnino gratis. Ceterum de *S. Damiani* mente & sensu alii viderint. De *Ratberto* autem vel *Hildephonso*, equidem fateor, *Vasquezium*, a Lampridio non allegatum, verbis istis = *Neque contraxit in utero sanctificata Originale peccatum* = id genus interpretationem appinxisse, ut sensus sit, Beatam Virginem non *contraxisse*, id est non secum traxisse, seu non detulisse secum, quum egressa est ex utero, Peccatum Originis. Similiter & alia verba: *Constat eam ab omni Originali Peccato immunem fuisse*: ita *Vasquius* interpretatur, ut non de ipsa Virgine aut de ejus *Conceptione*, sed de *Nativitate* illius unice intelligenda esse contendat. Sed pace tanti viri, alienum prorsus mihi videtur ab *Hildephonsi* vel *Ratberti* mente interpretamentum istud. Quid enim, obsecro, significat verbum, *Contrahere?* Plane S. *Thomas* sic explicat: *Illud* contrahere *dicimur*, *quod simul cum natura ex Origine trahimus*. Propterea S. *Augustinus* de iis loquens, qui *nascuntur* cum Originali peccato, nunquam dixit, quod illud *contrahant*, sed duntaxat quod illud *trahant*. En ejus verba: *Illo die* [videlicet Nativitatis] *TRAXIT Originale Peccatum*. Et alio in loco: *Ad mala certamina nascendo venerunt*, *TRAHENTES Originale peccatum*. Ruit ergo illa *Vasquii* interpretatio, inquientis: *Non contraxit* Virgo, hoc est *non traxit* secum, *non secum detulit* ex utero *Adæ* peccatum. Alioqui supervacue ac frustra laudati Opusculi Auctor præmisisset in hæc verba: *Nullis* B. Virgo, *quando nata est*, *subjacuit delictis*. Igitur quum addidit: *Neque contraxit Originale peccatum;* aliquid plus videtur indicasse, quam quod *Vasquez* opinabatur atque interpretatus est. Neque obstat, quod Deipara *in utero sanctificata* dicatur. Qua de re videndus P. *Plazza* Act. II. art. 2. a pag. 164. hoc de argumento copiose disserens. Præterea nec magis contextui cohæret & posteriorum interpretatio verborum. *Eam etenim ab omni Originali Peccato Immunem fuisse* Ratbertus dicit sive Ildephonsus, de qua proxime subjunxerat nullis aliis interpositis: *Per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta est*, *verum etiam benedictio omnibus condonatur*. Quæ plane verba non de

Tom. 2. in 1. Part. Disp. 117. Cap. 3. n. 40.

3. Part. Quæst. 14. Art. 3.

Serm. 310. de S. Cypriano Cap. 1. & Serm. 314. in Natali S. Steph. Mart. num. 1.

de *Nativitate* solum, sed de ipsa etiam Virginis *Conceptione* intelligi debent. Idcirco & infra sub finem non abs re adtexitur longe explicatius: *In qua* (id est Deipara) *vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ Originis, ut cruciaretur, viguit.* Cedo, quis a *Conceptione* hæc abducat, atque ad unam *Nativitatem* seu ex utero egressum adcommodet?

Sed ut omnis cavillationi locus amputetur; animadvertendum insuper est, *Nativitatem* esse duplicem, alteram *in utero* seu *inchoatam*, quæ est animæ in corpus inclusio, *ex utero* alteram seu *perfectam*, quæ tunc quidem habetur, cum fœtus, uteri claustro solutus, in hanc lucem educitur. Audi *S. Augustinum* loco per ipsum *Lampridium* pag. 188. laudato, id est in *Psalm.* 57. *num.* 5. dicentem: „ Non enim ex visceribus tantum homo „ nascitur, sed & in visceribus. Prius nascitur in visceribus „ (hoc est *in utero*), ut possit nasci ex visceribus (seu *ex* „ *utero*). Propterea dictum est Mariæ: *Quod enim natum est in* „ *te, de Spiritu Sancto est.* (Matth. I. 20.). Nondum de il„ la natum erat, sed jam in illa natum erat. „ Ita *Augustinus*. Hinc consequitur, *Conceptionem* interdum in *Sacris Litteris* & apud *Patres* appellari quoque *Nativitatem*, scilicet inchoatam, seu *in visceribus* aut *in utero*: hancque toties laudatus Auctor Libri *de perpetua Virginitate S. Mariæ*, antiquus ille quidem atque Eruditus, eodem vocat nomine, ubi diem commemorat, *quo* (ut ait) *inchoata est felix Mariæ Nativitas*. *Inchoatam* Nativitatem appellat, quæ est ipsa Mariæ *Conceptio*; ea nimirum, non qua Dei Verbum Virgo concepit, sed qua ipsa concepta est. Quis enim *Mariæ* Nativitatem *ex utero* seu *ex visceribus*, illam quidem perfectam ac proprie dictam, consilio non pœnitendo *inchoatam esse Nativitatem* diceret? Utramque igitur Nativitatem Auctor ille perantiquus suis est præconiis prosequutus, qua *inchoatam*, qua perfectam, *ex visceribus* Augustino nuncupatam: atque inde nonnulli cum *Salazario* nec sane immerito, conjiciunt colliguntque, per ea tempora Nativitatem utramque, hoc est *Conceptionem* & *Ortum* (*) celebrari uno eodemque

De Concept. Deipara Cap. 16.

(*) Hinc obiter disces, quid de *Sacramentario* S. Gregorii Magni, alteroque antiquiore, quod *Gelasianum* existimavit *Card. Thomasius*, sentiendum sit, quum utrobique celebratus dicitur religiosis laudibus ille dies, *quo est felix Dominæ Sanctæ Mariæ INCHOATA Nativitas*. Hæc tamen verba satis intrepide *Valdesius* exerit pag. 52. pro *Nativitate* ipsa *perfecta*, sive *ex visceribus*: an id jure tactum, necne? doceri malo, quam docere.

demque die consuevisse; ut unus olim festus erat dies *Incarnationis* seu Conceptionis Verbi Divini, & ejusdem *Nativitatis* seu Ortus, prioribus nempe Ecclesiæ Sæculis, *Thomassino* teste ac judice in Libro 2. *de Festis* Cap. 12. num. III.

Noster igitur est haud dubie S. *Hildephonsus*, vel *Radbertus*: cui si antiquiores adjunxeris, nempe *S. Ambrosium* & *S. Amphilochium* vel *Theodotum* (ut diversi diversa sentiunt, & debeo singulorum Opiniones ponere): quidnam, quæso, aliud restat, quam ut dicamus, Marianæ *Præservationis* Mysterium, seu *Conceptionem* Virginis *Immaculatam* probe agnitam fuisse *antiquis Patribus*, nec præsidio destitui *antiquæ Traditionis*, etiamsi præter recensitos in tota vetustate non præsto esset alius, qui de *Præservatione* Virginis diserte loqueretur; præsertim cum nemo existat unus (si *Bernardum* forte excipias, omnium novissimum ex cœtu *Patrum*) qui *Deiparæ* affingat nominatim *Originale Peccatum*. Ac proinde, ut recte quidem *Valdesius* cit. loc. de Mariana *Nativitate*, ita ego totidem verbis de *Conceptione* haud minus recte dixero; videlicet conceptam sine *nota*, sine *crimine*, sine *sorde* Originali *Mariam nullus veterum negavit, & aliquot etiam agnoscunt: id satis est, ut Sancta*, ut Purissima, ut Immaculata *appellanda sit illius* Conceptio. Idcirco & conficitur, ad *Traditionem* quod spectat *antiquam*, ut minimum, par omnino esse *Præservationis* Mysterium Mysterio *Nativitatis*; imo etiam Mysterio *Assumptionis*.

At, nunquid *Conceptio Immaculata* vel *Nativitate* inferior est, vel *Assumptione*, saltem quoad reliqua? Immo vero minime. Nam illi nec *Theologorum gravissimorum* suffragium deest, neque *Populorum* sane omnium, qui & certatim miroque consensu testantur, *nihil illa Virgine castius, purius, innocentius; alienius denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse*; ut *Petavius* ait eo in loco, quem & *Lampridius* laudavit, & nos quoque supra ex ipso. Quin vero, non solum *Theologi* pene omnes in hanc partem confluunt, verum etiam integræ Universitates, potissimum celebriores, addito insuper Sacramento de propugnanda ab omnibus *Immunitate*, quoad nempe spirabunt. Neque etiam in hac caussa desiderantur *rationes Theologicæ*, quibus Pia illhæc ac religiosa communiatur Sententia de Virginis *Conceptu* probe *innoxio*, nunquamque polluto; eæ scilicet ipsissimæ, quæ pro *Assumptione*, aut pro *Nativitate* ipsa promi vulgo solent, quæque tum ex *Dei Matris* dignitate, tum ab excellenti *supra omnes & homines & Angelos* Sanctitate, tum etiam

ex singulari *Christi Domini*, *ejus Filii*, *in Matrem dignissimam* affectu ducuntur passim atque derivantur. Ac ne quis hoc genus argumentationis irrideat, aut parvi unquam pendat, quum ad asserendam Virgineam *Præservationem* evocatur; *Augustinum* audiat docentem: *Quidquid vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum*. Et eruditus ac pius Scriptor libelli *de Assumptione B. M. Virginis* (inter Apocrypha *Augustini* Tom. VI. in Appendice pag. 250. & seq.) *Ubi Scriptura Divina nihil commendat, quærendum est ratione quid consentiat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua nec est nec valet auctoritas*. Sed ut uno quasi ictu hydræ istius caput abscindam; noverit, velim, irrisor ejusmodi (modo sit ipse Catholicus) se non posse id genus *rationes* nihili facere in negotio *Conceptionis*, sive *Marianæ Immunitatis*, quin simul in caussa *Assumptionis* & *Nativitatis* explodantur prorsus, atque exsibilentur. Demum, quod summi momenti est, habes heic quoque apertam *Ecclesiæ* suffragationem non secus, atque in *Nativitate*, vel *Assumptione* Deiparæ: quippe Decreto *Ecclesiæ*, ut Sanctitas Mariæ in utero colitur die *Nativitatis*, & corporea in Cœlum evectio die *Assumptionis*, ita & *Conceptionis* die, annis singulis recurrente, jubemur ex dictis omnes venerari Virginem tanquam ab *Originali* macula præservatam; atque ut Festis diebus *Assumptio* jamdudum & *Nativitas*, ita post *Clementinum* Diploma & *Conceptio* accensetur, ab omni labe *immunis*, nempe pro universo Christiano Populo. Pari ergo passu ambulant tria hæc Divæ Matris Mysteria; ac collatis inter se fundamentis, quibus illa nituntur, jam in aperto est, *Conceptionem Illibatam* eodem censu habendam, quo *Nativitas* habetur & *Assumptio*, nullaque prorsus in re illam istis cedere unquam. Immo, *Immunitatis*, seu *Impolluti Conceptus* Mysterium in eo quidem ceteris præstat, quod contrariæ Opinioni *Apostolica Sedes* & vocem, & linguam jamdiu præciderit (neque enim *Gregoriano* & *Alexandrino* Decreto licet amplius *Præservationi* contradicere quoquo modo, aut Virginem asserere Originali fuisse peccato contactam); quodque etiam unum saltem Provinciale *Concilium* probatæ Auctoritatis & fidei, nimirum *Avenionense*, de quo nuper actum, eandem Deiparæ *Immunitatem* probarit conceptis verbis, non modo *tamquam Piam* & *rectæ Rationi conformem*, sed etiam *tanquam Scripturæ*, Traditioni, *Fidei Catholicæ* perquam consentaneam.

Lib. 3. de lib. arbit. Cap. V. n. 13.

Non lego, dices, hæc verba in tot Bullis Pontificum Romanorum Mysterio faventibus. Sed nunquid propterea *Con-*

cilii

cilii Decretum sua erit auctoritate frustrandum? Deinde, si verba non legis, habes tamen factum, habes rem ipsam, quam legas, ut alibi dixi. Et profecto, an Marianæ Sententiam *Præservationis* tot ornassent præ contraria Opinione favoribus Pontifices Maximi, simul & intulissent in Ecclesiasticum Cultum pro Christiano Orbe universo, nisi apud se intimis cordibus fixum firmumque fuisset, eam unam non tam *rectæ Rationi* esse consonam, quam *Scripturæ* etiam, atque *Traditioni*? Aut saltem, ni utrique non dissentaneam habuissent, tam illam alte prudentes ipsi extulissent? *Scriptura* (inquies) repugnat, illud scilicet Apostoli ad *Rom.* V. 12.: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Repugnat quoque *Traditio*, aut saltem *videtur* repugnare. Quorsum faciunt loca *Patrum*, quos longo ordine *Lampridius* percensuit & convasavit *Operis sui* Capite 24. Summa vero illorum hæc est, *NULLUM peccati expertem esse, nisi SOLUM Dominum Jesum Christum*. Verum, pudet me ista commemorare, jam millies eversa a Viris undequaque doctissimis. Atque, ut cognoscas, quam nihili hoc sit, quod heic obtrudis nobis; age, tantisper in iis confutandis hæreamus. Dicis ergo, *Scripturam* obsistere *Immunitati* Deiparæ. Sed dicunt id quoque Hæretici, ut sane nosti: quin & iidem impudentissime hoc dicunt de *Nativitate* simul & *Assumptione*, sequentia proferentes illinc decerpta, videlicet illud *Geneseos* Cap. III. 19. = *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, in Corpoream Virginis *Assumptionem*: in ejusdem vero *Nativitatem*, prorsus Sanctam, illud Christi *Joan. III.* 5. = *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Tum & illud Divi Pauli ad *Ephesios* II. 3. = *Nos omnes aliquando &c. eramus natura filii iræ, sicut & ceteri*; utique a die *Nativitatis*, seu exitus de ventre Matris. Quid ergo? an manus dabis Ecclesiæ hostibus infensissimis, Mariæ *Nativitatem* & *Assumptionem* execrantibus? Non, inquies. Atqui, & illi ad *Scripturas* provocant, ut, quod volunt, evincant. Ita sane. Nos autem, ais, verba *Scripturæ* illis largimur, sensum negamus, idque constanter cum S. *Fulgentio* dicimus: *Familiare esse Divinis Eloquiis, ut OMNES nonnumquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant*. Adeoque infers, Propositiones illas, ut vocant, universales, quas ex *Scriptura* adversus *Assumptionem & Nativitatem* Virginis Sectarii adferunt, vel interpretationem commo-

Lib. *de Incarnat.* & *Grat.* seu Epist. XVII. Cap. 31. num. 62.

Y 2 dam,

dam, vel certam exceptionem omnino requirere, hoc est intelligendas esse de *Omnibus* vel secundum *legem ordinariam* Dei, cui ipse Potentiam suam non alligavit, *ut Gregorius de Valentia* interpretatur, vel, ut alii, de *Omnibus*, excepta tamen Sanctissima Dei Genitrice Maria, idque non jure suo, sed ex singulari tantum gratiæ beneficio aut privilegio. Rectissime profecto, ac ut virum decet Catholicum. Verum, dic, sodes, o bone: quid hoc est caussæ, ut ab *Hæreticis* longius abeas, cum argumentis ex *Scriptura* petitis *Nativitatem* impetunt aut *Assumptionem*; consentias vero illis, ubi *Conceptionem*, seu *Immunitatem* insectantur & lacerant? Nonne, quam heic dedisti responsionem, probe Catholicam, in rem scilicet *Nativitatis* & *Assumptionis*, eadem ipsissima, ne verbo quidem immutato, & in Divæ Virginis *Conceptionem* quam optime convenit? Confer & *Petavium* Lib. 14. *de Incarnat.* Cap. 2. *num.* 12.

Commentar. in 3. Part. Disp. 2. Quæst. 1. Punct. 1.

At vero, videamus, num felicior sis, quum ex *Scripturæ* arce dejectus ad *Traditionem Patrum* te vertis, hanc *ex adverso pugnare* contendens. Peto autem ex te: putasne *Traditionem* obstare alterutri Ecclesiasticæ Sententiæ vel *Assumptionis*, vel *Nativitatis*? Nequaquam, dices; modo sis & videri velis bonus Catholicus. Quei ergo occurres *Hæreticorum* strophis, utrobique *Traditionem* objectantium? Nam id furfuris homines adversus *Assumptionem* Sanctos *Ambrosium*, & *Alcimum Avitum* aliosque in aciem educunt, scribentes, Christum *hactenus esse SOLUM*, *qui non moriturus resurrexit*. Educunt quoque adversus *Nativitatem* eundem S. Ambrosium Lib. I. *contra Novatianos*, sive *de Pœnitentia* Cap. 3. = *Omnes homines sub peccato NASCIMUR*, *quorum ipse Ortus in vitio est*, *sicut habes lectum dicente Domino*: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, *& in delictis peperit me mater mea*. Educunt & *Augustinum*, hæc ipsa *Ambrosii* verba referentem, ac probantem Lib. II. Cap. 3. *contra Julianum*: educunt Pseudo-Hieronymi *Breviarium* in Psalm. 50. cum aliis pluribus docentibus, quemque hominum *concipi & NASCI in Originali peccato*, *quod ex Adam contrahitur*. Quid tu ad hæc? an terga vertes, hujusce rei difficultate deterritus? Absit omnino. Respondebis quippe, arbitror, primum verbis generalibus nihil boni succi ex iis *Patrum* dictis elici ad Mariana isthæc privilegia rescindenda: deinde speciatim pro *Assumptione* cum Cl. *Serry* cit. Exercitat. *66. sub finem* in hæc verba: *Quid enim jure summo uni Christo Domino*, *nostrum*

Lib. 1. *Interpretat. moralium in Job* Cap. 6.

in Fragmentis, Sermone habito die primo *Paschatis*.

om-

omnium Resurrectionis auctori, debeatur, simpliciter docent Ambrosius *&* Avitus: *quid vero Virgini Matri ex peculiari privilegio contingere potuerit, non attingunt: nec ut attingerent, quod illic tractant argumentum, postulabat:* adeoque laudati *Patres* haudquaquam negant, Deiparam Virginem *privilegio quodam singulari* in Cœlum receptam fuisse, ejusque Corpus æterna felicitate donatum. Iis autem Patribus, quos *S. Nativitatis* Osores ex adverso invehunt, eodem respondendum modo, quo est supra ad *Scripturam Sacram* responsum: nimirum *Omnes* quidem *sub peccato nasci* ex lege *communi*, sed non singulis Christi membris necessario accommodanda: Idque unum *Patres* docuisse prolatis locis. An vero sub ea *communi* lege & ipsa comprehendenda sit *Virgo Mater*, an potius eximenda, utique *Filii* munere ac beneficio? ne attingunt quidem; neque ut attingerent, locus aut argumenti ratio postulabat. Proindeque loquutos esse *Patres* secundum legem duntaxat *ordinariam*, cum qua minime pugnat exceptio, potissimum favore *Virginis*, cui plane congruit vulgata illa *Assueri* Regis Sententia *Esth.* XV. 13. = *Non enim pro te, sed pro Omnibus hac lex constituta est*. Ita Doctores Catholici rectissime, pro tutela *Nativitatis* & *Assumptionis*. Sed nunquid non eadem, nec minus recte, & pro Mariana *Conceptione* tutanda? Patribus quippe cum *Apostolo* inquientibus, *in Adam peccasse Omnes, nullumque* a peccato immunem esse, nisi *unum solum* hominem Deum, Christum Jesum; in promptu est respondisse, hoc unum illos velle, scilicet *Omnes* in peccato *concipi* spectata *lege communi*, quo modo & *Omnes* ab iis sub peccato *nasci* dicuntur: itemque velle, neminem, præter *Christum*, suapte natura, ac citra *singulare Dei privilegium* sine peccato *conceptum* esse, quemadmodum nec ullus, præter ipsum, *natura sua* & sine peculiari Dei munere *natus* est alienus ab omni sorde, ab omni peccato. Quæ autem sapientia, obsecro, *Nativitati* Virginis, ejusdemque *Assumptioni* nihil obesse *Traditionem*, in *Hæreticos* dicere; contra vero eam cum illis, ubi de *Conceptione* res est, omnino adversantem prætexere atque ostentare? Si illic Mariæ privilegium ultro tribuunt ac vindicant; cur heic inclementer adimunt, quæso?

S. Augustinus *Enarrat.* in *Psalm.* 50. Cap. 10. & aliis passim.

CAPUT

CAPUT XIII.

Egregium pro Immunitate Virginis testimonium ex Actis S. Andreæ, seu Presbyterorum Achajæ. An id genus Acta inter Spuria, aut saltem dubia Vetustatis monumenta cum Lampridio & Valdesio rejicienda? Octavo Ecclesiæ Sæculo ea jam laudata fuisse constat: id satis est ad conciliandum magnum Antiquitatis pondus Sententiæ Præservationis, seu Conceptus Intemerati.

EXtant apud Surium Tom. VI. *de Actis Sanctor.* ad diem 30. Novembris Cap. 5. pag. mihi 697. Acta *S. Andreæ Apostoli*, quæ per *Presbyteros* & *Diaconos Ecclesiarum Achajæ* scripta feruntur, quæque historiam continent Martyrii, quo gloriosus Christi Apostolus decessit, atque ad Superos evolavit. In iis autem insignis hæc Apostoli sententia traditur in rem *Præservationis* Deiparæ, ajentis: *Quomodo de IMMACULATA terra factus fuerat homo primus, qui per lignum prævaricationis Mundo mortem intulerat, necessarium fuit, ut de IMMACULATA Virgine natus Christus perfectus homo, qui est Dei Filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet.* Quid heic amabo *Lampridius*, quidve ejus Defensor *Valdesius*? Ludit sane uterque, ac veluti Judex de sublimi loco pronuntiat, ille quidem seu *Lampridius* pag. 72. in hæc verba: *Præterquam quod Acta illa sunt dubiæ fidei, nihil ea verba ad Conceptionem Beatæ Mariæ faciunt, quam* Virginem Immaculatam, Virginem Inviolatam, *non nos tantum sed antiqui etiam omnes agnovere, hoc est Virginem ante partum, in partu, & post partum.* Præclare! Non discors a Lampridio *Valdesius*, ne a semetipso discrepare videatur. Animo quippe jamdiu affectibus præoccupato, *Lampridii* sui vestigia premit, innuitque non obscure *Epist. XV. pag.* 203. *& seq.*, eum *in Eruditione & Critica Arte hospitem esse, qui non subodorarit ad Apostolica tempora minime pertinere Acta Passionis Sancti Andreæ*: addens quoque nulla mora, *ex Immaculatæ, Impollutæ, aliisque hujusmodi titulis, a Græcis aut Latinis Scriptoribus Deiparæ tributis.*

tis, *nihil certi extundi posse*, *ut Immaculata etiam credatur illius Conceptio*. Similia & alibi *Valdesius* repetit, præsertim pag. 229. conceptis hisce: *Compertum est*, *Acta S. Andreæ inter SALTEM dubia monumenta recenseri*. Ait *saltem* vir modestissimus; tacite indicans, severiorem etiam multo ejusmodi *Acta* censuram promereri. Quam vero, rogas? an illam fortasse ipsam, qua Hispanorum *Laminæ* & *Pseudo-Chronica*, aliaque hujus farinæ jure ac merito feriuntur? Sed id non est ausus dicere: & ego nolim interpretari.

Illud duntaxat interpretabor, seu potius, ut obiter animadvertas, monebo, quanta cum severitate *Mutinensis Theologus* agat cum Deipara Virgine gloriosissima. Quum enim *Veterum* hac de re sententias studiose perquirens, audit eos cum Gentium Apostolo dixisse: *Omnes in Adam peccavisse*, nullumque esse hominem *Peccato non obnoxium*, aut Adæ Peccato non inquinatum, *excepto uno Mediatore* Christo Domino, in quem nullum omnino cadere potest peccatum, atque id genus alia: tam hæc avide arripit, obtruditque sub *Lampridii* nomine adversus *Præservationem* Virginis ab Originis labe, ut plane confectum sibi negotium existimet, ac tantum non gratuletur. En tibi disertissima illius verba: *Qui hactenus commemorati sunt* (ex antiquis scilicet Patribus ac Theologis) *satis superque ad intelligendum nos perducunt*, *per TRIA & DECEM SECULA a Christo nato viguisse*, *& COMMUNEM fuisse in Ecclesia Sententiam non eximentem a Peccato Adami*, *nisi UNUM CHRISTUM DOMINUM*. Ita namque *vetustiorum Patrum* ac *Theologorum* catalogum, a se contextum, claudit *Lampridius* pag. 201. Idemque refricat paulo post, id est pag. 204., dicens: *Exploratum habemus*, *usque ad tempora Scoti* (seu usque ad annum circiter 1307.) *COMMUNEM Theologorum sententiam fuisse*, *negantium Deiparæ Immunitatem a Macula Originali*. Non heic quidem *Patrum* expressam mentionem ille ingerit: subaudiendos tamen superiora ejusdem verba abunde commonstrant. Quid multa? Cum dicunt *Patres* Paulinis verbis peccasse in Adamo ad unum *Omnes*, atque ex hominibus *nullum* esse, præter Christum, parentali noxa non fœdatum, non pollutum: contendit statim *Lampridius*, vel ipsam *Beatam Virginem* generalibus hisce seu vocabulis seu propositionibus non excipi, sed comprehendi. At vero, quum iidem *Patres* vocant Divam Matrem, non jam dico *Illibatam* tantummodo, *Incorruptam*, aut simpliciter *Immaculatam*, sed insuper *sine crimine fabricatam*, *nulloque prorsus*

pec-

Peccato, *nulla omnino macula* contactam esse: nolunt *Lampridiani* id genus effata seu vocabula = *Nullo*, *Nulla* = ad omnia extendi Peccata, hoc est dictu, extendi volunt ad sola peccata *Actionis*, seu ad sola *Actualia*, minime vero ad ipsum Peccatum *Originis*. Ergo oratio universalis = *Omnis*, *Nullus* = ex *Lampridii* sententia, cum Virginem *Originalis peccati* damnat, *omnes* omnino, *singulos* comprehendit homines, ne ullo quidem, *præter Christum*, excepto: cum vero nos illam absolvimus, restringitur, limitatur, nec sane peccata comprehendit *Omnia*. Quid hoc est aliud, quam morosum, injustum, inclementem Censorem esse, quodque una ædificatur manu, altera derumpere, funditus tollere atque delere?

Age vero, expendamus parumper verba illa *S. Andreæ*, quæ ex ejusdem Actis jam supra descripsimus. Ait quippe Apostolus *de Immaculata terra*, id est nulli obnoxia maledictioni, nullaque humani sanguinis profusione vitiata, formatum fuisse *primum Hominem* Adam: Dein asserit de *Christo*, secundo Adamo, & hunc de *Immaculata Virgine* natum fuisse. Scilicet ibi comparatio instituitur *primum* inter, & *secundum Adam*; ac rectissime infertur ab Apostolo: *Quomodo de Immaculata terra*, hoc est nulli maledicto subjecta, *factus fuerat homo primus*, *qui per lignum prævaricationis* (hoc est per peccatum) *Mundo mortem intulerat*; ita *necessarium fuit*, *ut de Immaculata Virgine*, itidem nullo maledicto, ac nullo unquam vitio infecta, *natus Christus*, *perfectus homo*, *qui est Dei Filius*, *vitam æternam*, *quam perdiderant omnes*, *repararet*. Clarius ne, rogo, *Andreas* poterat Deiparæ *Immunitatem* ab Adami delicto efferre verbis, atque deprædicare sententiis? Neque enim *S. Andreas* Beatam Virginem nude vocat *Immaculatam*, sed præterea comparationem, ut prædictum est, instituit, non solum inter Christum & Adam, sed etiam *Mariam* inter & *Terram*, illam plane *immaculatam*, de qua factus a Deo fuerat *homo primus*, purus hercle, ac nulla peccati macula coinquinatus: ac proinde qualis erat *Terra* illa, de qua formatus est Adam, seu *homo primus*, utique *immaculata* seu aliena ab omni prorsus inquinamento; talem oportet & *Virginem* fuisse a quavis peccati sorde immunem atque præservatam, quippe de qua natus est secundus Adam *Christus*, tam mundissimus, ut non modo non fecerit, verum etiam nullum omnino quiverit habere peccatum. Jam peto abs te bona fide, *Valdesi*: an

hæc

hæc; tam diserta, tam illustria, nullius adeo sunt pretii; ut *pag.* 31. in Minoritam, confratrem meum, calamum acuens, dicas, *nihil inde confici aut exsculpi posse ad suadendam Piam Sententiam*, nempe Marianæ *Præservationis*? aut id forsan in puro putoque *Immaculatæ* titulo (ut ipse alio in loco somnias) nugari est, seu etiam cavillari? aut potius putas, salva esse omnia, modo dixeris cum *Lampridio* tuo, nuper citato, *nihil ea* Apostoli *verba ad Conceptionem* Virginis *facere*, *quam Immaculatam agnoscunt omnes, hoc est Virginem ante partum, in partu, & post partum*, seu brevius, nunquam corruptam, nunquam *in carne* conspurcatam? Quid, amabo te, incorruptio ipsa *carnis* cum *Terra* illa nitidissima, vereque *immaculata*, ei ab Apostolo Deipara comparatur? Nonne incorruptio *mentis*, seu omnigena mundities aut *Immunitas* a Peccato, tantidem, imo etiam pluris æstimanda, quam mundities aut incorruptio *Corporis*? Sed præstat *Catharinum* audire, jam mihi multoties laudatum.

Is namque strenuus ac invictus Pugil Virginei *Intemerati Conceptus*, jam ducentis circiter abhinc annis id effugii genus, idque nugarum adeo sustulit, ut mirari sane subeat, nostra hac ætate *Lampridium* ausum, tam detritas tam exesas, tamque nullius frugis merces iterum in forum deducere ac venales habere. Inquit enim *colum.* 86. Disputationis suæ, *ad S. Synodum Tridentinam* submissæ, hisce disertissimis: *Respondent contradicentes, hoc nihil facere adversum se, qui nequaquam inficiantur eam Virginem fuisse & Immaculatam semper, quæ nunquam contaminata fuit in carne. Nec aliud putant inesse in horum virtute verborum, nisi CARNIS incorruptionem, quasi corruptio MENTIS nihil sit: neque attendunt ad FIGURAM, ut inde valeant elicere veritatem. Quis autem nesciat, primum hominem Typum fuisse secundi, id est Christi; ut ait B. Paulus ad Romanos? Modo, cum juxta B. Andreæ prædicationem, illa Terra, unde manu Dei compositus est homo ille* primus, *significet B. Virginem; qualis illa Terra fuerit respectu peccati, talem oportet B. Virginem subintelligere*. Tunque *Terra* hæc, cum qua Apostolus Dei Genitricem comparat, in hunc describitur modum a *Catharino* citato: *Non ne illa est, quæ nullum penitus Dei senserat maledictum, neque ullam carnis damnationem*, & alia ejus generis ibidem videnda?

Sed quod maximi momenti est; illud heic a *Lampridio* percontor: ullus ne Apostolorum *Immaculatæ* vocabulum

lum Deiparæ adjecit ad designandam *solius carnis* incorruptionem, seu solam perpetuam ejusdem Virginitatem, hoc est non modo *ante partum*, quam etiam *in partu*, & *post partum*? Plane nullus. Quinimmo, nonne Evangelistæ id genus Mariani Privilegii supra ceteras Mulieres abunde indicarunt iis verbis, quibus Mariam appellant *Virginem*, quibusque Christum asserunt natum de *Maria Virgine*? Omnino. Hoc enim tradit Ecclesia, hoc prisci Patres nos docent, hoc illi semper *Virginis* vocabulo intellexerunt. Instar omnium sit *S. Augustinus*, qui luculentissime singularem hanc Divæ Matris prærogativam eodem fonte derivat, quum inquit: *Quo* (id est Christo) *si vel nascente corrumperetur ejus* (Mariæ) *integritas, non jam ille de VIRGINE nasceretur; eumque falso, quod absit, natum DE VIRGINE Maria tota confiteretur Ecclesia*. Et S. Epiphanius, *Augustino* vetustior *Hæresi* 78. *num.* 6. variis id ipsum momentis confirmat, nunquam scilicet violatum fuisse Mariani pudoris claustrum; eo præsertim, quod ad sua usque tempora, nemo Dei Genitricem appellasset, *nisi præposito* (ait) *VIRGINIS nomine*. Adeo inconcussum atque indubitatum erat antiquissimis Ecclesiæ Patribus, imo vel ipsis Apostolis, perpetuam *Marianæ carnis* Integritatem uno *Virginis* vocabulo significari, ut nullus eorum *Immaculatæ* nomen aut addiderit *Virgini*, aut illi addendum e re esse judicaverit. Igitur, aut *Lampridius* absurdum facit *Andream* Apostolum, quum ejus verba *de Immaculata Virgine* ad integram duntaxat, nunquamque corruptam *Mariæ* Virginitatem inflectit; aut concedat præterea nobis necesse est, *Immaculatæ* titulo, *Virgini* copulato, diversum a *Virginitate* privilegium sane exprimi, non adumbrari; hoc est Integritatem *mentis*, seu *Præservationem* a culpa Originali. Ut quid enim Apostolus copulasset *Virgini* vocabulum *Immaculatæ*, Christum *de Immaculata Virgine* natum deprædicans, si unam *carnis* Integritatem enunciare sibi fuisset animo? Annon sat erat dixisse *de Virgine* Christum natum, ut Mariana id genus Excellentia manifeste indicaretur? Id namque privilegii genus uno *Virginis* vocabulo, qua apud Apostolos seu Evangelistas, qua etiam apud Patres omnium vetustissimos continetur. Quia ergo *Andreas* de Christo dixit, natum eum fuisse *de Immaculata Virgine*: quis neget, aut non videat, Integritatem *mentis*, seu *Immunitatem* ab Adami macula simul cum *carnis* Incorruptione, vel Integritate demonstrare ipsum voluisse? maxime ex quo ad illam isthæc *Terram* referuntur, omnimodis *Imma-*

Luc. I. 30. & seqq. necnon *Matth.* I. 23.

in *Enchiridio* Cap. 34.

Immaculatam, unde ab Apostolo *ipsam* inter & *Virginem* similitudo aut comparatio sumpta est.

Suboluit id forsan *Lampridius*: quumque se hinc elabi non posse præsentisceret, aliò contendit, novoque in effugio spem collocavit, simul inquiens cum suo *Valdesio*: Acta *S. Andreæ*, e quibus in Marianæ *Præservationis* rem præclarum sumpsimus testimonium, *dubiæ saltem fidei* esse, illumque *in Eruditione & Critica Arte esse hospitem, qui non subodorarit ad Apostolica tempora minime* ea *pertinere*. Verum ne heic quidem Doctori Mutinensi via evadendi patet. Ut enim sileam, ejusmodi *Acta* jam diu laudari ab Ecclesia Romana in Sacris precum Officiis, atque ex iis conflari Lectiones *secundi Nocturni* diei 30. Novemb. *Sancto Andreæ* sacri: ea etiam ut indubia, ut vere genuina ac sincera antiquitatis monumenta agnoscunt, atque ab omni vindicant impostura *Baronius*, *Bellarminus*, *Natalis Alexander*, aliique bene multi, tum eruditionis, tum artis Criticæ fama probe celeberrimi. Ac ut de uno *Natali Alexandro* dicam: is sane insignis Criticus nihil subodoravit eorum, quæ *Lampridii* interpres *Valdesius* sentire se somniat: an ideo *Natalis* in *Eruditione* & *Critica Arte* ceu peregrinus & hospes jure traducendus? Sed dices: *Dupinus*, *Tillemontius* cum aliis non paucis eadem illa Apostoli *Acta* in Apocryphorum ac mendacium Operum classe indubitanter reponunt. Fateor. At vero, istorum seu rationes seu conjecturæ tanti ne sunt, rogo, ut a *Natali* hac in re procul recedere, longiusque abire cogamur? Sane, ab eo nuper secessit *Constantinus Roncaglia* in citatum *Natalis* locum *Nota* a se subtexta: sed quo jure, quave injuria? agedum, videamus.

Saecul. I. *Hist. Eccles.* Cap. 12. Art. 4.

Ille etenim, seu *Roncaglia*, Criticorum rationes summatim perstringens, has præsertim intorquet adversus *Natalem*, ut ostendat, aut conficta fuisse præfata *S. Andreæ* Acta, aut ad nos saltem non sincera pervenisse. Scilicet ait, *ea non redolere primorum Sæculorum simplicitatem*, nec agnita fuisse antiquis Patribus, ne iis quidem, qui adversus *Arianam impietatem* strenue dimicarunt, quorum nullus *ea Acta* laudavit pro asserenda Catholica veritate, etiamsi in illis aperta fiat mentio *Consubstantialitatis*, atque expressa habeatur confessio *Trinitatis* perspicuis hisce: *Spiritum Sanctum procedere a Patre & in Filio permanere*: itemque, *Hoc esse unigenitum Filium, quod est ille qui genuit*. Ita apud *Surium* loc. cit. Cap. 1. Nunquid au-

tem locum tam luculentum, tam decretorium non laudassent *Patres*, qui *Arianos* calamo prostraverunt, si quidem hujusmodi *Acta*, unde ille promitur, re vera tunc extitissent, aut sibi innotuissent quoquo modo? Reliquas, ne longior sim, conjecturas prætermitto, sane leviores, quam ut heic singulatim percenseri mereantur. Non equidem obsisto, non inficias eo, *Acta hac* a primæ ætatis *Patribus* (quod saltem pateat) allegata non fuisse, ne quidem ab iis, qui debellandis *Arianis* omni studio, dataque opera incubuerunt. Ergone illis ignota prorsus, simulque supposita aut recentius immissa? Profecto, quam id futile, stramineum & inane sit, luculentius demonstrari nequit, quam sequentibus ejusdem *Natalis Alexandri* verbis, succo perquam plenis, quibus contra *Dallæum* pro germanitate pugnat septem Epistolarum, *S. Ignatio Martyri* adscriptarum, quæque huc etiam apprime ac perbelle quadrant. Nam *Dallæus* non esse germanas inde conficit, quia nemini ex Patribus ante *Eusebium* cognitæ fuerunt; immo latuere (inquit) omnes, nullusque laudarat. Quid ad hæc *Natalis*? *Sed nego* (ait ille, quocum & ego) *sed nego, quod & illis Patribus ignota fuerint* ejusmodi Epistolæ. *Unde enim id probabunt Adversarii? Num ex eo, quod nusquam illarum meminerint? At id non sequitur. Licet enim in eorum Operibus, quæ nunc extant, mentio harum Epistolarum* (dicam ego, horum Actorum) *nulla facta sit, fieri tamen potest, ut in iis, quæ perierunt, qualia fuisse plurima notum est, commemoratæ fuerint. Sed etsi nullibi earum meminissent, non sequitur, quod eas penitus ignoraverint: siquidem necesse non fuit, ut omnes Scriptores Ecclesiasticos nominarent quos noverant, aut eorum Opera citarent.*

In Hist. Eccl. Sæcul. I. Dissert. 23.

Quæ hactenus a *Natali* pro tutandis *Ignatianis* Epistolis, totidem a nobis vel pro ipsis *Andreæ* Actis vindicandis dicta sunto: mirorque *Roncagliam*, quum hæc legit recensuitque, non huc animum advertisse, ut aut *Natalem* heic quoque emendaret, si quid erravit, aut si recte sensit, miror sane non idem sibi ipsi responsum dedisse, ubi ab eo discors, argumento tam infirmo, in Antiquiorum nempe *silentio* constituto, Acta illa *Passionis S. Andreæ*, sæpius jam memorata, in dubium vertit, nec inter veros ac germanos eorum fœtus, quorum inscribuntur nominibus, sedem habere contendit. Lege *Honoratum a Sancta Maria* Tom. I. *Animadversionum in Regulas Critices* Art. 2. Dissert. III. de hoc argumenti genere quam optime disserentem.

Quod

Quod est ad stili *simplicitatem*; quam heic desiderari ait objicitque citatus *Roncaglia*: haud minus id evanidum ac elumbe est, quam præcedens a *silentio* ductum; nihilque sane facessit negotii. Ecquis enim nescit, quam facile ac familiare sit, Magnos etiam viros hallucinari & vicissim discrepare in stilo dimetiendo, aliis pro *tenuitate*, aliis contra pro ejusdem Operis *sublimitate* pugnantibus, ut ii non uno exemplo adducto ostendunt, qui huic Litteraturæ generi sese dedunt? Sed fingamus, hanc pervetustæ *simplicitatis* dotem ab ejusmodi *Actis* revera abesse: quidnam, quæso, inde consequitur? plane nihil. Alioqui eadem ratione a *Ruinartii* etiam Collectione non pauca essent *SS. Martyrum* Acta expungenda, tanquam falsa aut minimum dubia, videlicet *SS. Tarachi & Sociorum*, itemque *S. Theodoti*, aliorumque plurium, in quibus difficile admodum est istiusmodi *simplicitatem* detegere atque commonstrare. Attamen quis ea unquam explosit, quis falsitatis nota adspersit vel suppositionis? Deinde, si quid in hoc esset præsidii; quidni & bene multa indubitatis *Sanctorum* Actis accensenda forent, quæ tamen adulterina ac spuria esse nemo unus inficiatur? Certe idem *Honoratus a S. Maria* Tom. cit. Dissert. IV. Art. I. a pag. *mihi* 338. pluribus evincit exemplis, a *Tillemontio* ipso atque a *Bailleto* acceptis, multa extare Acta, quæ dictionis, scriptionisve *simplicitate* minime carent: quæ tamen ad dubia, imo etiam ad Apocrypha & falsa monumenta omnium judicio, nec immerito, ablegantur. Itaque neutrum argumentum, sive a *silentio* Veterum, sive a stili *simplicitate* huc a *Roncaglia* eductum, probat id, quod intendit atque ipse peroptat: certe neutrum nos cogit hac in re a *Natali* abire, ut in *Roncagliæ* & aliorum, qui præcesserant, partes descendamus. Quæ vero & ipse ibidem *Roncaglia* subjungit iisdem hausta fontibus, eandemque in sententiam, ejusdem farinæ sunt, immo & imbecilliora multo: pluribusque ea explicare hoc loco supersedemus, utpote quod si cum ipsis *Apostoli Actis* placide attenteque conferantur, pronum cuique sit suapte sponte semet expedire.

Id unum interea cum eodem *Natali Alexandro*, persæpe citato, monitum te volo, hujusmodi *Acta*, a Presbyteris & Diaconis (ut titulus præfert) *Ecclesiarum Achajæ* conscripta, pro genuinis planeque indubiis habita & laudata fuisse non modo a Sanctis *Bernardo & Petro Damiani*, verum etiam a *Remigio Monacho Antisiodorensi* sub finem IX. Sæculi, sub

sub exitum autem *Octavi*, seu circiter annum 788. ab *Etherio Uxamensi Episcopo*, aliisque non ignobilibus ac perantiquis Auctoribus Ecclesiasticis. Ex quo sane illud est consequens, tam magnum inesse pondus cum *auctoritatis*, tum *vetustatis* id genus Actis, ut nemo in existimando prudens, nisi firmissimis inconcussisque adactus rationibus, quales nullæ hactenus allatæ sunt, ea nunc velit in discrimen adducere, nec etiam si vellet, possit. Et licet *Actorum istorum* nullum sit vestigium invenire apud Patres aliosve Ecclesiasticos Scriptores, qui ante VIII. Sæculum floruerunt: *nihil tamen* (ut apposite sciteque *Bartholomæus Germon* observat) *nihil tamen illa complectuntur, quod iis contradicat, quæ antiquiores Patres de S. Andreæ obitu & martyrio scripta reliquerunt*. Quod profecto sat est, ut discas, in objectato *Antiquiorum* silentio, stilove non *simplici* &c. non tantum esse virium, quantum necesse est, ut scilicet falsa esse & supposititia, aut dubiæ saltem Fidei *Acta illa* credamus, quæ tot sæculorum cursu Auctores in Ecclesia spectatissimi pro veris certisque sine controversia receperunt. Nunquidnamnon *præscriptionis*, ut vocant, argumento in Adversarios heic uti possumus jure quam meritissimo? Exerant ipsi titulos, exerant rationes, si possunt, sed ejus virtutis & efficaciæ, ut tam longæva nos possessione movere non iniquum, non improbum esse videatur.

de Veterib. Hæret. Ecclesiasticor. Codicum Corruptorib. Lib. II. Part. 1. Cap. 2.

De cætero, ut ad *Lampridium* redeam atque *Valdesium*: sit illis quoque, ut lubet, concessum, *Acta* isthæc, sin minus omni ex parte conficta; at saltem qualia nunc leguntur, dubia esse, ac reipsa Sæculo Ecclesiæ Octavo, aut Septimo minime antiquiora. Ea quippe, ut supra diximus, jam fere mille abhinc annis prolata fuere a Patribus Scriptoribusque Ecclesiasticis, quin ullus eorum de illis ambigeret, aut illa in falsitatis suspicionem unquam revocaret. Ab eo igitur tempore, quo hujusmodi *Acta* prodiere, ac majoribus nostris innotuerunt nemine refragante, hoc est dictu, a VII. Ecclesiæ Sæculo exeunte, aut summum ab ineunte Octavo, illustre sane ac perquam antiquum habemus testimonium *Immunitatis* Deiparæ, seu *Conceptionis* prorsus *Immaculatæ*; iis quidem expressum verbis, quæ jam antea in medio posuimus explicuimusque, ut heic iterum dare, idemque iterum dicere omnino sit supervacaneum. Quia tamen verus istorum Scriptor *Actorum* penitus ignoratur, adeo ne nutabit eorum fides, ut nullum inde testimonium, quod non utroque claudicet pede,

de, huc promi possit? Atqui *S. Petrus Damiani* sub annum circiter 1060. testari non dubitavit, ejusmodi Acta *Passionis* S. Andreæ Apostoli *tanta spiritus devotione distillare, ut mentes audientium adipe & pinguedine replere videantur; unde non immerito* (inquit) *in singularem AUCTORITATIS arcem suscepta sunt*. Nec quicquam officit, quod hæc ab iis scripta putarit, *qui viderunt*, id est ab *Achajæ* Presbyteris & Diaconis, quos ipse *Actorum* titulus explanate commemorat. Sufficit enim ad rem dixisse, & vere quidem, Passionem hanc *magna spiritus devotione distillare*, eandemque non immerito *in singularem auctoritatis Arcem* receptam fuisse, ut intelligas, nulli licere privato, omnem ei fidem adimere, suaque illam statione aut loco deturbare. Nam Catholicum vere fuisse, qui hæc litteris mandavit, vetustum etiam admodum, nec recentiorem initio VIII. Sæculi, itemque nunquam nisi honorificentissime appellatum per plura deinceps Sæcula ad nostram usque aut proxime præteritam ætatem, nemo unus, opinor, negabit, nemo sibi non persuadebit. Quid, si laudato nuper *Germonio* subscribas, multis argumentis conjectanti, Acta hæc *ideo inscripta esse nomine Presbyterorum & Diaconorum Achajæ; quia quæ in iis habentur, pleraque desumpta sunt ex vetustioribus Sancti Andreæ Actis, quæ reipsa primitus a Discipulis ejusdem Apostoli scripta, ab Hæreticis postea misere fœdata & corrupta; deinde studio & cura alicujus Catholici Scriptoris circa finem septimi Sæculi aut initium Octavi expurgata sunt ab erroribus & fabulis, quibus perfidia Hæreticorum fuerant referta?* an non altius licebit assurgere, ad usque tempora *Apostolorum*? Tametsi ergo *Passionem* istiusmodi incerti Auctoris & temporis esse concedo; illud tamen semper inconcussum manebit, sat magnum inde, idemque luculentissimum *vetustatis* monumentum comparari, atque accedere Virgineæ *Præservationis* Sententiæ, ab exoriente scilicet Octavo saltem Sæculo depromptum; ut frustra omnino sint, qui cum *Lampridio* & *Valdesio* conantur illud vel eripere nobis penitus, vel infirmare.

[Margin: Serm. 9. in *Natali S. Andreæ* pag. mihi 148. Tom. II. *Operum*.]

CAPUT

CAPUT XIV.

De S. Augustino copiose: faveritne, annon, Mysterio Conceptionis Innoxiæ? Multa ejus loca in Præservationis rem adferuntur, atque explanantur. Refellitur Theologus Mutinensis, Augustinum obtorto collo ad suum sensum trahens, id est ad sensum Conceptus fœdati. Quid sit Caro peccati? Hac in re explicanda nullus præ Valdesio inventus est, tam insigniter lapsus.

PRiusquam ego *Augustini* hac de re mentem aperiam, evincamque, Magnum hunc Ecclesiæ Patrem ac Doctorem Marianæ id genus laudis atque Excellentiæ (hoc est dictu *Immunitatis* a peccato Adami) assertorem præconemque extitisse, strenuum plane atque omnium locupletissimum: pauca heic præfari & ob oculos sistere, tametsi alias notissima, eo magis operæ pretium esse duco, quo major acriorque in Viro tali ac tanto aliorsum torquendo adversæ partis contentio deprehenditur. Itaque scitum est atque exploratum maxime, capitalem *Pelagii* errorem ac veluti ceterorum basin in eo fuisse, ut peccatum Adæ ipsum solum Adamum læsisse, non simul genus humanum; impie deliraret, teste ipsomet *S. Augustino* cum centies alibi, tum etiam Lib. *de Nat. & Grat.* Cap. 6. & 9. ac 19. quibus in locis sequentia illius dogmata, omnium maxime pestifera, taxantur & convelluntur, videlicet primo, *Naturam humanam neque in parvulis* (ut ille blasphemabat) *Medico indigere, quia SANA est*: secundo, *neque damnari; quia in Adam peccasse omnes* (ut Apostolus docet), *non propter peccatum nascendi ORIGINE attractum, sed propter imitationem dictum est*: tertio, Adami peccatum ne quidem *potuisse humanam debilitare vel mutare naturam*; tantum abest, ut unquam mutarit, debilitaveritque. Quæ sane *Pelagii* impiissima deliramenta non alio collineant, quam ut neget *Originale Peccatum*, Catholicamque de eo doctrinam seu Fidem funditus evertat. Eodem quoque pertinent & alia duo infernalis doctrinæ capita, quæ *Pelagius* adduxit in medium, alte-

rum

rum *posse esse hominem sine peccato*, uti patet apud eundem *S. Augustinum* loc. cit. Cap. 7., alterum complures fuisse ex hominibus, quos vel ipsa Scriptura Sacra prodit *non modo non peccasse*, *verum etiam juste vixisse*, ut suis quisque nominibus recensentur ibidem Cap. 36. Hæc ubi, quod absit, concesseris, de *peccato Originali* inclamatum esse nemo non videt. Nam si reipsa homo aliquis esse potest *sine peccato*, idque nulla *peculiari* adjutus *gratia Dei*, quam pestilens Hæresiarcha ceu *minime necessariam* obganniebat; immo si etiam, suo ipsius judicio, bene multi *quovis* caruerunt *peccato*, quin & *juste* sanctéque *vixerunt*: ergo (inferebat Pelagianæ Factionis signifer) peccato Adami *debilitata* nequaquam est, neque ullo modo *immutata* humana natura: ergo Adæ peccatum non *nascendi origine*, seu naturali generatione contractum est, sed *imitatione* tantum: ergo Natura humana *Medico non indiget*, seu gratia *Salvatoris*, utpote quia *sana est*: ergo peccatum Adæ non genus læsit humanum: sed ipsum solum Adam damnationis vinculo obstrictum tenuit; ac proinde nullum prorsus extat *Originale peccatum*. Ita quidem *Pelagius*, ut erat argutulus, rem conficiebat, suasque execrabiles blasphemias in vulgus emittebat.

Quibus in antecessum datis: age nunc, quid *Augustinus*, clarissimum Ecclesiæ Lumen, responderit *Pelagio*, videamus. Ad primum istiusmodi monstri caput, coacervatis quam pluribus rationum, Sanctarumque Scripturarum monumentis negat, quempiam solius naturæ viribus *esse posse sine peccato*, conceditque haud illubenter, id tantummodo factu possibile esse cum adjutorio *Divinæ gratiæ* illis citati loci verbis Cap. X.: *Contra quos vult* (Pelagius) *agat*, *dum tamen hoc confiteatur*, *quod impietate sceleratissima negatur*, *sine GRATIA Dei hominem sine peccato esse non posse*. Ad alterum vero, quum scilicet multi a *Pelagio* memorantur extitisse, *qui non modo non peccarunt*, *verum etiam juste vixerunt*: trita est ac pervagata *Augustini* sententia *eodem loco Cap. XXXVI.*, partim negantis, quod de Justis aliquot Sanctisque viris, nimirum de *Abel*, *Enoch*, *Abraham* aliisque infrunito ore Pelagius effutiit, partim concedentis a communi hac aliorum omnium sorte atque calamitate unam *Domini ac Servatoris nostri* Matrem Virginem omnino esse excludendam. Vin' ipsa audire *Augustini* verba? Intende. *Excepta*, ait, *Sancta Virgine Maria*, *de qua PROPTER HONOREM DOMINI nullam prorsus*, *cum de PECCATIS agitur*, *habere volo* Lib. de Nat. & Grat. Cap. 36. num. 42.

A a *qua-*

quaestionem: unde (seu potius *inde*) *enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum OMNI ex PARTE peccatum, quod concipere ac parere meruit eum* [id est Christum], *quem constat nullum habuisse peccatum*. Tum de ceteris omnibus, quantalibet fulserint Sanctitate, ita inibi *Augustinus* citra cujusque alterius exceptionem dicere prosequitur: „ Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, cum hic viverent, „ congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine Peccato; „ quid fuisse responsuros putamus: utrum hoc quod iste (*Pelagius*) „ dixit; an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia Sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent: *Si dixerimus, quia* „ *peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. „ Hucusque *S. Augustinus*, adversus *Pelagium* dimicans, seque illi opponens veluti murum aeneum pro domo Dei, ac pro Catholicae Ecclesiae Fide, nunquam inquinata, nec interitura unquam. Reliquum nunc est, ut in explanando ejusmodi *Augustiniano* testimonio paulisper haereamus. Non enim me fugit, quanta vi conetur *Valdesius* pag. 217. hunc *Augustini* locum ad *actualia* duntaxat peccata transferre; tametsi irrito prorsus conatu, uti mox videbimus.

1 Joan. I. 8.

Augustinus itaque non semel, sed bis id ipsum literis cubitalibus repetit; scilicet *cum de peccatis agitur*, cujuscunque illa sint generis, *Mariam* unice inter Sanctos omnes *excipi* oportere, deque illa una, ubi disputatio instituitur de Peccatis, *nullam* omnino vult *habere quaestionem*. Ac ne quis perfunctorie ab se id dictum caussetur, non ille omittit, cur ita sentiat, aperire, rationibusque confirmare, inquiens: *Inde enim scimus, quod ei* (Deiparae Virgini, utpote prae ceteris omnibus a Deo dilectae) *plus gratiae collatum fuerit*, non solum ad vitandum, sed etiam *ad vincendum*, nec quomodocunque, sed *omni ex parte* peccatum. Non dixit Augustinus *opinor*, sed *scimus*; indicans se non dubitanter aut privata quadam ex opinione id loqui, sed multorum, imo cunctorum Catholicorum nomine aut sententia de re tanta affirmare, nec aliud, quam quod certum est & ab omnibus receptum fidenter pronuntiare. Adtexit porro caussam, cur *Maria* hac parte multo felicior sit universis; quippe *quod* (ait) *concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*. Heic jam quaero ex *Valdesio*, antiquae crambis recoctore: quum *Augustinus* de Christo inquit, *constare*, eum *nullum habuisse peccatum*

tum; intelligendus ne est de solo actuali seu *Actionis*, an etiam de *Originis* peccato? De utroque dices, ac de *Originali* maxime ex subtexendis. Recte. At si is est laudatorum verborum sensus: quid, quæso, vetat, quo minus & quæ præcedunt verba, quibus Magnus *Augustinus* ex omnibus Adæ Filiis solam B. Virginem a *peccatorum* sordibus eximit, ita ut de illa *propter honorem Domini* nullam prorsus *quæstionem haberi* ferat æquo animo; quid, inquam, prohibet, quo minus & quæ præcedunt *Augustini* verba idem omnino importare dicas, hoc est Immunitatem ab omni culpa, *Actionis* simul & *Originis*? Immo non modo nihil vetat, sed etiam, quin interpretemur aliter, ratio ipsa ab *Augustino* allata luculenter evincit. Propterea enim immunem is habet Virginem a quavis labe peccati, quia *concipere ac parere meruit* Christum Dominum, *quem constat nullum habuisse peccatum*, nec *Originale* nec *proprium*, ut alibi diserte *Augustinus* scribit, id est Epist. ad *Evodium* olim 99. nunc 164. Cap. 7. n. 19. iis verbis: *Quoniam nullum* (Anima Christi) *habuit omnino peccatum, vel Originale vel proprium*, seu, ut ibidem paulo post, peccatum prorsus nullum, *vel perpetratum, vel traductum*. Hæc autem ipsissima *Augustini* ratio non solum *Mariæ* asserit tribuitque *Immunitatem* a peccatis *actualibus*, propriis seu perpetratis, verum etiam ab *Originali* seu traducto, quum istius non minus, quam illorum purissimus plane fuerit, *quem* illa *concipere meruit ac parere*. Adde, *Augustinum* adeo Virginem revereri, ut ubi de peccatis agitur, omnem de illa disputationem vel tractationem pene exhorrescat, velut ipse *Christi* honos quodammodo labefactetur, ubi Divinæ ejus Matris honos periclitatur. *Propter honorem Domini*, inquit, *nullam prorsus* de S. Maria Virgine, *cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem*. Quocirca, si ad *honorem Domini* concedis pertinere *Virginis* Immunitatem a peccatis *actualibus* ex *Augustini* mente; quidni eodem spectare dicas & Præservationem ejusdem ab *Originali*, quum utrobique una eademque omnino sit ratio? Audi *Vasquezium*, ab ipso non semel Theologo Mutinensi in aciem eductum, ac prout ad rem præclare, si quis alius, sic differentem: *Si propter honorem Domini nullam vult Augustinus habere quæstionem de B. Virgine, & inde censet tantam habuisse gratiam, ut ex omni parte peccatum vinceret, non minus de Originali, quam de peccato Actionis id intelligere debet; siquidem propter honorem Domini non minus unum genus peccati, quam aliud a Virgine esse alienum oportebat.*

Tom. 2. in *III. Part. Quæst.* 27. *Art.* 2. Dup. 117. Cap. 3. num. 31.

tebat. Ita *Vasquius*, qui & eo ipso in loco pergit: *Et quidem cum* Augustinus *addat, ideo B. Virginem ab hac quæstione de peccatis excipiendam, quia meruit concipere & parere eum, qui nullum habuit peccatum, nempe etiam Originis; non obscure indicat ab omni genere peccati se excipere eam voluisse.* Non est dubitandum, quin hæc ante nos viderit legeritque *Valdesius*: sed quoniam insalutata penitus ea dimisit ac sine ulla prorsus responsione, contentus dicere cit. pag. 217.: *Sanctum Augustinum* eo loci *agere de peccatis Actualibus, scilicet mortalibus atque venialibus, non vero de Originali*; id quidem satis claro argumento est, aut ludum duntaxat eum agere voluisse, aut subducere omnino nos, seu fallere dictis illis postulasse. Profecto, si *Augustini* mentem non ex cujusque affectu, sed ratione tantum quæramus, ea videlicet, qua in id rei ille ipse usus est; manifeste constat, de utroque peccatorum genere cum *Actionis*, tum *Originis* Augustinum loquutum, ut qui ejus locum cum *Valdesio* ad sola refert *actualia*, Augustinum cum Augustino committat, eumque heic faciat ex Doctore Maximo Sophistam de trivio, quo sua ipsius ratio ducat, minime pervidentem.

Id ipsum autem elucescit clarius, planiusque colligitur ex iis, quæ mox sequuntur. Nam *Pelagio* apud eundem *S. Augustinum* cit. Lib. *de Nat. & Grat.* Cap. 37. in hunc modum disputanti: *Peccavit Eva, Scriptura hoc prodidit; Adam quoque deliquit, eadem Scriptura non tacuit. Sed & Cain peccasse, ipsa æque Scriptura testata est.... Quod si & Abel peccasset, & hoc sine dubio Scriptura dixisset sed non dixit: ergo nec ille peccavit, quin etiam Justum ostendit.* Tum inibi, itemque *Cap.* 39. Disputationem sic concludenti: *Credamus igitur, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere*: ita laudato Cap. 39. *Augustinus* sapienter respondit: „ O utinam, „ non dico aliud, quam in illis Litteris legit, verum contra id, quod legit, nihil vellet adstruere; fideliter & „ obedienter audiret, quod scriptum est: *Per unum hominem* „ *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, &* „ *ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; & „ non infirmaret tanti Medici (id est *Christi*) gratiam, „ dum fateri non vult (*Pelagius*), naturam humanam esse „ vitiatam. „ Paulina hæc sententia, ab *Augustino* contra impium Pelagium usurpata, uti & postrema ejusdem Augustini verba, *Pelagio* exprobrantis, quod *fateri* ipse nolit *Naturam*

turam humanam esse vitiatam, sane probant, de *Originis* peccato potissimam illinc esse tractationem susceptam, non vero, ut *Valdesius* fingit, de solis *Actualibus*. Et sane, si de hisce tantum contentio inter ipsos suborta heic fuisset, nec alio spectarent recitata *Pelagii* verba, quam ad peccata *Actualia*, ad peccata *Actionis* vel *Omissionis*: ut quid, cedo, Augustinus *Apostolum* huc eduxisset, de peccato *Originali* explicate disserentem, eumque *Pelagio* objecisset, inficianti necessitatem Divinæ Gratiæ, & *humanam naturam* peccato Adami *vitiatam esse* non fateri volenti? An forsan superiore *Capite* 36. laudati *Augustiniani* Operis, in *Pelagium* lucubrati, disputatio erat de *Actualibus* tantum; heic autem, seu *Cap.* 39., de traducto aut de peccato *Originis*? At vero, eadem sunt utrobique *Pelagii* verba, eademque sententia, qua contendit, hominem non solum sine peccato, sed etiam juste posse vivere, plurimorum id exemplis confirmans, *qui* in Sacris Litteris *non modo non peccasse, verum etiam juste vixisse* dicuntur, ut *Abel*, *Enoch &c. ipsa etiam Domini ac Salvatoris nostri Mater, quam dicebat* (Pelagius) *sine peccato confiteri necesse esse pietati*. Hæc ex Pelagio *S. Augustinus* cit. Cap. 36. Et paulo post, seu *Cap.* 37. in eandem Sententiam: *Quod si & Abel peccasset, & hoc sine dubio Scriptura dixisset; sed non dixit: ergo nec ille peccavit, quin etiam justum ostendit.* Idemque judicium de *Enoch* aliisque, quos *dicto Capite* 36. longo ordine *Pelagius* commemoravit: ex quibus (ut antea monuimus) Erro ille scelestissimus deducebat, ad Salutem Justitiamque consequendam *minime necessariam* esse Christi *Gratiam*, ideoque *nascendi origine* nullo modo *vitiatam esse humanam Naturam*, seu nullo unquam *Originis* peccato esse corruptam. Una ergo eademque est digna *Pelagio* vox, una utrobique sententia, diversis ab *Augustino* locis, seu diversis *ejusdem Operis* Capitibus merito exagitata & confutata. Quumque ipse *S. Augustinus*, ut hanc *Pelagii* conclusionem, cit. *Cap.* 37. allegatam, infra refelleret *Cap.* 39., inquientis: *Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus astruere*, Apostolum ipsum huc advocaverit dicentem: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, aliaque, ut pridem vidimus; ostendit plane, iis in locis non solum de peccatis *Actualibus*, sed de *Originali* potissimum sibi cum *Pelagio* rem fuisse. Adeoque, ubi ex tota Adami posteritate *Augustinus* unam Beatissimam *Christi* Matrem initio *Capitis* 36. a *Peccatis* vult esse *exceptam*: quis nisi male feriatus, Marianique Candoris hostis

stis manifestus *Augustinum* heic loci de *Actualibus* tantummodo, alibi vero, seu *Cap.* 39. ejusdem Operis de *Originali* disputare dicet in tanta lucis claritate ac rerum earundem affinitate hac tanta?

Nihil autem me movet, quod *Valdesius* loc. cit. subjungit, *Augustinum* inducens, in nefarias *Pelagii* strophas & cavillos inibi *Cap.* 41. ita differentem: „ Sicut dictum est:
ad Rom. V. 18. „ *Sicut per unius delictum in Omnes homines in condemnationem*;
„ ut NULLUS PRÆTERMITTERETUR; *sic & in eo*,
„ quod dictum est: *per unius justitiam in Omnes homines in justificationem vitæ*, NULLUS PRÆTERMISSUS est; non
„ quia Omnes in eum credunt, & Baptismo ejus abluuntur, sed quia Nemo justificatur, nisi in eum (hoc est,
„ *in Servatorem Omnium*) credat & Baptismo ejus abluatur. „
Non hæc plane *Augustini* verba probant; quod *Valdesius* jam diu contendit, ac tantopere urget. Nam *Augustinus* utramque Apostolicæ illius Sententiæ partem = *in Omnes homines in condemnationem*, & *in Omnes homines in justificationem*, eodem illustrat commentario, ut *nullus*, inquit, *prætermitteretur*, ac *nullus* sit *prætermissus*: utque, salva Paulini dicti, ejusque commentarii veritate, ita posteriorem exponit partem, ut non *Omnes* omnino per Christum justificatos ipse dicat (*innumerabiles* enim *infidelium mortes obsistunt*, *qui*, ut ait S. Fulgentius, *sine gratia justificationis de hac vita transeunt*, *& absque Sacramento Baptismatis ad sedem mortis*, *æternaque supplicia rapiuntur*) sed *Omnes* dici, *quia Nemo justificatur*, *nisi quem justificaverit Christus* (*); sic & partem alteram exposuisse, ut non omnino *Omnes*, id est, non *Deiparam* quoque ipsam per peccatum Adæ re vera esse damnatam, quin potius singulari *Christi* gratia ab eo etiam peccati genere præservatam fuisse, nec cum *Augustino* profecto pugnat, nec cum ratione aut veritate. Pertendebat quippe *Pelagius* alterum inferre ex altero, videlicet cum dicit Apostolus *Rom.* V. 12.: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum* &c. itemque infra eodem

in Lib. de Incarn. & Gratia, num. 64. pag. mihi 146.

(*) Id quod & sequenti declaratur exemplo ab eodem *S. Augustino* ibidem: *Sicut enim uno Litterarum Magistro, in Civitate constituto, rectissime dicimus; OMNES iste heic litteras docet, non quia OMNES Cives litteras discunt, sed quia NEMO discit, nisi quem ille docuerit: sic NEMO* (inquit) *justificatur, nisi quem justificaverit Christus.* Huc usque *Augustinus* eo, quo supra, loci.

eodem loci: *Sicut per unius delictum in Omnes homines in condemnationem*; pertendebat ille, inquam, inferre, *cum dicuntur Omnes, non semper Omnes omnino nullo prætermisso intelligi oportere* ex eo, quod iisdem Apostolus ibidem utatur verbis, de *Justificatione* ita statuens: *Sic & per unius* (hoc est Christi) *justitiam in Omnes homines in justificationem vitæ*, quum tamen non *Omnes* justificari res sit plane compertissima. Quid *Augustinus*? Jam auditum est supra; nec ut iterum heic dicamus, ulla compellit nos seu necessitas, seu utilitas. Itaque omnia heic apprime sunt consona; nec *Augustinus* sibi, nec *D. Paulo* aut Ecclesiæ adversatur, quum scilicet non multo ante ait: *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem*. Quæ plane *Augustini* verba huc quoque advocanda sunt, semperque subaudienda, ubicunque sibi res est *de peccatis*, sive illa *Actionis* sint, sive etiam *Originis*; præsertim quum ipsemet nihil heic ponat discriminis genus unum inter & alterum peccatorum, constetque aliunde, si non unicam, certe potissimam de *Originali* controversiam tum hoc loco, tum alibi, contra *Pelagium* exarsisse. Ut ergo in *Omnes* homines, *nullo prætermisso*, in justificationem vitæ, non quia *Omnes* justificentur, sed quia *Nemo* unus justificatur, *nisi quem* (ut *Augustinus* perbelle interpretatur) *justificaverit Christus*; ita & in *Omnes* homines, *nullo* item *prætermisso*, in condemnationem, non quia *Omnes* omnino condemnentur, sed quia *Nemo* damnatione tenetur ejusmodi, nisi qui vere peccaverit in Adam, ejusque peccati labem re ipsa incurrerit, seu potius quia *Nemo* hac solvitur damnatione, nisi quem ex speciali gratiæ privilegio *Christus* ipse solverit; quemadmodum unam ejus gloriosissimam Matrem ex cunctis mortalibus solvisse jam diu cum *Augustino* pie credit ac sentit Ecclesia. Quod vero, ut *Valdesius* ibidem insurgens regerit, hanc de *Virgine* exceptionem, de qua *Augustinus* cit. Cap. 36., non ille heic quoque repetat *Cap.* 41., ubi de peccato *Originali* aperte disserit: ideo factum puta, quia post tam solennem animi sui declarationem, semel pauloque ante factam, iterari hoc loco nec debuit nec potuit. Quotus enim quisque est, qui eodem in Opere, idemque versans argumentum, posteaquam aliquid non comprehendendum, sed omnino excipiendum esse jam præmonuit; statim unam post paginam, vix ac ne vix quidem impletam; id ipsum non sine certo sui aliorumque fastidio excipiat iterum,

rum, expresseque denuo velit exceptum? I nunc *Valdesi*; & Lunaris, non nostri Orbis incolis scribe, *Augustinum* in adversa sententia fuisse, sive *ubi ad quæstionem* (ut ipse dicis) *de peccato Originali venitur*, *exceptionem prædictam* in Virgine Augustinum non solum *non adtulisse*, *immo* [quod est audacissimum, atque omnem superat audaciam] & ipsum *deprehendi contra sensisse*. Atque in te rectius habeto, quæ in *Marianæ* Defensores *Immunitatis* tute ipse pro Magistrali faslu sub exitum *Epist.* 17. seu omnium ultimæ, contorsisti: *Quæcunque vel levis umbra occurrat, tanquam præconceptæ Opinioni favens!, extemplo arripitur; & quæ contra militant, caute dissimulantur*. Et quanquam toto aberres cœlo in *Augustini* aliorumque Veterum testimoniis explanandis, turpiterque vel fallaris vel fallas; nihil refert: *ad scenam omnia sunt apta*.

Sed ut quæ sit germana *S. Augustini* mens, de qua modo diximus, plenius noverimus, unum alterumque ejusdem insignem locum huc etiamnum lubet referre, quo facilius, collatis variis ipsius sententiis, qui sit verus certusque prioris sensus, possit dijudicari. Augustinus itaque Lib. V. *contra Julianum* Cap. 15. pro indubitato atque explorato habet nullum omnino fuisse in *Christo* vel levissimum *actuale* peccatum, quippe quod nullum prorsus in eo erat peccatum *Originis*. Tam enim arctissime peccata hujusmodi inter se colligantur & connexa sunt *Augustino* judice, ut *Originali* semel contracto, & *Actuale*, quum adoleveris, consectarium fit, &, qui isto prorsus est immunis, oporteat & illo carere. Christum ergo nullum *actionis* vel *omissionis* peccatum fecisse unquam, sic *Augustinus* eo loci probat: *Profecto peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum PRÆTER IPSUM, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum PRÆTER IPSUM, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* (*) Quid hinc consequatur, adtende. Consequitur *primo*, B. Virginem, quæ peccatum

(*) Paria & S. Ambrosius *Commentar. in Isaiam*, apud eundem S. Augustinum Lib. 4. *contra duas Epist. Pelagianor*. Cap. 11. num. 29. Videlicet: *Dignum fuit* (ratiocinatur de Christo *Ambrosius*, cui & *Augustinus* subscribit) *dignum fuit, ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis* (hoc est peccatum Actuale), *nullum sentiret generationis naturale contagium*, hoc est Originale peccatum. Dicuntur ergo, ut Schola loquitur, ad convertentiam hæc duo: Non habere peccatum *Proprium*, seu Actuale, & carere *Originali* &c.

tatum non fecit *grandioris ætatis accessu*, id est quæ nullum prorsus *actuale* peccatum admisit vel ipso *Valdesio* fatente, peccatum non habuisse *infantilis ætatis exortu*, hoc est peccatum *Originale* neutiquam contraxisse, idque ad *Augustini* mentem; si quidem ejus stet ratio, non cadat, quam modo protulimus, laudavimusque. Nam ista ex *Augustino* sic reciprocantur, ut non facere peccatum sit sane non habere peccatum. Dices ne hæc reciprocari in *Christo*; non vero in ejus Matre *Virgine?* Sed ubinam, quæso, ratio, quam promas, aliqua, utcunque in id saltem tolerabilis? Consequitur *secundo*, nuper memoratam *Augustini* de Virgine *exceptionem*, quoties nempe agitur *de peccatis*, non ad sola *Actualia* esse coarctandam. Quam in rem illud observare haud piget, Magnum *Augustinum* hoc loco aperte statuere, nullum esse hominum *præter ipsum* Christum *Actualium* expertem peccatorum, nullumque *præter ipsum* immunem esse ab *Originali*, ut præfatis verbis liquet. Jam vero percontor: das ne hoc mihi *Valdesi*, prælaudatam Augustini *Exceptionem*, qua de in Libro *de Natura & Gratia* Cap. *36.*, & isto in Opere, contra *Julianum* Pelagianum composito, saltem quoad peccata *Actualia*, subaudiendam esse, aut non? Si negas; tibimet ipsi contradicis, scribenti *pag. cit.* 217. in hæc verba: *Ab hisce peccatis ACTUALIBUS exceptam vult Augustinus beatissimam Salvatoris Matrem, eamque revera ipsorum fuisse expertem, dogma est Catholicæ Religionis* (ni id potius cum Patribus Tridentinis *Sess. 6. Can.* 23. leniendum ita censeas: *quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia*). Sin vero concedis, ut sane debes; res jam est confecta: nec ire poteris inficias, quin eadem *Exceptio* (tametsi heic nulla ejus fiat mentio expressa ab *Augustino*) subintelligenda tamen sit, nec ad *Actuale* solum, sed ad *Originale* quoque peccatum sit hercle extendenda. Enimvero, idem fert *Augustinus* judicium, totidem expressum verbis, de utroque peccatorum genere qua *Originis*, qua *Actionis*, ut nemo unus sit *præter Christum Dominum* vacuus hisce sordibus, cum *grandioris*, inquit, *ætatis accessu*, tum etiam *infantilis ætatis exortu*. Quum audis *S. Augustinum* perspicue tradentem, solum *Christum* nulla cujusque peccati lege teneri, neque ullum esse alium *præter ipsum* non modo *Originalis*, verum etiam *Actualis* noxæ purum; si quidem recte vides, ad *Augustini* sententiam vel utrique ut subjicias, vel ab utraque ut *Christi Matrem* excipias, consequens omnino est. Profecto, quod ille de Filio, ego de Dei Genitrice pariter

 dicam

dicam: *Peccatum etiam major fecisset, si parvula habuisset*, hoc est, peccatum adulta perpetrasset, si, quum est concepta, contraxisset. Aut ergo nega, si potes, Matrem Domini ab *Augustino* impollutam dici, quovis vel peccato *Actionis*, aut concede simul, eandem eximi (Filii munere) a culpa *Originis*: atque adeo sæpius memoratam Augustini de *B. Virgine* Exceptionem, ubicunque *de peccatis* quæstio versatur, aut de nullo, aut de omni, etiam *parentali* delicto exponendam & accipiendam esse fatere.

Postremus *Augustini* locus, eodem pertinens, is est, quem *Valdesius* ipse pag. 53. & seq. laudat, ac pro more suo ad alienum sensum accommodat. Locus autem iste ex illo est Opere depromptus, cui *S. Augustinus*, antequam absolveretur, immortuus est; videlicet ex Lib. IV. *Operis Imperfecti contra Julianum* Cap. 122. Igitur *Julianus*, Pelagianæ hæreseos signifer ac propugnator acerrimus, quum *S. Augustino* objiceret atque exprobraret, quod pejus ipse multo, quam hæreticus *Jovinianus*, de Sanctissima Dei Genitrice sentiret, quippe quod *ille* (seu Jovinianus) *Virginitatem Mariæ partus conditione dissolvit*, hoc est, ex quo Beata Virgo *Christum* peperit, eam Virginitatis jacturam fecisse scelerosus ille voluit; *tu* vero (in *Augustinum* ille conversus) *tu ipsam Mariam Diabolo*, quod longe est scelestius, *nascendi conditione transcribis*, id est *Originis* maculam in Matre Domini fabricare non exhorrescis: quum, inquam, *Julianus* ita insultaret, quid, amabo, *Augustinus*? in hunc iste modum insultanti respondit loco jam dicto: *Non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi*. Obscura hæc esse fatetur *Valdesius*: attamen non iis *Virginem* eximi unquam ab *Originis* labe, sed solum *natam* ipse edicit sine peccato. Qua de re postea. Nunc, ut omnem id genus obscuritatem ab *Augustini* verbis depellam; placet uberius explicare, quid sit Diabolo transcribi *conditione nascendi*, quidve hanc sit solvi conditionem *gratia renascendi*. In his quippe verbis totius obscuritatis ratio continetur. Sed prius, quid de peccato *Originali*, deque *Immunitate* Deiparæ ab omni nævo culpæ *Pelagiani* senserint, videamus, aut verius in mentem revocemus.

Diximus supra, in nullo hominum agnoscere *Pelagii* asseclas *Originale* peccatum, *quia*, inquiunt, *in Adam peccasse Omnes, non propter peccatum NASCENDI ORIGINE attractum, sed propter imitationem dictum est*, teste *D. Augustino* relato Lib.

de

de Nat. & Grat. Cap. 9. Quid hinc de *Virgine* illi statuerint, breviter cognoscite. Asserebant nempe illi (si *Augustino* credimus, ut sane debemus, loci citati Cap. 36.) ipsam Domini ac Reparatoris nostri Matrem *sine peccato confiteri necesse esse Pietati*, utique *sine peccato*, non modo *Actuali*, quam ipso etiam præcipue *Originali*. Si enim *Pelagiani* ab omnibus hominibus, etiam perditissimis, procul abigebant *Originis* peccatum: quid de Sanctis, ac præsertim de Sanctorum Sanctissima *Dei Genitrice Maria* non sensisse eos existimabimus? Hinc est quod *Augustinum* falso incuset *Julianus* uti reum deterioris in *Deiparam* irreverentiæ præ ipso *Joviniano*, quasi ille non jam *Virginitatem* seu incorruptionem *carnis*, ut iste, sed, quod deterius est, *mentis* quoque Incorruptionem, seu *Immunitatem* a peccato Adæ abstulerit ab ipsa B. Virgine, & quam longissime amandarit. Id enim *Julianus* ex Catholico *Augustini* dogmate de peccato Originali consequens esse (vere ne, an ficte) arbitrabatur tamen, atque contendebat. Jam vero ad rem. Transcribi Diabolo *conditione nascendi* nihil sane est aliud, quam in ipsa Conceptione, seu ipso in *Conceptionis* exordio peccatum habere aut contrahere, interque Diaboli numerari mancipia ex Adami delicto, atque ex lege communi. Hunc quippe scopum tota illa disputatione sibi præfixit *Augustinus*, homines nempe *nascendi origine*, seu, quod idem est, *conditione nascendi* esse filios iræ, aut *Diabolo transcribi* atque oppignerari, hoc est non *ex utero* solum, sed *in utero nasci*, sive concipi sub lege peccati. Etenim, ut consentit *Valdesius* & ipse *cit. pag.* 53., nosque jam alio in loco supra ex ipso *S. Augustino* ostendimus, sub *Nativitatis* nomine in Sacris Litteris interdum *Conceptio* ipsa designatur. Ideoque nomine *originis* aut *conditionis nascendi* non venit heic aliud intelligendum, nisi generatio ipsa carnalis, seu ipsissima *Conceptio*, neutiquam vero *Nativitas* ex utero. Hæc est autem familiaris *Augustino* phrasis, peccatum Adæ trahi *origine* seu *conditione nascendi*, hoc est in ipsis primordiis *Conceptionis*; aboleri vero *gratia renascendi*, hoc est in Baptismo tolli regeneratione spiritali, ut videre est apud eundem *S. Augustinum* cum alibi sæpius, tum etiam Epist. *ad Sixtum* alias 105., nunc 194. prope finem. Idem ergo heic est *nasci* ac *concipi*: & solita *nascendi conditio* in virili complexu sita est, inque illa carnis pudenda concupiscentia, unde quisque mortalium concipitur, contrahitque *Originale* peccatum; ut & magis magisque perspicuum fit iis *S. Ambrosii* verbis ab *Augustino* laudatis Lib.

IV. *cont. duas Epistolas Pelagian.* Cap. XI. ajentis : *Idcirco Christus Immaculatus , quia nec ipsa NASCENDI solita CONDITIONE maculatus est ;* nempe , quia nullius viri concubitu , nullaque concupiscentia carnis , seu nulla ex Adam seminali propagatione (quæ est solita aliorum *nascendi conditio*) conceptus est Christus , propterea is nulla prorsus peccati macula adspersus est , nusquamque fœdatus .

Quibus ita in antecessum constitutis , ab *Augustini* loco , superius prolato , velum omne jam ablatum est , ita ut qui secus videt aut fingit se videre , nequeat amplius obscuritatem prætexere . Augustinus itaque a *Juliano* perperam objurgatus , quasi & ipsam gloriosissimam Dei Matrem Mariam *Diabolo* (id est Adæ peccato) *conditione nascendi* transcripserit , subegeritque ; quo tam procacem a se calumniam propulsaret , hoc modo rescripsit : *Non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi ; sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi .* Negat scilicet Sanctus is Ecclesiæ Doctor , Deiparam a se *transcribi Diabolo* , seu obnoxiam fieri parentali peccato *conditione nascendi* , ut ceteris alioqui hominibus omnibus obvenit ex Adam profectis carnali generatione (*excipiendam* namque ab hac communi aliorum omnium lege unam tantummodo *B. Virginem* jam alibi docuerat , ut supra vidimus) : idque de Diva *ideo* Matre *Augustinus* omnino negat , *quia ipsa* nascendi *conditio* , licet sibi cum aliis communis sit , tamen *solvitur* , inquit , *gratia renascendi* ; hoc est dictu , non quia ejus *natura* , utut purissimæ (quod faciunt *Pelagiani*) id ipse tribuat , sed *ideo* duntaxat , quia *Gratiæ* illi specialissimæ Salvatoris singularem hanc *Virginis* exemptionem a peccati jugo & a Dæmonis captivitate censeat unice adscribendam . Hoc est enim *solvi conditionem nascendi gratia renascendi ;* nempe illa *Dei Gratia* auctam ac præventam esse *Virginem* , quacum stare peccatum (quod alioquin ad eam *nascendi conditionem* sequitur) nullo modo potest , imo ne ipsam quidem attingere , tali jam exornatam munere , tantoque auxilio gratiæ jam præmunitam . Apposite autem *Augustinus* Divina hac Sanctificante Gratia (quam vocat *gratiam renascendi* , quæque peccatum ipsum in *Virgine* antevertit , non subsequuta est) non jam peccatum , sed *ipsam* tantummodo prænarratam *conditionem solvi* dixit : ut intelligamus , non a peccato , quod aliquando incurrerit , renatam aut mundatam fuisse Deiparam , sed ab incurrendo sane præservatam . *Conditio* quippe isthæc *nascendi* , communis omnibus Adæ Filiis , adeoque &

ipsi

ipsi Deiparæ Virgini, non est profecto *peccatum* ipsum, sed *via* duntaxat, qua in fœtum, quum animatur, traducitur peccatum. Igitur quum *Augustinus* Juliani objurgationibus respondet conceptis hisce: *Non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi*; non *natam* solum, ut *Valdesius* somniat, sed & *conceptam* tradidit sine ullo peccato. Quumque subjungit: *Sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi*; idem isthuc est ac dicere: inspecta quidem *conditione nascendi*, seu modo, quo & ipsa *Maria Virgo* concepta est, nimirum ex commixtione maris & fœminæ, seu, ut aliis verbis apud eundem *S. Augustinum*, ex *propagatione*, ex *ratione seminali per concubitum*, ex *Carnis peccati propagine*, exque *Concupiscentia illa* carnali, *per quam unus Christus* (eodem Augustino judice) *concipi noluit*; inspecta, inquam, hac *nascendi conditione*, vel modo isto *Conceptionis ejus* inspecto, contraxisset utique *Maria* quoque ipsa *Originis* labem, ac patriam avitamque servitutem suapte natura: at quia præsto fuit magnum illud, ac singularissimum prævenientis *Gratiæ* beneficium, quo soluta est *ipsa nascendi conditio*, ideo Purissima Virgo, tali tantoque ditata privilegio, nullam omnino sensit peccati contagionem, deque ipso etiam Diabolo semper victrix evasit.

* Lib. X. *de Genesi ad litteram*, Cap. 18. & seq. necnon Lib. V *cont. Julianum*, Cap. 15.

Exeat nunc vero *Valdesius*, dicatque iterum; si potest, ex hoc *Augustini* loco, tam perspicuo tamque decretorio, minime deduci Conceptionis Virgineæ *Immunitatem*, nec *eam unquam mentem Augustino esse potuisse*, *sed* solum, antequam nasceretur, *Sanctificatam* in utero *fuisse Virginem Dei Matrem futuram*, ut ille ait verbis expressis pag. 53. Apage istiusmodi præstigias. Quis enim frugi homo, aut quis, nisi cæcus, non videat, id esse *Augustinum* luxare, atque obstricto collo abducere, quo ire nec voluit unquam, nec ille cogitavit? Sed præstat integrum *Valdesii* commentarium audire in laudatam *Augustini* sententiam, hactenus a nobis enucleatam. Sic enim eam *Valdesius* interpretatur insequenti pagina 54. = *non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi* &c. *id est* (inquit) *statuimus profecto, ne Mariam quidem immunem fuisse a reliquorum hominum CONDITIONE; sed ipsa non diu fuit Diabolo obnoxia, quia Conditio illius, sive Servitus, per divinam* Gratiam *soluta, sublataque fuit. Quum dicit* gratiam renascendi, *procul dubio præcedentem indicat* conditionem nascendi: *quod idem est ac dicere: Concepta fuit in Servitute Peccati, sed per supervenientem Gratiam renata, hoc est reconcepta fuit, atque a Servitute soluta: quemadmodum ceteri homines dicuntur nasci quidem Peccatores, sed per*

Gra-

Gratiam Baptismatis renascuntur Justi. *Eadem ratione* (adnectit) *infra eod. Lib. IV.* Oper. Imperf. *Cap.* 134. *inquit* Augustinus: *Jeremias & Johannes, quamvis sanctificati in utero matrum, traxerunt tamen originale Peccatum.* Hæcque *Valdesius* præclari commentarii loco, in *Augustinum* ab se mirifice elaborati. Verum, adeone me fuisse fungum putas, ut qui illi crederem, aut pacato id vultu possem excipere? *Augustinus* quippe loquitur expresse de *conditione nascendi*, seu consueto illo, quo Adæ posteri concipiúntur, modo per concursum & operam viri, perque concupiscentiam aut seminalem propagationem, uti ex eodem S. Doctore antea monstratum est. At vero *Valdesius* nullo facto verbo hujusce conditionis *nascendi*, alteram astute excogitavit substituitque, ab *Augustino* ne somniatam quidem: nempe *conditionem nascendi* vertit, accipitque pro ea *conditione*, qua ipsa Deipara aliquantisper *fuit Diabolo obnoxia*, sive pro ipsa *servitute peccati*, in qua, ut inquit, illa *concepta fuit*. Quam vero differat *conditio nascendi*, de qua *S. Augustinus*, ab hac *Valdesiana conditione*, sive *servitute*; ex dictis liquido innotescit. Illa etenim præcedit, hæc sequitur; illa via est ac veluti canalis, per quem traducitur peccatum, hæc aut ipsummet est peccatum traductum, aut quid inde consequens; illa & *Virgini* communis est cum reliquis hominibus, ab hac nemo (Christum omnino excipimus) immunis, præter solam *Virginem*; idque non suapte natura, sed *gratia renascendi*, per quam illa prior, non vero ista *conditio* posterior soluta ac sublata fuit. Concedo autem *Valdesio* dicenti, quum *Augustinus* dicit *gratiam renascendi*, præcedentem indicari *conditionem nascendi*; sed prorsus nego (quis enim non negaverit?) significari, *conceptam fuisse* Virginem *in servitute peccati*. Unum duntaxat innuitur, *conceptam fuisse* more aliorum hominum, hoc est per nuptialem concubitum, per sexuum commixtionem, per carnalem concupiscentiam, quam tamen solvit in tempore *gratia renascendi*. Per supervenientem pariter divinam *Gratiam* Valdesio damus Dei Genitricem *renatam* sive *reconceptam* fuisse: at cum *Augustino* negamus, & recte quidem, a *Servitute solutam*, in quam nunquam incidit, aut (quod recidit in idem) *solutam* pernegamus a peccati *Servitute* jam adita, non ab adeunda: quippe eam adiisset, ni *B. Virgo* a superveniente Dei *Gratia* liberata seu præservata fuisset. Ut autem omnis amputetur occasio garriendi, omnisque hinc æquivocatio arceatur, pervelim observes: quum diximus consueto aliorum more *conceptam*

ceptam Deiparam, non eam sane *conceptionem* indicamus, quæ est *Anima* in corpus inclusio, sed illam tantummodo, minus proprie dictam, quæ scilicet alteram notabili quodam præcedit tempore, ac in conjugali complexu ipsaque genitalis seminis decisione consistit. Quid plura? Annon hæc pauca satis superque sunt, ut quisque agnoscat, quam obtorta falsaque interpretatione *Augustini* locum depravet *Valdesius*, quamque *ad sensum suum incongrua aptet testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem?*

S. Hieron. Epist. alias 103. *ad Paulinum*, nunc 53. juxta *Edit. Veron.*

Sed finite, quæso, ut & scopum, ad quem *Augustinus* collineavit, heic recolamus, & ante oculos vestros, inque mentem iterum revocemus. Memineritis procul dubio, quod alias jam ostendimus supra, Sanctum *Augustinum* a Pelagianorum Coryphæo *Juliano* vehementer increpitari, quod *Originis* labem ad *Omnes* extendens, ipsam quoque *Mariam Virginem* eadem labe infectam, atque adeo *Diabolo* obnoxiam fecerit pronuntiaveritque; ut totidem verbis animadvertit *Valdesius* & ipse *eadem pag.* 54., ac nobiscum hac in re sentit quam concordissime. Id enim illa sonant *Juliani* verba: *Tu* [Augustine] *ipsam Mariam Diabolo nascendi conditione transcribis*, eodem *Valdesio* interprete. At vero *Augustinus*, in *Julianum* insurgens, ait: *Non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi:* hoc est, non sane statuimus *Virginem* Adæ unquam crimine vitiatam, nec *Diaboli* captivam fuisse; imo illam unam, *propter honorem Domini*, ab hac ceterorum omnium communi *Servitute* immunem prorsus dicimus ac contestamur, utique ex *Christi* gratia, seu *gratia renascendi*. Scopus ergo *Augustini* is erat... videlicet purgare se a criminatione, qua in illum *Julianus* ... est; neque alio modo se purgavit, quam negando verbis ... tundissimis, quod ille de se affirmare ausus fuerat: *Non transcribimus* (reposuit) *non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi*. Quæ verba *Augustini* ad illa, quæ proxime præcedunt, *Juliani* verba referuntur: *Tu ipsam Mariam Diabolo nascendi conditione transcribis:* ita ut, dum quod iste criminatur affirmando, alter negando a se removet, unus idemque oporteat, sit verborum sensus sive affirmantis *Juliani*, sive *Augustini* negantis. Igitur, si *Augustino* mens revera fuisset *conceptam* asserere Virginem [ut *Valdesius* ingeniose quidem, sed præpostere omnino interpretatur] *in Servitute Diaboli* seu *Peccati*, tametsi non diu post in utero *Sanctificatam* velit atque

ab

ab hujusmodi *Servitute solutam*: quei ille, rogo, Objurgatori suo rite respondisset, seseque ab impacta calumnia sat bene liberasset? Nam, sive diu multumque, sive unico tantum puncto temporis B. Virgo *Diabolo*, id est *Originis* peccato obnoxia fuisset ex concessione *Augustini*: non ne *Julianus* vel hodiedum, si viveret, ingeminare in illum posset pari, quo olim, jure: *Tu ipsam Mariam Diabolo nascendi conditione transcribis?*

Neque *Valdesium* juvat ullo pacto ea *Augustini* sententia ex Lib. V. *cont. Julianum* Cap. 14., quam *cit. pag.* 53. in scenam ille invehit, ut præfato suo, in *Augustinum* commento potius, quam commentario viam sternat, ac fidem aliquam apud imperitos conciliet. *Augustini* verba non heic exscribimus, quia opus plane non est: qui vero ea videre volet, fontem adeat aut rivulum, sed caveat ab interjectionibus, per *Valdesium* suopte ingenio, ac contra *S. Doctoris* mentem textui illatis. Damus quippe Mutinensi Theologo *S. Augustinum* hoc loco docere verbis clarissimis, *Omnes* prorsus homines *Carnem esse Peccati*, uno excepto *Christo*, quod is non communi more, sed Spiritus Sancti ope & opera fuerit conceptus. Sponte etiam illud damus, nempe vel ipsam *Mariam* Sanctissimam sub generali hac *Augustini* sententia sane comprehendi, ideoque ejus Carnem *esse Carnem peccati*. Quid postea? Ergo ne Virgo *Originis* labem contraxit, quum ipsa concepta est? Id quidem ex eo Augustini loco *Valdesius* concludit, inquiens: *Nemo divinarum rerum peritus est, qui nesciat, nomine Carnis Peccati significari idem Originis peccatum*. At vero, quis risum cohibeat, quum *Valdesium* audit ita tonantem? Etenim, quid *Augustino* sit *Caro Peccati*, nemo aut certius novit aut tutius, quam qui ipsummet consulit *S. Augustinum*. Magnus enim iste atque Aquilinus Ecclesiæ Pater & Doctor Epist. olim 99. *ad Evodium*, nunc autem 164. *post medium*, de *Christo* loquens, hæc habet, ad rem maxime pertinentia: *Sumpsit* Christus *ex Virgine veram quidem carnis substantiam, non tamen PECCATI CARNEM, quia non ex CARNALI CONCUPISCENTIA sive seminatam, sive conceptam, mortalem sane ac per ætates mutabilem, tanquam Carni Peccati sine Peccato simillimam*. His quoque similia *S. Ambrosius* apud eundem *Augustinum* Lib. II. Cap. 2. *cont. Julianum*, quem vide. Rursus in eandem sententiam Lib. I. *de Nuptiis & Concupisc.* Cap. 12. ubi docet, *Omnem, quæ de concubitu nascitur, Carnem esse Peccati*. Est ergo illa

(*Au-*

(*Augustino* auctore) *Peccati Caro*; quæ de *concubitu nascitur*, aut ex *carnali concupiscentia sive seminatur*, *sive concipitur*, hoc est, quæ ex Parentum libidine propagatur, non vero ipsum *Originis Peccatum*; quippe quod in hominibus per Baptismum renatis verissime dicimus inesse *Carnem Peccati*, quin tamen insit amplius ipsum Peccatum, utpote per gratiam Baptismatis jam deletum. (*) Ideoque, quia *Mariæ* Caro, sicut ceterorum omnium, eodem fonte venit, id est ex *carnali concupiscentia*, qua solus *Christus* concipi noluit; profecto sequitur, vel *Mariæ* etiam Carnem, nedum aliorum (una *Christi* Carne excepta) vere esse *Carnem Peccati*, quin illi tamen possis adscribere *Originale* peccatum. Porro, in eos quidem omnes, qui sunt *Caro Peccati*, scilicet qui ex *concupiscentia* originem trahunt, ipsum revera trajicitur Adæ peccatum, nisi Dei eximentis privilegium intersit, quale pro *Deipara* plane interfuisse ne quidem dubitat *Augustinus*, quum ait: *Non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi*. Quod si *Diabolo non transcribi conditione nascendi* nihil foret aliud *Augustino*, quam ex utero nasci, seu in lucem edi *Virginem* sine labe peccati, ut *Valdesius* contendit, per somnium hercle videns: ipse profecto *Augustinus* non *Deiparam* modo, sed & *Baptistam* & *Jeremiam* (utpote, se nitente, *Sanctificatos in utero matrum*, seu ab utero natos absque peccato) *Diabolo* pariter *non transcribendos* esse monuisset, aut cum istis simul & illam dixisset *traxisse Originale peccatum*, subque *Peccati* lege reapse constituisset. Sic enim de *Præcursore* Christi, deque *Jeremia* Propheta (referente ipsomet *Valdesio*, ut supra adnotavimus) *Augustinus* statuit: *Jeremias & Johannes, quamvis Sanctificati in utero matrum, traxerunt tamen Originale peccatum*. Quia ergo de sola is Virgine dixit: *Non transcribimus Diabolo Mariam conditione nascendi*, quin usquam talia scripserit de *Baptista*, vel Propheta *Jeremia*; itemque quia de hisce tantum constituit, quod *traxerint Originale peccatum*, de Matre autem Domini nihil prorsus horum: quid- Lib. 4. Operis Imperf. Cap. 134.

(*) Alia qui cupit hac de re videre, *Bellarminum* adeat Lib. IV. *de amissione gratiæ, & statu peccati*, Cap. 16. §. *Quartum testimonium* &c. Tomo *Controversiar.* IV. fol. mihi 253. ac seq. *Venetæ edit.* an. 1602.

nam, cedo, est super, nisi ut dicamus, *Augustinum* iis verbis non jam *Nativitatem* ex utero, sed *Conceptionem* duntaxat intellexisse; ac proinde unam ex Omnibus *Mariam* non solum ab utero *natam*, sed & *conceptam* sine peccato existimasse?

CAPUT XV.

Falsum de Patribus Valdesii dictum exploditur, cui nihil prodest Petavii suffragium, a veritate prorsus alienum. An cum Mutinensi Theologo fas sit dicere, Patrum Traditionem Intemerato Virginis Conceptui adversari? Cur rarior apud antiquiores Patres mentio Marianæ Præservationis? Hæc ipsa novo confirmatur argumento, ex S. Augustini doctrina petito. Sanctus Bernardus, si nunc viveret, an sententiam mutaret? Præclara in id S. Thomæ Sententia.

ATque hinc manifestissimum est, quam non ferendus sit *Valdesius*, quum pag. 192. Magistrum suum *Lampridium* sequutus, hæc literis tradidit: *Equidem fateor, me sincero amore veritatis exquisivisse in scriniis Patrum, quanam hac de re fuerit eorum sententia; summopere apud eos invenire cupiens decantatum hoc Deiparæ Privilegium*, nempe Præservationis. *Mœrens dico, ne UNUM quidem reperi: quod & antea contigerat immortalis nominis viro Dionysio Petavio*. Exquisierit, nec ne? sincero illo veritatis amore, quem jactat: equidem inficias ire nolo. Quod autem *ne unum quidem* invenerit ex tot Patribus, qui Ecclesiam tot laboribus, tantisque ingenii fœtibus illustrarunt, plane admirandis: non aliunde venisse arbitror, præterquam quod aut huc ille accessit animo non inveniendi, aut quia nonnisi eos adtulit oculos, de quibus Psalm. CXIII. 5.: *Oculos habent & non videbunt*, hoc est vitiatos, ac præconceptis opinionibus plus nimio corruptissimos. Attamen, *S. Augustinus*, ex late hactenus deductis, procul dubio noster est, Virgineæque *Immunitati* non tam ipse favet, quam eandem, etiam verbis omnium clarissimis prædicat, asseritque extra contro-

troversiam. Profecto, is unus pro mille est, etiamsi alius non suppeteret, ut plane suppetunt bene multi partim ex dictis, partim ex dicendis, nisi locus obstaret & amicissima mihi brevitas præpediret. Ac quidem, si *Valdesius* bona fide animoque præjudiciis exuto *Patrum* sensa scrutatus fuisset, maxime vero *S. Augustinum*; gauderet utique se invenisse, quod cum *mœrore* dicit, doletque frustra sese exquisivisse. Nam qui Dei Matris *Præservationem* ab Originali macula ita arrodit, ut nihil omnino ponderis ex ullo veterum Patrum testimonio ei accedere dictitet; petulantia certe (absit invidia verbo) vincit *Pelagium* Hæresiarcham, ejusque hyperaspistem *Julianum*, (*) hoc quidem loco ambos tam prudentes ac verecundos, nullam ut *Virgini* labem *Originis* auderent affingere, sed eam prorsus absque peccato fuisse loco probationis adferrent. *Quam Pelagii*, Julianique *ratiocinationem* [sunt hæc dignissima *Canisii* verba] *tantum abest, ut Augustinus impugnet, ut palam etiam adprobet, aliisque Christi honorem amantibus complectendam proponat.* Lib. 1. de Maria Virg. Cap. 10. Satis autem hæc reor, ut intelligas, quæ fuerit per illa tempora [hoc est ineunte V. Ecclesiæ Sæculo] *Christianorum* hac de re vox, quæ firma omnium sententia, a *Præservatione* scilicet stantium, Virginemque *Adæ* peccato neutiquam involventium. Præterea si *Amphilochium*, si Auctorem *Passionis S. Andreæ*, si *Hildephonsum* etiam aut *Radbertum*, [quorum loca abunde supra excussimus defensavimusque] huc quoque acciveris: erit ne aliquis tam stupidus, qui *Valdesio* auscultet dicenti, *ne unum quidem* a se repertum esse, qui *Deiparam* a peccati lege exsolverit, liberaveritque?

Sed vero, miri hujusce dicti, tantique portenti sponsorem *Valdesius* dat tum *loc. cit.*, tum etiam *pag.* 68. Virum plane Clarissimum Societatis Jesu *Dionysium Petavium*, qui Lib. XIV. de *Incarnatione* Cap. 2. testatur, se nullum nosse ex antiquis Patribus, quem pro intacto, Immaculatoque *Mariæ Virginis* Conceptu in campum educeret, aut proferret in lucem. Id,

 quod

(*) *Hæreticum non est, quidquid Hæretici dicunt; cujuscumque enim ore Veritas proferatur, suam retinet pulchritudinem; & nemo nescit, Eruditionem optimam cum pessima Fide sæpe consistere posse:* inquit Lamindus Pritanius Lib. 2. de *Ingenior. moderat.* Cap. 6. & recte quidem.

quod antea *Lampridius* & ipse observaverat *Cap.* 9. *pag.* 64. ubi & addit: *Immo quos* (Patres) *Petavius deprempsit*, *in contraria sententia fuisse* (id est Conceptionis contaminatæ) *aut fatetur aut suspicatur*. Ita de *Petavio* Lampridius *Valdesii* præcentor & Magister; sed omnino frustra. Equidem *Petavio*, Theologiæ Dogmaticæ aut parenti, aut restauratori præcipuo, lubens ego assurgo, ac tantopere eum suspicio efferoque, ut *immortalis nominis* laudem absit ut sibi contendam, aut surripere sibi unquam cogitem. Verum si de illo dixero, humani quid heic passum atque hallucinatum fuisse, nihil sane ejus decedit honori, nihilque, quod a vero abhorreat, dixero: præsertim ex quo exiliter adeo ac jejune in hoc est argumento versatus, ut duas vix ille paginas impleverit. Certe, pauci admodum sunt, quos ille huc adtulit, *Patres*; atque insuper, quod dissimulandum non est, luculentissimum *Augustini* locum ex Lib. IV. *Oper. Imperfecti cont. Julian.* Cap. 122. nuper expensum, ne attigit quidem. Taceo reliqua. An ergo sic laudandus atque in cœlum ferendus *Petavius*, ut nihil uspiam eum erraffe credamus? Laudemus hominis ingenium, eruditionem singularem, eloquentiam; laudemus Artis Criticæ peritiam, laborem indefessum, virtutes denique alias in cœlum extollamus, plane admirabiles. Dicamus quoque, tanta eum conscripsisse, quanta vix alius legere potest. Nihilo tamen secius *hominem* fuisse fateamur; illudque Horatii *de Art. Poet.* recinamus: *Verum opere in longo fas est obrepere somnum*. Atque heic quidem (si alibi unquam) revera obrepsisse, ex hucusque congestis quam liquido constat. Nunquid fortassis tam ille recte omnia, ut dissentire ab eo (salva honorificentia) nefas sit, sicubi cæspitavit ut homo? Ast ne *Lampridius* quidem id dixerit unquam, posteaquam ipsemet sui Operis *Cap.* 23. *pag.* 173. de Theologorum auctoritate cujusque ordinis, justis limitibus circumscribenda, tale judicium tulit: *Ex ipsis Theologis, in quos profusior Naturæ liberalitas fuit, & quibus majores vires addit contentio studii atque meditationis, quemnam ostendas, tam firmis passibus in investiganda Veritate procedentem, ut ceteris ingeniis facultas erepta sit meliora sentiendi?* Quid est ergo, quod nunc sui ipsius pene oblitus tanta pompa, tanta confidentia Mutinensis Doctor *Petavii* auctoritatem [alios vero suffragatores præter illum reperire nequivit] ceu fere ineluctabilem, nobis opponit? Nonne hoc est ludum agere, ac tanti nominis celebritate sane abuti, ut incauto Populo im-

imponat ac fucum faciat? Sed quanti hac ipsa in caussa *Petavium* faciat Theologus noster Mutinensis, ubi eodem loci, *communem Fidelium omnium sensum* huc pertrahit veluti firmissimum munimentum; infra videas, velim. Et sane quum hoc ad palatum non sit Mutinensis Magistri, neque ei probetur aut probari possit unquam; statim inclamat: *Utere judicio tuo;* rursumque sub *Valdesii* nomine cit. pag. 68. ⩵ *Cur Populi ita sentiant, satis compertum est.* Igitur Theologus noster ferat, quæso, æquanimiter eodem nos in *Petavium* jure heic uti, quo ipse in illum jam usus est: & ubi a nobis nolit, discat saltem a semetipso, nullius Viri, quantumvis Summi, prodesse suffragium, auctoritatemque valere *sine ratione*. Illud quin heic addam, temperare mihi non possum, ita Petavium in *Augustino* versatum, ut non ubique sibi constantem, sed contraria ferme diversis locis tradentem prodat ipse *Doctorem Maximum*, dum inibi *num.* 4. de illo isthæc subjungit: *Quo in loco, etsi* [S. Augustinus] *B. Virginem Originalis peccati macula videtur obnoxiam facere, nihilominus alio ex loco licet argumentando concludere, ab eadem illam exceptam fuisse.* Quæ quidem, uti & alia ibidem subducta præsertim *num.* 12. *& seq.*, sane evincunt, Virum Clarissimum non sat firmum, immo sententiæ dubium ancipitemque fuisse.

Hoc autem maxime doleo, non solum quod Theologus noster fallaciter dicat, Marianam Conceptionem, uti *Immaculatam*, ignotam fuisse omni prorsus Antiquitati (quod esset utcunque tolerandum) sed etiam quod *pag.* 201. quasi ex tripode sub *Lampridii* nomine pronuntiet, *per tria & decem Sæcula a Christo nato VIGUISSE, & COMMUNEM fuisse in Ecclesia sententiam* contrariam: itemque alibi, quod Pia *Immunitatis* Sententia *antiquioribus Sæculis CERTUM falsitatis probrum sustulerit*. Quod sane idem est ac dicere, *Traditionem Patrum ex adverso pugnare.* Sic quippe ille expressis verbis ad Franciscanum quendam (quocum tanta mihi necessitudo intercedit, qua nulla major aut sit, aut esse possit) ante paucos annos rescribens (hoc est VI. Kalend. Decemb. 1744.) ait: *Quamnam mihi certitudinem ostendas? Nulla e Divinis Scripturis rite petitur; immo Apostolus* [scilicet perverse intellectus] *contrarium tradere videtur. Nulla ex traditione Patrum; immo hæc EX ADVERSO pugnat.* Hæc ubi lego, si me negem ad iracundiam, illam, ut reor, inculpatam commoveri, equidem mentiar. Quis enim sine stomacho hæc legat vel audiat,

diat, præsertim a viro Catholico prodita, qui & Libri sui *pag.* 75. *& seq.* nec non *pag.* 139. aperte scribit dicens, *se nihil mussitare adversus doctrinam illibatæ Conceptionis; immo pro illa DIMICARE se, & in Beata Virgine colenda nemini concedere?* Sed hæ sunt *Lampridii* artes ad fallendum compositæ, de quibus infra pluribus suo loco. Interea, non heic a nobis Lector petat, ut plenius tam audax, tam falsum atque immane *Lampridii* assertum refellamus. *Patet prima fronte* [ut S. Hieronymi huc verba coaptem] *blasphemia: non necesse habet convinci quod sua statim professione blasphemum est.* Nam si *Traditio Patrum*, ut ille ait, *ex adverso pugnat*; si, ut aliis verbis exprimit, *antiquioribus Sæculis certum FALSITATIS probrum sustulit* Sententia *Marianæ Præservationis*; & quod gravius est, si *per tria & decem Secula a Christo nato viguit, & communis fuit in Ecclesia Sententia* contraria, hoc est, non eximentium *Virginem* a peccato Adami: Ergo (consequitur) Sententia *Conceptus Impolluti* omnino *Improbabilis* ae *falsa* est, tantumque (quod perhorresco referens) non in *hæreticam* evasit, planeque *impiam*. Ergo culpandi *Patres Tridentini*; quippe qui in decreto de *Originali peccato* Dei Matrem *Mariam* noluerunt sane comprehendere; immo & *Sixtinas* hac de re Sanctiones observandas statuerunt: culpanda item *Sedes Apostolica*, damnandaque *Ecclesia universa*, quod & ipsa colat, & colendum omnibus Christi fidelibus præcipiat (nedum permittat aut suadeat) id, quod novum, quod nuper natum, quodque non solum *Apostolo contrarium videtur*, sed etiam quod *Patrum Traditioni* (Lampridio occentante) quod toti retro Ecclesiæ aperte adversatur. Ergo..... Pudet dicere reliqua, ne videar potius invehi, quam monere.

Epist. ad Ctesiphontem 133. juxta Lut. Ver. num. 11.

Conc. Trident. Sess. 5.

Consectaria quidem hæc, plane detestanda, abhorrere a *Lampridii* mente dicet nescio quis ex *Valdesio* illius defensore, inquiente pag. 216. *nunquam asseruisse Lampridium Virginem sanctissimam incurrisse Peccatum originale: immo is centies agnovit uti piam ac Probabilem, immo & Probabiliorem altera, Sententiam* Immunitatis Virgineæ. Fateor, *Lampridium* expressis verbis non adspersisse *Purissimam* Peccato Adæ: quin etiam protestatum fuisse loco antea citato, *nihil se mussitare adversus doctrinam illibatæ Conceptionis*; immo [pag. 5.] *adversus illam quoquomodo dimicare amplius non licere* diserte pronuntiasse. Sed quis, rogo, non agnoscat, captiose ista ab eo fuisse prolata, scilicet animo discrepante cum verbis, oratione cum factis dissidente? aut perinde eum fecisse ac *Lucretius* canit:

Lib. IV. de rerum Natura, vers. 11. & seqq.

Nam

Nam veluti pueris absinthia tetra medentes
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus?

Ita sane *Lampridius*, quo sibi caveat, venenum caute abscondit, ac mellitis hisce vocibus non imprudenter liniendum curavit, aliud interim ore commemorans, aliud celans conscientia. Sed quid dico *celans*? Alibi enim, nec semel, quod celabat corde, publice efferre minime dubitavit; eaque posuit principia, ex quibus, tametsi explanate non dixerit, necessaria tamen consecutione fluit, Deiparam Virginem haudquaquam caruisse macula Originali. Id quippe consequens omnino est ex iis verbis, quæ supra recitavimus, exque aliis bene multis, quæ nunc enumerare tædium est. Fateor quoque, *Immunitatis* Sententiam & *Piam* & *Probabilem* a Lampridio sæpissime vocitatam, ac contraria etiam *si velis*, inquit, *Probabiliorem*. Quid inde? Ergo ne alienus ille prorsum ab intolerandis illis consectariis, quæ dudum indicavimus, quæque ex sui ipsius verbis sententiisque, veluti ex cœnosis fontibus, sponte emanant? An forsan vere unquam *Pia*, vereque *Probabilis*, sin minus esse, dici saltem Sententia potest, opposita etiam concedi *Probabilior*, in re ad Religionem, ad mores, ad publicum Ecclesiæ cultum pertinente, quæ & *antiquioribus* (ut ille ipse ait) *Sæculis certum falsitatis probrum sustulit*, & *per tria & decem Sæcula a Christo nato* Patrum omnium certo judicio explosa est? Nonne isthuc est pugnantia loqui; quamque uno in loco Doctor Mutinensis & *Piam* & *Probabilem*, immo & *Probabiliorem* appellat Sententiam, alio eam & ab *Pietatis*, & *Probabilitatis* arce dejicere est penitus, prosternere, deturbare? Quippe in id genus rebus, quum *omnes Patres* aperte repugnant, quum nihil ex *Sacris Litteris* extundi potest, immo & contrarium in iis tradi videtur; nihil sane erit *Pium* aut *probabile* sapientibus ac cordatis Viris; erit temere excogitatum, erit a vera *Pietate* longe dissitum, erit non jam sententia, sed umbra sententiæ; erit, verbo, inane quoddam, maximeque omnium & irridendum, & execrandum figmentum.

Sed erit fortasse aliquis, qui pro *Lampridio* heic instet cum ejus

ejus Patrono *Valdesio* pag. 217. alibique sæpissime, dicatque; unum ab eo contendi, *Certitudine* destitui Sententiam *Præservationis*. Quasi dicat: unam duntaxat *Certitudinem*, non ipsam *Piam* Sententiam, ejusque *Probabilitatem* Lampridium impetiisse, atque ad illam tantummodo, non vero ad istam referenda esse incautiora ejus verba (ut mitissime dicam), superius recensita, atque exhibilata. Verum quisquis es, ludis ne, quæso, qui ista purgationis loco excogitas atque obtrudis? Audiatur ipsemet *Lampridii* hyperaspistes *Valdesius*, quum pag. 191. recte docet: *Si in Scholasticis Opinionibus* (cujusmodi illa est, non solum *Debiti* contrahendæ maculæ, verum etiam altera, ipsomet *Valdesio* judice, fuerit ne, annon, *concepta* B. Virgo sine labe Originali) *cuiquam liceret contemnere Sanctorum Patrum TRADITIONEM, aut solis argutiis & somniatis ratiunculis eamdem eludere; ne is, quantum in ipso est, Religionem, & Ecclesiam prorsus prosterneret*. Et paucis interjectis adiecit: *Si in uno duntaxat Dogmate Ecclesia Dei a concordi TRADITIONE Patrum discederet* (*quod ex promissione Christi nunquam fiet.*) *actum esset de Infallibilitate Ecclesiæ; & non tantum Hæretici, sed & ipsi Catholici de aliis quoque Ecclesiæ Dogmatis in posterum dubitare, aut licentia simili oppugnare eadem possent*. En ut Mutinensis Theologus sibi non constat, suaque arma in semetipsum convertit. Deinde, fac quempiam talia scripturiisse contra *Sanctam* Deiparæ *Nativitatem*, ejusque *corpoream* in Cœlum *Assumtionem*; hoc est, Veterum *Traditionem* omnium ex adverso pugnare. Scis etenim neutram earum Fidei sibi hactenus *certitudinem* vindicare, nec gravioribus sane fundamentis niti, quam ipsa nitatur *Conceptio*, plane *Sancta* atque *Immaculata*. Quid ergo? Num ejusmodi scriptor intemperans ab omni erit censura immunis eo obtentu, quod non *Pias* illas, sumuleque, ut alioqui fatebitur, *Probabiles* Sententias, sed earum tantum *Certitudinem* invaserit, improbaveritque? An fortassis Sententiarum seu *Pietati*, seu *Probabilitati* adstipulabitur antiqua *Traditio*, aut contra eas saltem non pugnabit: pugnabit vero haud dubie cum earundem *Certitudine*? Parum tamen dixi: addendum est, adeo monstrosa hæc esse, neminique antea excogitata, ut in maximum Sanctæ Romanæ Sedis dedecus, immo & Ecclesiæ universæ, plane cedant. Doctrina namque *omnium Patrum* est utique *Ecclesiæ* doctrina, quam Ecclesia ipsa, nisi se neget, negare profecto non potest. Negaret autem procul dubio, si doctrinam

Patri-

Patribus omnibus oppositam probaret, eamque in Ecclesiasticum induxisset cultum, ac ceu *Piam Probabilemque* ipsa unquam judicaret. Quis audivit unquam talia? Rogandus itaque novus iste Theologus, atque cum *Augustino* hisce est interpellandus: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere* [vel maledicendi Hæreticis occasionem præbere] *desinatis*. Tum & illud rogandus, ut semotis partium studiis magis sincero attentoque animo *Patrum* scrinia, omnesque retro *Veterum* chartas ipse excutiat: videbit quippe nullo negotio, ac confiteri non erubescet errorem suum, mallens emendare, quam perseverare in falsitate seu pravitate sententiæ.

Lib. 1. de morib. Eccl. Cap. 34.

Attamen non ego inficior, ex priscis Patribus & Ecclesiæ Doctoribus sex priorum ab *Ascensione Domini* Sæculorum ad *Valdesii* mentem pag. 40. non omnes, imo nec multos admodum esse, qui apertis illustribusque verbis hac de *Virginis* prærogativa disserant, eandemque eximant ab *Originis* contagio. Neque mirum sane. Nam versabantur illi in aliis de Fide Quæstionibus longe gravioribus, nec sat iis erat otii, ut de *Immunitate* Divæ Matris ab *Originali* labe disputarent, quam nemo vertebat in dubium. Huc autem ibant maxime, ut contra infestos & grassantes tunc Hæreticos præcipua Fidei nostræ Capita de Deo, *Divinisque Personis*, ac de necessitate *Gratiæ Christi* propugnarent. Ac quod est ad *Christi gratiam*, ut eam maxime necessariam evincerent, ex tota Posteritate Adæ nullum in *Conceptione*, nullum in *Ortu*, nullum in *Vita* vel *Morte* ab omni peccato immunem esse censuerunt, considerata nimirum *Naturæ humanæ* imbecillitate vel corruptione, ac seclusa Redemtoris Christi *gratia*, cujus illi contra *hæresum* pestes assertores acerrimi esse voluerunt. Atque hæc est ratio mihi luculentissima, cur per illa tempora non sint inveniri, nisi pauci, qui perspicue de *Mariana Præservatione*, quid ipsi senserint, aperirent, quidque aliis sentiendum, scripto prædicarent. Aliorum autem priscorum Patrum silentium, licet etiam numero plurium, nihil plane officit hujusmodi Veritati & caussæ: quippe, quum agitur de colligenda Traditione Christianorum Dogmatum, satis est, aliquot eorum Veterum nominatim & expresse quidquam agnovisse, negasse autem neminem; adeoque reliquorum silentium, utcunque etiam plurium, efficiet nunquam Traditionem contrariam, ac ne speciem quidem Traditionis. Rem totam memorabili hoc exemplo illustrabo. Sciscitabatur plane a S. *Augu-*

Epist. ad August. nunc inter Augustinianas 225. num. 3. olim prima Augustini Libro de Prædestin. Sanct.

stino Sanctus *Prosper*, quei sit *Massiliensibus* occurrendum, contrarium putantibus *Patrum Opinioni & Ecclesiastico sensui* quicquid de Prædestinatione seu *vocatione Electorum secundum Dei propositum* Augustinus ipse in Pelagianos disputavit. Scilicet *obstinationem suam* [ait eo loci S. Prosper] *vetustate defendunt*: *& ea, quæ de Epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem Divinæ gratiæ, prævenientis Electorum merita, proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirment*. Et infra: *Retractatis*, inquit, *priorum de hac re opinionibus, pene OMNIUM par invenitur & una sententia*, nihil interesse inter *propositum* sive *Prædestinationem Dei* & ipsam ejus *Præscientiam*, atque ob hoc alios fieri *vasa honoris*, alios *contumeliæ* ex *Massiliensium* sensu, *quia*. (Deus) *finem uniuscujusque praviderit*, *& sub ipso gratiæ adjutorio*, *in qua futurus esset voluntate & actione præscierit*. Quocirca *Augustinum* enixe rogat *S. Prosper*, ut qualiter diluendum sit, quod *Massilienses* objiciunt ex vetustiorum *pene omnium* non jam silentio, sed consensu in oppositum, ipse edoceat ac demonstrare non recuset. Quid ille ad hæc? Profecto respondet *Augustinus*, frustra ea de re veterum Scriptorum volumina posci atque investigari. Quum enim id agere ac discutere, quo inclaruerunt ævo, nulla illi necessitate adigerentur, quemadmodum post exortam Pelagianam hæresim factum est; nemini proinde admirationi esse debet, quod nullo aut leviori tantum brachio, ac veluti per transitum, ejusmodi argumentum libarint attigerintque, in id duntaxat omnes intenti, ut suorum temporum hæreses omni conatu refutarent. En S. Doctoris verba: *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista* (seu Pelagii) *hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur?* Quidquid ergo in hac caussa ab *Augustino* responsum est, idem & *Virgineæ Immunitatis* hostibus responsum credito: eo etiam maxime, quod nullum heic ex antiquioribus adversarium habeamus, apertum saltem; econtra vero Patronum non unum, ac præsertim ipsum *S. Augustinum* (ut liquido demonstravimus *Capite præcedenti*), qui nominatim abjudicat atque rejicit a *Virgine* maculam parentalem.

Lib. de Prædest. Sanct. Cap. 14. num. 27.

Eodem autem loci addit idem S. Doctor statim post illa verba superius relata, quod quanquam ea de re, de qua *S. Prosper* ipsum consuluerat, *præcessorum Patrum* expressa non adsint

adsint testimonia; attamen Ecclesiæ Doctrina præcipue in *Orationibus* servabatur, inque exhibitis Deo precibus illucescebat. *Non enim*, inquit, *poscerentur a Deo quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur ut fierent*, hoc est nisi Dei opem ad id præstandum reapse necessariam esse autumassent. Atque hinc novo firmatur argumento Sententia summe Pia *Conceptionis Innoxiæ*, illo ipso, quod heic nobis peropportune suppeditat *S. Augustinus*, nimirum ex publicis *Ecclesiæ* Precationibus desumpto ac derivato. Prostant enim *Missalia; Breviaria* quoque prostant. In iis quid canat, quidve oret Ecclesia die *Conceptioni Marianæ* sacro: jam omnes norunt. Orat quippe: *ut quibus Beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Conceptionis ejus votiva Solemnitas pacis tribuat incrementum.* Ac rursus: *ut in Conceptionis ejus Solemniis, nostris nos piaculis exuens oblationem nostram* (Deo Patri) *faciat acceptam Jesus Christus Dominus noster.* Ita in Sacrificio incruento. In canonicis autem precibus præ gaudio sæpe ac constanter canit: *Cum jucunditate CONCEPTIONEM B. Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.* Itemque inibi ipsam precamur Virginem verbis hisce: *Ora pro Populo ..... sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam SANCTAM Conceptionem:* & id genus alia ibidem videnda. Ut ergo adversus Pelagianorum reliquias, *Orationes* sive *Preces*, quibus utebantur Fideles, firmissimum *Augustino* argumentum erant sentiendi, *Prædestinationem Dei* non ipsam esse ejus *Præscientiam*, sed ex Dei *gratia* proficisci, quæ *gratis datur cui datur, justo autem judicio non datur, cui non datur, quia non est iniquitas apud Deum*: utque etiam alibi idemmet telum ipse *S. Augustinus* intorsit in *Vitalem Carthaginensem*, contendentem (ut fama de illo percrebuerat) aut verius blasphemantem, *Fidem non esse donum Dei, sed nobis esse a nobis, id est ex propria voluntate*; quod est profecto *contradicere* (inquit *Augustinus*) Ecclesiæ *Orationibus*, quæ & ipsa orat, & orare Christi fideles hortatur *pro incredulis, ut eos Deus convertat ad Fidem* (neque enim id illa faceret, nisi exploratum haberet *Fidem esse Donum Dei*): sic & eodem modo ex *publicis* Ecclesiæ *Precibus*, etiamsi aperta *vetustiorum Patrum* loca deessent, quemadmodum plane non desunt, invicte profecto licet argumentari, atque colligere, Deiparam fuisse dubio procul sine *Originis* noxa conceptam, atque adeo prorsus *Immaculatam*. Verum, hoc de argumenti genere; ab Ecclesiæ *Festo* & *Cultu* depromto, plura inferius. Duntaxat

Epist. olim 107. nunc 217. ad Vital. Carthag.

taxat illa heic in *Lampridium* usurpabo verba (pauculis immutatis), quæ olim *S. Augustinus* urgebat adversus *Vitalem* loco proxime citato: *Exsere*, ajebat ille, *contra Orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem Populum Dei orare pro incredulis* (dicam ego: orare, *ut in Conceptionis* Virgineæ *Solemniis nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram Deo Patri faciat acceptam Jesus Christus Dominus noster;* itemque, omissis aliis paulo ante commemoratis, quum *audis Sacerdotem Dei ad Altare* clamantem, ut *in Conceptione* ejusdem *B. Mariæ semper Virginis* Deum *collaudemus, benedicamus, & prædicemus*); *subsanna*, ut cum *Augustino* loquar, *subsanna pias voces, & dic, te non facere, quod hortatur*, quodque ille ipse ex præscripto Ecclesiæ facit. Dic, nihil ex *Scriptura* pro *Conceptione* labis experte, nihil ex *Traditione* extundi posse; *immo hanc ex adverso pugnare*: ideoque Ecclesiam falli, si quidem & colit ipsa, & coli revera jubet *Immunitatem*. Ac proinde dic, sodes, dic te hac in re cum Sede Apostolica, cum Ecclesia universa, utpote quæ aut fallit aut fallitur, minime omnium consentire. Quod ubi dixeris, tametsi nulli omnino tolerandum; quid hinc consequatur, adtende. Consequitur profecto (ut mittam cetera, cuique satis per sese obvia) consequitur, inquam, *inaniter* (ut verbis prosequar Augustini) *inaniter & perfunctorie potius, quam veraciter magnas cum exultatione agi* a nobis *Deo gratias*, quod Virginem Beatissimam ab *Originaria* damnatione præservarit, si alicui fas est credere, non *mundam*, non *Sanctam*, non *impollutam* fuisse ipsius *Conceptionem*. *Non fallamus homines* (pergit ibidem S. Doctor, quocum & ego), *nam Deum fallere non valemus. Prorsus non oramus Deum*, non laudamus, non hanc ob caussam benedicimus, *sed* laudare, benedicere atque *orare nos fingimus, si non illum credimus fecisse* quod laudamus. *Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum fecisse non putamus. Labia dolosa si in hominum quibuscumque sermonibus sunt, saltem in Orationibus non sint. Absit, ut quod fecisse Deum* (in mira Divæ Matris Conceptione) *contestamur oribus & vocibus nostris, id eum fecisse negemus cordibus nostris:* quo quid fœdius, quid Theologo Christiano indignius dici, fingive potest, rogo?

Tanti autem fit a SS. Patribus, Doctoribus ac Theologis

gis universis argumentum illud, a Cultu, a Festo, ab *Orationibus Ecclesiæ* petitum, ac præsertim a *S. Bernardo*, Claræ-vallensis Cœnobii Abbate laudatissimo (quo uno Duce sic exultant *Immunitatis* hostes, ut vix satiari possint), ut *Epist.* 174. ad *Canonicos Lugdunenses*, toties mihi laudata, in qua *Innoxiæ Conceptionis* Sententiam & Festum videtur ipse reprehendere, de *Nativitate* & *Assumptione* Virginis dicere haud dubitaverit: „ Exalta exaltatam (*Deiparam*) super Choros „ Angelorum ad cœlestia Regna. Hæc mihi de illa cantat „ ECCLESIA, & me eadem docuit decantare. Ego vero „ quod ab ILLA accepi, securus & teneo & trado: quod „ non, scrupulosius, fateor, admiserim. Accepi sane ab „ ECCLESIA illum diem (*scilicet Assumptionis*) cum summa „ veneratione colendum, quo assumpta de Seculo nequam, „ Cœlis quoque intulit celeberrimorum Festa gaudiorum. „ Sed & ORTUM Virginis didici nihilominus in ECCLESIA „ & ab ECCLESIA indubitanter habere festivum, „ atque Sanctum firmissime cum ECCLESIA sentiens in utero „ eam accepisse, ut SANCTA prodiret. „ Ab *Ecclesiæ* ergo Precationibus, a festo die, a Cultu solenni, Marianæ *Nativitati* & *Assumptioni* per Ecclesiam præstito, tantum in illas, fatente *Bernardo*, descendit virium, ut quanquam primæ ætatis *Patrum* suffragia utrinque desiderentur (cujusmodi sane ex dictis minime desiderantur in *Conceptione*, aut ejusdem Divinæ Matris *Immunitate* a culpa Originis) tamen dubitandum non sit, quin & *firmissime cum Ecclesia* sentiendum, Genitricem Domini ante *Sanctitate* repletam fuisse, quam *ex utero* natam, itemque anima simul & corpore in Cœlum assumtam, ac perfecta omnibusque numeris absoluta immortalitate seu beatitate donatam.

Hinc pronum est colligere, quid hac super re, hoc est *Virginea Præservatione* sensurus esset *Abbas Claravallensis*, si nobiscum in vivis ageret. Profecto si nunc vivens, ab *universali Ecclesia*, maximeque a *Romana*, ceterarum Domina ac Magistra, & Missam & Officium peculiare de *Conceptione Mariana* persolvi videret, haud minus, ac olim de *Assumptione* deque *Nativitate* (quo vivebat ævo) ipse viderat recitari; eadem, quæ de istis, de illa quoque vir, Ecclesiæ obsequentissimus, & honoribus Beatissimæ Virginis (si quis unquam) tantopere deditus, sine dubitatione pronuntiaret: *Ego quod ab illa*

(*Id*

(id est Ecclesia) *accepi* , *SECURUS & teneo & trado* &c. Nec solum *Assumptionem* & *Ortum* , sed etiam *Conceptionem Virginis* diceret *didicisse se in Ecclesia & ab Ecclesia INDUBITANTER habere festivam atque SANCTAM* , *FIRMISSIME cum Ecclesia sentiens* , *non solum in utero eam accepisse* , *ut SANCTA prodiret*, sed etiam ut sine Adami labe *conciperetur*. Hæc quidem procul dubio dicturum fuisse *Bernardum* , si hoc nostro Sæculo vixisset , negabit hercle nemo , modo nolit *Bernardum* cum *Bernardo* committere (quod facit Mutinensis *Valdesius* pag. 177.) eumque a se discordem esse , suisque somniare principiis omnino repugnantem . Quid , quod Doctor Mellitissimus *Canonicos Lugdunenses* ea in Epistola eatenus perstrinxit , quatenus Festum *Conceptionis* Deiparæ Virginis *inconsulta Sede Apostolica* illi celebrarunt privata auctoritate ac devotione præcipiti ? Nam ait : *Si sic videbatur* [instituendus scilicet , ac celebrandus ejusmodi dies festus) *consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas*, *& non ita pracipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum*. Ad hæc, eodem loci (observante vel ipso *Natali Alexandro*) *S. Bernardus* suam hac de re sententiam ex *Ecclesiæ* Auctoritate totam suspendit postremis hisce , quibus Epistolam claudit , verbis : *Quæ autem dixi* (adversus *Conceptionis* Festum aut Sententiam) , *absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis*. *Romanæ præsertim Ecclesiæ AUCTORITATI atque examini totum hoc*, *sicut & cetera* , *quæ ejusmodi sunt* , *universa reservo* : *ipsius* , *si quid aliter sapio* , *paratus judicio EMENDARE* . Quocirca , si nunc ipse superstes foret *Bernardus*, videretque *Ecclesias omnes* una cum *Romana* conjunctas jam sane diu non solum in unam eandemque *Sententiam* , suæ præconceptæ contrariam , sed etiam in *dicti Festi* celebrationem tanto consensu conspirare : quid non illum , quæso , dicturum, quid non facturum fuisse putemus ? Annon hæc videns, simul atque oculis animoque perlustrans tot *Apostolicæ Sedis* Decreta in favorem & Sententiæ & Festi *Conceptionis Immaculatæ* emanata , quod testatus est verbis, reipsa nunc impleret ? hoc est dictu , quum quæ de controversia *Conceptionis* literis credidit , judicio *Romanæ Ecclesiæ* emendanda cuncta commiserit ; annon cum illa nunc alacriter *emendaret*, atque ab opinione hodiedum sua quam promptissime resiliret ? Ita sane : ut proinde non immerito *Bellarminus* circiter annum 1581. *Si ergo nunc B. Bernardus videret ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ Festum celebrari* , *etiam ipse libentissime celebraret* .

Hist. Eccl. Secul. XI. & XII. Cap. 6. Art. 10. § 2.

Tom. II. Controversiar. Lib. *3. de Cultu Sanctor.* Cap. 16.

ret. (*) Eat ergo *Valdesius*, & apud suos duntaxat gregales *cit. pag.* 177. vanissime jactet in hæc verba: *Quid facturus foret Sanctus ille Abbas* (Bernardus), *neque ego, neque Anonymus novimus. Illud quidem certum mihi videtur, institutionem Festi de Conceptione, qualis revera est* (seu potius qualis fingitur a *Valdesio*, nempe sub significatione vel *Expiationis* vel *Præservationis* pro cujusque libito), *non coacturam Bernardum renuntiare præconceptæ Opinioni, quandoquidem ne ullus quidem nunc ejusdem Festi caussa adhærere cogitur Piæ Sententiæ.* Siccine *Valdesi*? Plane non nosti, quid hoc tempore *Bernardus* esset facturus, si reviviscceret, quia tua interest non novisse. Reliqua, quæ subdis ac commentus es in eandem sententiam, lepida quidem sunt, sed simul, ut vidimus, adeo falsa & levia, ut suapte levitate in fumum abeant ac nihilum. Sed ne forsan *Bernardi* nomen aut alterius cujusquam, quantumvis vere Maximi decipiat te, atque in errore obfirmet; audi *Natalem Alexandrum* ex *Angelico Præceptore suo* ita ad rem scitissime docentem, ac de sese ipso testantem: „ Circa Piam de Imma- loc. cit. post §. III. in Scholio subjecto.

„ cu-

(*) *Quamvis Bernardus atque Bonaventura* (cui & *D. Thomam* potes adjungere) *non admodum diem hunc probaverint; uterque tamen loquebatur ita, quum Solennia illa privata tantum forent, non Ecclesiæ universæ, non Urbis: licebat igitur expendere rationum momenta.* Et post pauca: *Uterque ita paratus videbatur, ut si in præsentia degeret, omni animi contentione novum hunc morem & Ecclesiæ cultum complecteretur. Nam qui Ecclesiæ Sanctionibus auscultarunt antequam ederentur; quanto magis ei obsequerentur, postquam Secula complura, plurimæ privatæ & universa Ecclesia Conceptionem celebrarunt?* Hæc Thomassinus Lib. 2. *de Festis* Cap. 5. n. XI. Audiatur & *Vasquius* in 3. part. Disp. 117. Quæst. 27. Art. 2. Cap. 5. num. 68. & seq. ubi ait: *Et sane, si S. Thomas & Bernardus* (vel etiam *S. Bonaventura*, seu alius quisquam) *in tota Ecclesia approbatione* (immo nunc etiam jussu) *Summi Pontificis & Officio illo ad id peculiariter instituto celebrari vidissent, minime dubitassent de sua sententia & opinione moveri: alioquin eum modum celebrationis, quem S. Thomas vidit ab Ecclesia Romana toleratum* (*non approbatum*) *eo modo, quo diximus, non defenderet; neque etiam Bernardus Canonicos Lugdunenses reprehenderet, si auctoritate Apostolica Festum illud approbatum celebrarent, quin potius statim oppositæ Sententiæ libenter acquiesceret.* Videsis etiam inter alios innumeros insignem Thomistam *Johannem a S. Thoma* Tom. 1. in I. Part. Disp. 2. *proœmiali*, Art. 2. pag. 229.; itemque *Raynaudum* in *Diptychis Marianis* Part. 2. Punct. 2. num. 32, fol. mihi 149., atque ipsum etiam *Petavium*, adeo *Lampridio* carissimum, Lib. 14. *de Incarnat.* Cap. 2. cit. num. XIII.

" culata Conceptione Deiparæ Virginis Sententiam ECCLE-
" SIÆ ROMANÆ sensum & propensionem, Constitutioni-
" bus Summorum Pontificum EXPRESSAM, præ Sancto
" Bernardo aut aliis quibusdam Doctoribus, quorum alio-
" qui revereor auctoritatem, sequi Religiosi officii lo-
" co semper ducam: *Quia & ipsa doctrina Catholicorum*
" *Doctorum ab ECCLESIA auctoritatem habet: unde magis stan-*
" *dum est auctoritati ECCLESIÆ, quam auctoritati vel Augu-*
" *stini vel Hieronymi* [vel Bernardi] *vel cujuscumque Do-*
" *ctoris*. Verba sunt *S. Thomæ* Secunda Secundæ *Quæst. X.*
" *Art. XII.* "

CAPUT

CAPUT XVI.

De præfatis tribus Marianis Solennitatibus, Conceptionis scilicet, Nativitatis & Assumtionis, quænam præstet aliis antiquitate? Ervigii Regis Lex pro Conceptionis Festo educitur, minus recte a Thomassino intellecta. Verus illius sensus cum Mabillonio & Martene statuitur, rationibusque firmatur. Etiamsi autem Thomassini intellectus præferendus esset, ac constaret quoque recentius esse ceteris Festum Conceptionis, nihil tamen istius Sanctitati, debitæque a nobis observantiæ idcirco detraheretur. Ecclesiæ auctoritas in hoc negotio.

HUcusque de *Patribus*, qui Piæ patrocinantur de *Præservatione* Sententiæ, pro instituto satis. Nunc locus admonet, ut & de ejusdem antiquitate Cultus paulo accuratius differamus. Diximus supra *Capite IV.* ex Eruditissimo *Mabillonio*, dubitare neminem jure posse, quin X. saltem Ecclesiæ Sæculo jam *Hispani* coluerint solenni ritu Deiparæ *Conceptionem*: paulo vero ante indicavimus, idipsum quoque obtinuisse Sæculo, ut minimum, IX. scilicet ex *Paschasio Radberto*, Libri auctore de perpetua *Virginitate S. Mariæ*, *& de ejus parturitione*, qui alias *Hildephonsi* nomen præseferebat. Verum, *Edmundus Martene*, Vir sane Clariss., editisque bene multis, atque eruditis Operibus toti Orbi notissimus, adhuc altius pergit, ejus Festi institutionem *S. Hildephonso*, Toletanæ Sedis Episcopo, referri debere contendens. Id, quod laudatissimus Auctor ex ejusdem *S. Hildephonsi* Vita probat, a *Juliano* quodam conscripta (neque enim etiamnum certo constat, *Julianum* hunc esse illum ipsum, qui *Hildephonso* post *Quiricum* successit in Sede Toletana anno 680.), atque a *Mabillonio* inserta Actis *Sanctorum* Sæculi II. Benedictini pag. 498., ubi narratur, quod ipse S. Archipræsul, postquam a B. Virgine donatus fuerat veste Sacerdotali, de Cœlo allata, *etiam Festum Conceptionis* ejusdem Genitricis Domini, *quo scilicet ipsa concepta est*,

De antiqua Ecclesiæ Disciplina in Divinis celebrandis Officiis Cap. 30. num. 12.

est, celebrari instituerit, ejusque constitutione per totam Hispaniam solemniter colatur 6. Idus Decembris. Ita luculenter *citatæ Vitæ* verba; in quæ hanc ibidem in calce folii 497. subdit Notam *Mabillonius* jam laudatus: „ Quam vetus sit observatio Festi Con-
„ ceptionis B. Mariæ in Hispania, discimus ex lib. 12. Leg.
„ Wisigothorum tit. 6., ubi Ervigius Rex lege lata præci-
„ pit, ut a Judæis observentur Festa Christianorum; in his
„ *Festum Sanctæ Virginis Mariæ, quo gloriosa Conceptio ejusdem ge-*
„ *nitricis Domini celebratur.* „ Ex hac igitur *Ervigii* lege, quæ extat Tomo III. *Hispaniæ illustratæ*, edito Francofurti ann. 1606. pag. 1004., magis magisque id, quod ante, *Martene* confirmat, institutum nempe fuisse a *S. Hildephonso* in Hispania VII. Sæculo Festum *Conceptionis* Marianæ. Sic autem sonat præfata Lex, ab *Ervigio* in Judæos lata primo *Regni sui* anno, seu anno *Christi* 680. non multo post obitum S. Hildephonsi: *Ut omnis Judæus diebus Dominicis, & prænotatis Festivitatibus ab opere cesset. In nullo,* inquit, *est dubium, illum manifeste Fidei Catholicæ adversari, qui reverentiam diebus Dominicis non impendit ...... Dies tamen ipsi, qui ab iisdem Judæis sollicita sunt devotione observandi, hi sunt: id est Festum S. Virginis Mariæ, quo gloriosa CONCEPTIO ejusdem Genitricis Domini celebratur. Item Natalis Christi & Circumcisionis, vel Apparitionis suæ dies: Pascha quoque Sanctum, vel dies sacratissimi Octavarum. Inventionis quoque sanctæ Crucis Dominicæ Festum, necnon & Ascensionis Dominicæ diem, vel Pentecosten, seu etiam concurrentes toto anno dies Dominicos, religiosa Christi fide venerabiles.*

Audisti hactenus ordinem seriemque *Festorum*, quæ vel ipsimet Judæi *Ervigiano* Edicto servare jubebantur, quibus & *Festum S. Mariæ Virginis* accensetur, quo gloriosa ejusdem *Conceptio* celebrari mandatur. Porro, eodem anno *Regni* primo, *Christi* autem 681. omnes *Ervigii* Leges, in Judæos conditæ, a *Synodo Toletana* XII. Cap. IX. confirmatæ fuere; nominatim illa, quam modo descripsimus, cuique titulus: *Ut omnis Judæus diebus Dominicis & in prænotatis diebus ab opere cesset.* Hinc colliges, memoratam *Ervigii Regis* Legem, a prædicto *Toletano Concilio* (cui & ipse *Julianus*, ejusdem Regiæ Urbis Episcopus, subscripserat secundo loco) diserte probatam atque innovatam, non jam spurium, non supposititium fœtum esse, sed omnino indubitatum; ut proinde nemo vere prudens eam in dubium vocare velit, nec etiam possit. At dices fortasse cum *Thomassino* Lib. I. de *Festis* Cap. V. n. 4., *Conceptionis* nomine heic

heic intelligi *Conceptionem activam*, qua Beata Virgo *Dominum* concepit, non qua ipsa concepta est: ita ut hujusmodi Festum *S. Virginis Mariæ*, quo gloriosa *Conceptio* Genitricis Domini recolitur, idem prorsus sit, ac festum *Incarnationis* Verbi Dei, sive Virgineæ *Annuntiationis*. Etiamsi autem Eruditissimus is Auctor nullam prorsus dicti sui rationem reddat; in promptu est tamen cuivis supplere, ac sequentem adducere. Nam quum in præfato *Festorum* catalogo, ab *Ervigio* concinnato, post Festum *Conceptionis* Deiparæ statim recenseatur Festum *Natalis Christi*, tum & *Circumcisionis* ejusdem, & *Apparitionis*: quumque nullum aliud B. Virginis Festum illic nominetur; ipse se Ervigius videtur conformasse ad Decretum *Concilii Toletani X.*, anno 656. celebrati, statuentis Cap. 1. ut *Festivitas Dominicæ Matris* (quo nomine designatur Festum *Incarnationis*, seu *Annuntiationis* Dominicæ) *XV. die Kalendarum Januariarum*, id est 18. Decembris, ab omnibus in posterum *celebretur*. Nam inquit Synodus: *Quid Festum est Matris, nisi Incarnatio Verbi? Cujus Festum ita debet esse solenne, sicut est & ejusdem Nativitas Verbi*.

Non equidem nego, conjecturam hanc primo aspectu sat esse plausibilem: at si penitius lustretur, vereor magnopere, ne evanidam invenias, talemque, ut apud doctiores ac subactioris ingenii Viros vix plausum mereatur. Si enim *Ervigius Rex* lege sua respexisset ad *Canonem I.* citatæ Synodi Toletanæ X., eamque, ut imitaretur, ob oculos habuisset vel in manibus: cur, quæso, Festum S. Virginis Mariæ consignans atque explicans dixisset, illud esse, *quo gloriosa CONCEPTIO ejusdem Genitricis Domini celebratur*, quum ejus rei nullum prorsus vestigium invenire sit apud laudatos *Hispaniarum* Præsules? Nunquidnam non illud potius Festum cum Hispanis Præsulibus hoc modo appellasset, nempe quo *invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & adnuntiasse verbis & indidisse miraculis*, seu quo salutata est *B. Virgo* ab Angelo, sibique *Incarnatio Verbi* denunciata; si quidem id ipsum, quod illi, per Festum *S. Virginis Mariæ* indicare voluisset? Quia ergo nihil horum *Ervigius* dixit, immo contra, id genus Festum in *gloriosa* ejusdem Dei Matris *Conceptione* ipse constituit; satis superque verbis hisce testatus est, se non *Annuntiationem*, seu Dei hominis *Incarnationem* designasse *Marianæ Conceptionis* nomine, sed eam duntaxat *Conceptionem*, qua ipsa Deipara concepta est. Is enim unus est sensus obvius, nativus, & ab omnibus receptus verborum illorum, quæ in id

rei *Ervigius* usurpavit: non vero ille alter a *Thomassino* subtiliter excogitatus, quo *Conceptio* Genitricis Domini pro ipsa *Annuntiatione*, seu *Dominica Incarnatione* traducitur, utique omnino gratis, ac contra usitatum loquendi morem, cujus nescio an ullum tam obtortæ interpretationis ex tota antiquitate proferri huc rite exemplum possit. Igitur quum *Thomassini* intellectus nec naturalis sit, nec usu comprobatus; desint quoque *Veterum* exempla in ejus rei confirmationem idonea; præsertim vero, quum *Annuntiationis* Virgineæ Festum in antiquis Martyrologiis & Kalendariis, a *Bollando* & *Martene* editis, nusquam nomine *Conceptionis Genitricis Domini* sit designatum: nihil est reliqui, quam ut dicamus, *Ervigium* eo loco potius, quam *Toletanis Patribus*, Sancto Episcopo *Hildephonso* morem gessisse, *Festum Conceptionis S. Mariæ* indicenti, non jam quo Dei Filium purissimis concepit visceribus, sed *quo ipsa concepta est*, ut legitur in ejusdem S. Antistitis *Vita*, illa sane vetustissima, quam proxime laudavimus. Hæcque *Mariana* Solennia propterea primum in *Ervigiana* Lege locum sibi vindicant, ac præmittuntur vel ipsi *Dominicæ Nativitati*, quia paulo ante ipsa *Christi* Natalitia ex Constitutione *Hildephonsi* ab Hispanis jam tum peragebantur, hoc est *VI. Idus Decembris*; uti ex eadem *Vita* discimus. Quamvis autem ejus *Vitæ* Auctor, *Julianus* nuncupatus, qui vere sit, quove floruerit ævo, hucusque nos lateat; propediem tamen a præstantibus ingenio Viris excitatum iri confidimus: & quia constat, perantiquum eum fuisse, ac minimum, Sæculo X. vetustiorem ex alio in loco dictis; non est plane, nisi hominis intemperantissimi, illius auctoritatem elevare velle, cui nemo unquam contradixerit. Neque etiam silentium *Zixilanis* Episcopi, qui Sedem Toletanam rexit ad annum Christi 771., in *Vita S. Hildephonsi* (*) multum facessit negotii, ut alibi adnotavimus. An enim inauditum, ut unus unum memoret de Viro aliquo illustri, quod ceteri gestorum ejus recensores omnino prætereierunt?

Illud

(*) Hanc *Zixilanis* de *S. Hildephonso* Vitam, simul & alteram ab *Juliano*, & ipso Toletano Episcopo, conscriptam (duæ enim sunt de eodem *Vita*, sub unius *Juliani* nomine) videsis apud eundem *Mabillonium* loco cit., id est *Sæculo II. Benedictino*, necnon apud *Bollandum* in *Actis Sanctor.* ad diem 23. Januarii.

Illud certum, nos hac in re non *Hispanos* aut Siculos (invisam *Lampridio* gentem) sequutos fuisse, sed *Gallos* genere Gallisque immortuos, scilicet *Mabillonium* & *Martene*, summa ingenii laude, artisque Criticæ peritia undique celebratissimos. Certe, *Mabillonium nominasse* (inquit Gravesonius) *laudasse est; & qui eum ignorat, in Republica Literaria non est, aut in ea peregrinus plane & hospes est*. Hi ergo Eximii Viri præiverunt nobis, facemque prætulerunt: quis tantos Duces sequi non honori vertet, sed vitio? Profecto, uterque seu *Ervigianam* Legem laudarunt, seu *Vitam* S. Hildephonsi, *Juliani* nomine inscriptam: ex quibus item colligunt, neque immerito, antiquitatem cultus *Marianæ Conceptionis*; etiamsi *Julianus* iste ab eo vere differat *Juliano*, altero *Vitæ ejusdem S. Præsulis* Scriptore, qui scilicet Toletanæ præfuit Ecclesiæ ad usque annum 690., quo vitam immortalitate commutavit. Nempe, ex præfata *Ervigii* Lege ita conficit *Mabillonius* loco citato: *Quam vetus sit observatio Festi Conceptionis B. Mariæ in Hispania discimus ex Lib. 12. Leg. Wisig. tit. 6., ubi Ervigius Rex* &c. Ac ne quis rixetur, eum de *Conceptione activa* loquutum, addit continuo: *Et tamen in Concilio Londoniensi ann. 1328. celebrato hujus Festi institutio B. Anselmo tribuitur; quod forte an de Anglia sola intelligendum*. Tanto, tamque exculto, ac erudito Critico quis non assurgat, quis fidem non adhibeat? Etsi autem in suis ad *Bernardi Epistolas* Notis paulo forsan videatur timidior; ex recitatis tamen *laudatæ Vitæ* verbis id saltem sine hæsitatione colligit, nimirum, *quin Sæculo X. apud Hispanias celebrata sit* Deiparæ Conceptio (utique *passiva*, seu qua ipsa B. Virgo concepta est) *in dubium revocari non posse*. Unum nobis heic satis est, non modo *Martene*, quam ipsum etiam *Mabillonium* nobiscum esse, nec aliud eos intelligere nomine *Conceptionis Genitricis Domini* apud recensitam *Ervigii* Legem, nisi id, quod vox ipsa sonat apud omnes trito ac vulgari sensu, scilicet *Conceptionem*, ut vocant, *passivam*. Adeoque consequens hinc est: *primo*, antiquiorem, quam vulgo creditur, *Hispanorum* pietatem fuisse ergà *Virgineam Conceptionem*, quippe repetendam a temporibus *Ervigii Regis*, qui VII. Sæculo ad finem vergente, seu anno 687. Toleti mortuus est: *secundo*, tantundem *Assumtioni* Deiparæ vix, *Nativitati* vero ne vix quidem adesse, quod faveat; aut saltem tam vetus documentum, quod non nutet, non vacillet, pro *Nativitatis* Festo aut Cultu statuendo non esse hactenus e tenebris erutum. Quid ad hæc repositu-

In Hist. Eccl. Tom. 8. Coll. 1. 5. pag. mihi 84.

fiturus fit Doctor noster *Mutinensis*; ignoro. An dixerit, ut assolet, Magnos quoque illos Viros (id est *Mabillonium* & *Martene*) aut *non satis sibi cavisse ab immoderantia affectus*, aut *piis Hispanorum fraudibus*, seu *commentis Hispanicæ eruditionis* deceptos fuisse? Ejusmodi namque stylo *Franciscum Suarez* Theologum Eximium, aliosque sibi hoc in agone adversantes, *Lampridius* excipit pag. 91., alibique haud infrequenter. Præclarum hercle pugnandi genus irridere atque exsibilare quidquid incommodat, ac monumenta, de quibus nulla inter rite Eruditos est controversia, quæque rem definire possunt, inter fabulas, inter adulterinas merces pro arbitratu ablegare!

Sed esto, cæspitaverint, ut lubet, hac in re *Mabillonius* & *Martene*, Viri illi plane summi atque celeberrimi; itemque ii siverint (si voles) se ludificari *Laminis Granatensibus*, aut *Pseudo-Chronicis* in Hispania prognatis, ut obviis quibusque nunquam non improperat *Lampridius*: verbo, sint etiam ceteris Marianis Celebritatibus recentiora multo Solennia *Conceptionis*, neque uspiam illuxerint Majoribus nostris ante XI., aut etiam, si mavis, XII. Æræ Christianæ Sæculum: Quid postea? Res hæc non ex illarum est numero, ut sola temporum diuturnitate sit dimetienda, ut stet vel cadat. Alioqui & Festum *Nativitatis* Deiparæ (ut de aliis taceam) haud minus esset loco movendum; quippe quod VIII., aut certe VII. Sæculo prorsus fuerit ignoratum. Ac proinde quam rectissime *Nicolaus* Monachus apud *Petrum Cellensem*: *Non erat ab initio Nativitas Virginis in Ecclesia solennis; sed crescente Fidelium devotione addita est praclaris Ecclesiæ Solennitatibus*. Tumque ita ad rem nectit: *Quare igitur & non similiter diem Conceptionis non obtineat sedulitas Christianæ devotionis?* Idem & *Catharinus* aliis verbis in citata sæpius Disputatione *pro Immaculata Concept. ad PP. Tridentinos* Part. 2. col. 101.: „ Tempore B. Bernardi non „ erat institutum Festum Corporis Christi (*), & Festum „ Visitationis B. Virginis (**) & alia plura, quæ olim Pa- „ tres non cogitarunt: quæ si quis nunc reprobare vellet, „ hære-

Lib. VI. Epist. 23. Tom. 23. Bibl. Max. Patrum fol. 879.

(*) Solennitas hæc *Corporis Christi* Urbano IV. accepta refertur. Vide *Rainaldum* Baronii Continuatorem ad ann. 1264.

(**) Visitationis autem Celebritatem ab *Urbano VI.* institutam, & a Bonifacio IX. promulgatam anno 1389. scribit *Baronius* in Martyrol. Rom. ad *diem 2. Julii*.

„ hæretici & schismatici esse spiritus convinceretur. Quo spiritu ductus Lutherus, postquam festa fere omnia conculcasset, dixit: *Nullum Festum magis odi, quam Festum Corporis Christi & Conceptionis B. Virginis.* „ Hæc *Catharinus*. Cui quidem geminum est, quod tradit *Thomassinus* de Festis Lib. II. Cap. 5. n. 13. Scilicet plures quoque Festos dies a Veteribus Patribus indictos olim fuisse, qui (ut cum *Bernardo* Epist. 174. loquar) Antiquiorum *omnino diligentiam* præterierunt: nec tamen istorum aut doctrinæ aut pietati quicquam per illos derogatum est. Vide & quæ ibidem subdit in eandem rem Vir Cl. *num. XIV.*, Christianæ profecto plena sapientiæ.

Præterquamquod, constituendarum jus Solennitatum, quas Religioni oportet habeamus, penes Ecclesiam esse, aut penes Romanum Pontificem, qui est visibile Ecclesiæ Caput, pluribus evincit *Thomassinus* laudatus, qui egregie, neque perfun- Lib. I. de Festis
ctorie, hunc locum occupavit. Tali etenim jure, neque Cap. 10.
furtivo, sed veluti proprio, olim usa est & Judæorum Synagoga etiam post latam Legem. Sic Festum illa *Sortium* instituit (Esther Cap. IX. 19.) Mardochæo agente ac studiose curante: etiam Judith tempore indictus est dies, quotannis Judith XVI. 31.
solenniter celebrandus, in memoriam obtruncati devictique *Holophernis*. Instituta quoque sub *Juda Machabæo* Solennia in Victoriæ monumentum, de Nicanore reportatæ 2. *Machab.* XV. 36. Tandemque & 1. *Machab.* IV. 59. *Encæniorum* Festus dies, hoc est Dedicationis Templi, sancitus legitur, quem & *Christus Dominus* (Johan. X. 22.) præsentia sua decoravit, suoque exemplo ratum fecit ac consecravit. Quia igitur hoc jure Synagoga pollebat; quis tam stultus & impius, ut id Christianorum Ecclesiæ invideat, atque ademtum velit? Porro, annon & illud æque certum atque evidens, eandem hodie Ecclesiam esse, quæ olim fuerat, nec unquam interituram, quoad Mundus perstabit? An forsan effœtæ adeo Ecclesiæ vires, vel quasi præ senio eo usque imminutæ atque exhaustæ, ut nihil jam laudabile pariat? Quapropter, quod est ad jura istiusmodi, aliaque horum similia, hodierna Ecclesia Veteri concedit omnino nihil: utque Festum aliquod observantiam ac venerationem omnem a nobis, volentibus vel invitis, extorqueat; sat fuerit Ecclesiam illud statuisse. Ita enim ritissime *Catharinus* post proxime adducta verba: *Nec fuit alia Ecclesia priscorum Patrum ab ea, quæ nostro tempore viget; sed una ejus est & eadem potestas & auctoritas.* Tum & orationem ita concludit:

Sed

Sed hæc in Fratres meos & ipsos quidem Thomistas inducere valde piget, cum hujus Doctrinæ potissimum ipsi debeant esse Magistri. Jure hinc sapientissimo, nostraque ferme ætate, hoc est sub finem elapsi Sæculi *Natalis* ab *Alexandro*, ad suos & ipse Sodales conversus, in rem *Marianæ Præservationis* inquit: „ Auctor sum Fratribus meis Prædicatoribus, ut depositis antiquæ, & jam ANTIQUATÆ Opinionis præjudiciis, cujus tenebras SPIRITUS SANCTUS dispulit (etsi nondum ita plene ac perfecte, ut quæstio ista sit in Fidei luce per Divinam Revelationem, Ecclesiæ factam, constituta) Comunem, Piam & Ecclesiasticam Sententiam, ac Devotionem erga IMMACULATAM Deiparæ Virginis CONCEPTIONEM, amplectantur, prædicent & propagare studeant. „ Hæc *Natalis*, ejusdemmet, cujus olim *Catharinus*, Sacri Ordinis *Prædicatorum* Scriptor celeberrimus. Utinam ei *Lampridius* juxta & *Valdesius* auscultassent, ac monenti paruissent!

In Hist. Eccl. Sæculi 13. & 14. Cap. 3. art. 23. Scholio IV.

CAPUT

CAPUT XVII.

Quanti semper facta a Patribus ac Theologis præstantioribus Ratio, ex Precibus & Ecclesiæ Cultu deducta? Refutatur Lampridius, nihil ex Festo Virgineæ Conceptionis evinci contendens. An tanta in Piam Præservationis Sententiam Certitudo promanet ex Conceptionis Celebritate, quanta ex Solenniis Nativitatis in ejusdem Sanctitatem in Utero? *Vasquius quidem id negavit ætate sua, in quam, non vero in Auctorem, culpa est omnis refundenda. Confertur argumentum istud, ex Cultu & Festo acceptum, cum illo, quod trahitur ex Apotheosi, seu Canonizatione Sanctorum: simulque Eximii Suarez adsertum, a Valdesio prolatum, excutitur atque ad trutinam revocatur. An Præservationis Sententia æquiparari possit Canonizationi Sanctorum? Egregium ad rem monitum doctissimi Thomassini.*

PRæclara exstat *Cælestini* I. Papæ (ni potius *Prosperi* Aquitani, aliorumve) sententia in Epist. *ad Episcopos Galliæ* Cap. VIII. ad rem maxime consentanea: *Legem credendi statuit lex supplicandi*: relataque est Tom. III. *Conciliorum* Labbæanæ Editionis col. mihi 475., dataque anno 432., duobus scilicet annis ab obitu *S. Augustini*, Hipponensis Episcopi, ac pene centum ante Synodum *Arausicanam* II. (vulgo *d'Orange*), qua *Semipelagianorum* sententia anathemate primum, ut fertur, confixa est, atque *hæreseos* ei nota inusta. Etenim ad annum usque 529., quo coacta fuit dicta Synodus, Ecclesia nondum illos damnarat, imo satis prudenter ad illud usque tempus cunctando toleravit. *Cælestinus* itaque, quo Catholicam doctrinam assereret, ac *Semipelagianos* exarmaret, ad *Ecclesiæ* arcem confugit, hoc est ad *Orationes*, ad *preces publicas*, quibus ex vetere instituto utebatur Ecclesia ad petendam a Deo *Fidem*, seu *Fidei initium*, quam illi libero duntaxat hominis arbitrio,

bitrio, non Dei gratiæ acceptam referebant. Ex illis autem Ecclesiæ *Precibus*; seu ex illa *precandi* consuetudine (scilicet pro *Infidelibus* in Parasceve) conficiebat, ceu quid indubitatum ac certum, Romanus Pontifex, initium *Fidei*, bonæque voluntatis ex Deo, ejusque gratiæ beneficio esse repetendum. Propterea in illos ait: *Legem credendi statuit lex supplicandi*. Et sane, *si hæc supplicandi lex* (ut non inscite *Catharinus* commentatur) *falsa fuerit*, *etiam lex illa credendi erit falsa*; *quod est horribile in Ecclesia sentire*, *& in dedecus & magnam Fidei nostræ injuriam* vergit. Idipsum quoque *Augustinus* sentiebat vel ante *Cælestinum* eadem in caussa, ut supra innuimus *Cap. XV.*, ubi & ejus in hanc sententiam verba a nobis laudata sunt, nec est necessum denuo heic ob oculos sistere. Etenim iisdem instructus armis *Augustinus* & ipse in aciem prodiit, ex *Precum Ecclesiasticarum* armamentario depromptis, quibus *Semipelagianæ Factionis* Prodomos adortus est, feliciterque debellavit. Illa ergo *orandi* ratio, ab Ecclesia usurpata, *Augustino*, ac *Cælestino* instar decreti erat, quo jugulabatur opinio *Semipelagianorum*, vel antequam exoriretur.

Toties cit. D.ssert. ad PP. Trident. col. 54.

Quod autem de Ecclesiæ *Orationibus*, pari, ni potiori etiam jure de solemni ejus *Cultu* edicendum. Certe in hoc uno tam gravissimum inesse pondus, & ubique, & semper, & ab omnibus creditum est, ut Religiosi hominis officium sit, id, quod ad *Cultum* nominatim proponitur, in dubium neutiquam revocare, inficiari autem Irreligiosi prorsus, atque Erronei. Audiamus, quid olim Patres, quidve dein Scholæ Principes hac de re judicarint, tradiderintque. Chorum ducat Sanctus *Hildephonsus* [nisi is sit *Paschasius Ratbertus*] in Libro, quem alias citavi, *de perpetua Virginitate B. Mariæ*, ubi perbelle sic argumentando procedit: *Quia ejus* [id est Mariæ] *Nativitas tam solenniter colitur*, *CONSTAT ex auctoritate Ecclesiæ*, *quod nullis*, *quando nata est*, *subjacuit delictis*. In eandem quoque sententiam *SS. Petrus Damiani* & *Bernardus* Claravallensis. Ille quidem Serm. 23. de *Nativitate S. Johan. Baptistæ* disertis hisce: *Quamquam & de singulari Virgine NULLA sit AMBIGUITAS*, *quin ipsa maternis circumsepta visceribus*, *sublimiore Sanctificationis genere mundata sit*; utique ex eo id colligens, quod illius *Nativitatem*, ut inibi subdit paulo post, *in auctoritatis arcem Ecclesia receperit*, hoc est festis laudibus prosequatur. Iste vero, seu *Bernardus* Serm. 2. *in Assump. B. Mariæ* num. 8. de Diva Matre loquens ait: *Minus a Jeremia sanctificatam in utero* (Virginem

ginem) *aut non magis a Johanne Spiritu Sancto repletam credere PROHIBET Pietas Christiana; nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non SANCTA nasceretur*. Reliqua *Bernardi* loca, quæ huic ipsi caussæ meliori etiam titulo favent, alio in loco nuper allegavimus ex ejusdem *Epist.* 174. Adde & *Petrum Blessensem*, Scriptorem Sæculi XII. haud sane inglorium, cujus istud est de *Assumptione* Virginis in Serm. 28. perspicuum testimonium: *Hodie verisimile est, quod B. Virgo & animæ beatitudinem, & Corporis glorificationem adepta est. Quod ne cui veniat prorsus in DUBIUM, auctoritatibus adstruimus, opinando tamen, non asserendo. Hodierna clamat Oratio: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit &c.* Ait, *verisimile esse*; quippe id neque *Fidei* firmitate, neque *demonstrationis* claritate satis munitum habet. Hi ergo omnes Deiparam probant fuisse aut in Cœlos *corpore* etiam adsumptam, aut *Sanctitate* auctam, antequam ederetur in lucem; idque præcipue ex *precibus* & *cultu*, quem seu *Nativitati*, seu *Assumtioni* a tot retro Sæculis deferri Ecclesia ipsa mandavit, ita ut id omnimodis *constare* asserant, nec de Mysteriis ejusmodi quempiam patiantur *ambigere*, nedum ea aperte negare.

Consonant huc autem, & in idem conspirant duo illa *Scholæ* magna columina *S. Thomas*, & *S. Bonaventura*, quorum licet verba alibi dederim, heic tamen iterum dare abs re non erit. Ita namque Seraphicus Doctor: *Statuta universalis Ecclesiæ de Sanctorum celebritatibus omnino fundata sunt super Sanctitatem, ut nullo die pro aliquo Sancto solemnizet, in quo vel pro quo Persona SANCTA non fuerit, cui honor ille defertur*. Et ibidem *Quæst.* 3. sequenti: *Pro INDUBITATO*, inquit, *habet Ecclesia, quod B. Virgo fuerit in utero sanctificata; & illud ex hoc PATET, quod ejus Nativitatem ECCLESIA CELEBRAT; quod non faceret, nisi Sanctificata esset*. Idemque, sed aliis verbis, Doctor Angelicus: *Ecclesia celebrat Nativitatem Beatæ Virginis; non autem celebratur Festum in ECCLESIA, nisi pro aliquo SANCTO: Ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit SANCTA: fuit ergo in utero Sanctificata*. Ea igitur & *Bonaventuræ*, & *Thomæ* firma, fixaque sententia erat, videlicet si Ecclesia, maxime *universa*, aut *Romana* saltem, alicujus seu Personæ, seu Mysterii celebrat Festum, eidemque Religiosum impendi Cultum jubet; quin illud, cui Cultus decernitur, prorsus *Sanctum* sit, nemini fas esse dubitare. Hinc obiter disces, quod & ante de *S. Bernardo* a nobis constitutum est, Sanctos hosce

In 3. *Sent.* Dist. 3. quæst. 1. Art. 1. *Part.* 1. ad 4.

III. *Part.* Quæst. 27. *Art.* 1.

Ecclesiæ Doctores, vulgo *Angelicum* & *Seraphicum*, si modo viverent, totis procul dubio viribus Piam & Ecclesiasticam de *Innoxia Conceptione* Sententiam amplexaturos esse, aliterque, ac olim, de illa nunc scripturos. Cujus rei unum e multis testem damus, illustrem sane atque in Critica etiam facultate exercitatissimum, videlicet *Natalem Alexandrum* de Magistro suo *D. Thoma* ita censentem: *In quam* (puta Sententiam de *Præservatione* Virginis a peccato Originali) *toto devotæ mentis, & Ecclesiæ propensionem semper sequentis affectu, iturum Angelicum Doctorem NULLATENUS DUBITO, si illa Sententia communi veluti consensu Piorum recepta & stabilita, atque ab Academiis celeberrimis adoptata ac defensa, & ECCLESIÆ approbatione ac favoribus altiores in animis Fidelium radices agente, scripsisset.* Quin etiam subjungit, cum *Johanne a S. Thoma*, primi subsellii *Thomista*, probabilius sentiens, *communem Doctorem in Summa sua Piam de Immaculata Deipara Conceptione Sententiam* (secus ac vulgo creditur) *non impugnasse, sed aliam omnino subvertisse hypothesim*, ut liquet intuenti. Unde & Sanctus *Ludovicus Bertrandus* Sacri Ordinis Prædicatorum, referente *Vincentio Justiniano* ejus coævo ac valde familiari, adeo firmiter Piæ id genus adhæsit Sententiæ, ut sæpius dixerit: *Omnes antiquos Doctores, qui oppositam sententiam probaverunt, suam opinionem absque DUBIO mutaturos, si hoc nostro tempore vixissent.* Obiit autem clarus miraculis *S. Ludovicus* VII. Idus Octobris anno 1581., & a *Clemente X.* Sanctorum Fastis adscriptus est. Quid, si videre sibi licuisset Constitutiones & Decreta *Pauli V.*, *Gregorii XV.*, *Alexandri VII.*, necnon *Clementis XI.* hac de re, hoc est de Virginis *Conceptione*, ab omni labe *Immuni*, lata atque evulgata?

In *Hist. Eccl.* Seculi II. *Dissert.* 2. Schol. 4.

in Additionib. ad *Vitam S. Ludovici* Cap. ult., & in Tract. de Concept. Immacul.

A tantis Magistris, veræque Sapientiæ Ducibus haudquaquam discrepant cæteri Eruditi viri, ac Theologi celeberrimi, ex quibus aliquot heic produxisse supervacaneum non erit. Primum teneat locum Eminentissimus *Baronius*, qui de corporea Virginis *Assumtione* loquens, ex *sacris Ecclesiasticis precibus*, sive ex Ecclesiæ *Cultu* Sanctissimam Dei Genitricem Mariam una cum sacratissimo *Corpore* in Cœlum fuisse receptam, tam firmiter constanterque adserit, ut, se judice, *nullus remaneat DUBITANDI locus; adeo ut perfrictæ* (pergit) *frontis & procacis sit animi indicium ECCLESIÆ UNIVERSALIS usui, & tot Patrum sententiis non acquiescere; maximamque omnium esse temeritatem his omnibus contradicere.* Sequitur *Natalis Alexander*, paulo an-

in *Annal. Eccl.* ad ann. 48. n. 17.

cit. Secul. 2. *Hist. Eccl.* Cap. IV. Art. 3. § [illegible] ad fine.

lo ante laudatus, qui licet SS. Patres & Auctores *antiquos* in Ecclesia spectatissimos hac de re, id est de *Assumtione corporea*, dubitasse contendat, attamen *eam ut PIAM, ac congruis rationibus PROBABILIOREM* amplectitur: quare? *Quia*, inquit, *ut talem amplectitur ECCLESIA*; addens: *imo nunc TEMERITATIS notam non effugeret, qui de illa DUBITARET*. Succedit tertio Cardinalis *Gottus*, in eum, qui *Assumptionem* negaret, ita statuens: *Negantem Beatam Virginem fuisse ad Cœlos cum Corpore assumptam, fore vehementer SUSPECTUM de hæresi; non quia præcise communi credulitati sese opponeret, sed quia præsumeretur hoc ex judicio ERRONEO procedere, nimirum quod ECCLESIA UNIVERSALIS proponeret B. Virginem sub titulo FALSO colendam*, seu quod Falsum Objectum a Fidelibus celebrandum eo nomine designaret. Et longe etiam antea *Melchior Canus*, insigni eruditionis & eloquentiæ fama Tridentino in Concilio celebris: *Beatam Virginem non esse in Cœlos cum Corpore assumptam, quod licet Fidei minime adversum sit, quia tamen communi ECCLESIÆ consensioni repugnat, petulanti TEMERITATE diceretur*. Affinia nuper & *Jacobus Hyacinthus Serry*, qui, tametsi non neget, vel ipsam olim *Ecclesiam* cum nonnullis *Patribus* ea de re dubitasse; id tamen ex *hodiernæ Ecclesiæ* in primis auctoritate atque suffragio fidenter asseruit, lateque probavit, nimirum *Virginem non animo tantum, verum etiam Corpore in Cœlos assumptam, pie ac religiose tenendum esse, nec nisi INGENTI TEMERITATE negari hodie posse*. Deinde ad objectatam *priscæ Ecclesiæ* dubitationem, anxietatem, hæsitationem eodem loci *sub exitum* reponit: „ Sit ita porro, ac de ipsa tunc temporis dubitarit „ Ecclesia: ex quo tamen novis a Deo acceptis luminibus, „ dubitationem excussit, rejectoque Spurio (*Hieronymi*) Sermone *de Assumpt.* (*inter precum Officia olim recitari solito*) „ eas Patrum Homilias legere cœpit, quibus Corpoream Virginis Assumptionem publice profitetur & colit; pietatem „ quoque nostram, ac religionem, ut idem profiteamur „ atque colamus, inducit. Nec pensanda modo pristinæ „ Ecclesiæ, si qua olim fuerat, dubitatio; sed hodierna „ professio, piaque credulitas æmulanda, tenendaque est. „ Claudat Theologorum agmen *Gregorius de Valentia*, ille ipse quem *Valdesius* in sui rem laudavit pag. 55. Hic enim doctissimus in *Academia Ingolstadiensi* Professor, quamvis probe sciat, *Sanctitatem Virginis* ante ipsius Ortum inter *Fidei* articulos, creditu necessarios, neutiquam relatam esse (nulla quippe extat *Eccle-*

Tom IV. de *Verit. Relig. Cath.* Cap 41. § 2. edit. Rom. 1736.

Lib. 12. *de locis Theol.* Cap. 10.

Exercit. LXVI. num. I. & VI.

Ecclesiæ definitio: deest quoque *Scripturæ* testimonium, ac sufficiens *Traditio*, quæ Divinæ a nobis fidei assensionem exigat); nihilo tamen secius, ex quo maxime ejus *Nativitas* solenni ritu ab *Ecclesia* colitur *universa*, ita sane movetur, ut conclusionis loco in hunc modum decernat: *Sententia*, quæ adserit *B. Virginem fuisse Sanctificatam ante ipsius Nativitatem*, *est omnino CERTA* (subaudi infra Fidem) *in ECCLESIA*, *ita ut absque ERRORE non possit negari*. Quod vero non eadem ille statuat & de *Marianæ* Sententia *Præservationis*, quam fusissimo tuetur calamo ibidem paulo post, seu *Puncto II. sequenti*; unum id in caussa fuit, videlicet quia expresse non *toti Ecclesiæ* ævo suo imperatum erat celebrare *Conceptionis* Festum tanquam *Immaculatæ*, ac nondum Opinioni contrariæ quoquo modo prodire erat vetitum, quemadmodum deinceps insequuti Pontifices *Paulus V.*, *Gregorius XV.*, & *Alexander VII.* perspicuis verbis præstitere. Quinimmo, tempore, quo *Commentaria* isthæc sua typis credidit, anno scilicet 1597., modus, a nonnullis usurpatus, celebrandi id genus Festum sub *Sanctificationis* nomine, aut non subintellecta *Præservatione*, ab Ecclesia *tolerabatur*, ut ille ipse diserte innuit eodem loci §. *Quarto idem probatur*. Mirum proinde haud fuerit, quod vir modestissimus paria non scripserit de *Præservatione* Virginis, atque adeo ab inurenda *Erroris* censura oppositum adserentibus (*Pio V.* tum prohibente) omnino sibi temperarit. Alioquin vero inferius §. *Sexto idem patet*, non incertam, non dubiam habuit *Præservationis* Sententiam; quin etiam viris quam plurimis, iisque doctissimis haud inlubenter subscribit, *usque adeo veram esse hanc Sententiam existimantibus*, *ut eam quoque tanquam OMNINO CERTAM* (inquit) *definiverint*.

Tom. IV. Comment. Disp. 2. Quæst. 1. Punct. 1.

Tantum ergo apud omnes vere Catholicos & auctoritatis & roboris semper obtinuit *Ecclesiæ* sensus, preces, & Cultus, ut id, quod explicate ac manifeste ad *Cultum* ab ea proponitur, nemo velit in dubium vertere, nec etiam possit. Sapienter hinc admodum S. Thomas: *Dicendum*, ait, *quod MAXIMAM habet AUCTORITATEM Ecclesiæ consuetudo*, *quæ semper est in omnibus æmulanda*, *quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet*: *unde magis standum est auctoritati ECCLESIÆ*, *quam auctoritati vel Augustini*, *vel Hieronymi*, *vel cujuscumque Doctoris*. Quod si hæc *Angelicus Doctor* de sola *Ecclesiæ consuetudine*, illa etiam, quæ per terrarum loca regionesque variari potest sine ullo dispendio; quid de illa, quæso, quæ ubi-

2. 2. Quæst. X. Art. 12.

ubivis servatur gentium, quæque vel ab *ipsa Apostolica Sede* commendata est, ac præcepto etiam munita? Sane cum *Augustino* lubentissime pronuntiaret: *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare INSOLENTISSIMÆ INSANIÆ est.* Quapropter, quam mereatur, sibique ipse consciscat censuram *Lampridius*, quum *pag.* 90. præfidenter scribit, *ex Mariana Conceptionis Festo nihil evinci posse ad dignoscendum, fuerit ne, an non, Virgo exempta ab Originali peccato*; facile est ad intelligendum. Si enim *nihil* (eo docente) *ex Festo evinci potest:* ergo inaniter *Augustinus* adversus *Vitalem Carthaginensem*, Semipelagianismi insimulatum, ad *Ecclesiæ Preces* provocasset; inaniter quoque & inscite *Cælestinus I.* in ejusdem factionis homines intorsisset: *Legem credendi statuit lex supplicandi.* Frustra etiam ac temere *SS. Hildephonsus, Petrus Damiani*, & *Bernardus* (quibus & *SS. Bonaventura* & *Thomas* adtexendi) ex *Assumptionis* Festo & *Nativitatis* intulissent, plane *constare*, ac ne *ambigendum* quidem esse, quin Mater Domini ante *Sancta* fuerit, quam *nata*, itemque post obitum Anima simul & Corpore ad Cœli gaudia exaltata. Frustra denique, atque ineptissime & reliqua *Theologorum* natio, virorumque illustrium, quippe qui a tantis Ducibus [ut ita dicam] decepti, eodemmet uno ex fonte usque adeo indubitatas, veras, certasque persuasere sibi cum *Sanctæ* Nativitatis, tum *Corporalis* etiam Assumptionis Sententias, ut de iis quemlibet vel *dubitantem*, nedum inficias euntem, extremæ *temeritatis* nota afficiendum esse palam edicant. Scilicet *cæci sunt, & Duces cæcorum.* Sed fruatur sane hoc solatio *Lampridius*, si velit: atque hanc insignem ignominiam, quoniam iis unis præter se inusta est, putet esse leviorem. Hanc ei laudem minime invidendam censeo; atque etiam, ubi alterutrum necesse esset evenire, malim ego errare cum talibus, quam cum mortalium audacissimo, qui sic oblatraret, recte sentire.

Epist. olim 118., nunc 54. Cap. 5. num. 6. ad Januarium.

At huc advocare mihi videor *Lampridium*, quo se ab hoc nodo expediat, doctissimi *Vasquii* verba afferentis: *non tam certo colligi posse* ex cultu Ecclesiæ *Immaculatam Virginis Conceptionem*, *quam ex celebritate Nativitatis Sanctitas illius colligitur.* Cujus quidem assertionis rationem is adtexit in hæc verba: „ Nam Summi Pontifices Ecclesiæ ita instituerunt celebritatem Conceptionis, & Officium illius approbarunt, ut nihil de Fide certum de illa definitum esse voluerint; quin potius unicuique integrum esse, quam partem vellet amplecti, sicut infra dicemus. Ut autem hoc Festum Fidelibus concederetur, sa-

In 1. Part. Disputat. 117. Quæst. 27. Art. 2. Cap. 5. num. 72.

„ tis

„ tis illis fuit existimare hanc Opinionem probabiliorem & magis Piam esse: nihil enim damni, multum vero utilitatis Fidelibus ex celebratione hujus Festi, etiamsi in sola Opinione Sanctitas illius posita esset, provenire posse jure existimarunt. Contra vero, cum ita Ecclesia citra controversiam ullam inter Fideles credat immaculatam & Sanctam B. Virginis Nativitatem fuisse, & hoc sensu celebrandam Populo Christiano instituerit, recte quidem ex tali celebritate juxta mentem Ildephonsi & Bernardi colligimus, ita CERTUM esse debere Fidelibus B. Virginem sine peccato natam fuisse, ut oppositum asserentes non tantum TEMERITATIS, sed ERRORIS etiam merito insimulari debeant „ Hæc quidem, fateor, ætate sua *Gabrielem Vasquez* scriptis mandasse, sed in Opere *posthumo*, primumque in lucem emisso anno 1611., hoc est tunc temporis, quum per *Pianam* Sanctionem liberum etiamnum erat cuique tenere, atque adserere utramque partem, *quod scilicet fuerit vel non fuerit* B. Virgo *concepta cum peccato Originali*; atque etiam tunc, quum erant adhuc, qui ex Ecclesiæ tolerantia ejusmodi Festum expresso non *Conceptionis*, sed *Sanctificationis* duntaxat nomine celebrabant. At vero, quoniam insequutis temporibus, nempe post Decreta *Pauli V.* & *Gregorii XV.* per *Alexandrum* deinceps confirmata, talia sentire ac facere fuit, & est omnino vetitum: quis non inde oppositum inferat, dicatque, æque *certo* colligi ex *Conceptionis* Festo *Immunitatem* Deiparæ, quam *certo* ex celebritate *Nativitatis* ejusdem *Sanctitas* colligatur? Quam ergo in id *Vasquius* accivit, exeruitque rationem, si quid valebat olim, hodie plane nihil eam valere, neque sequi nunc, quod olim ex illa sequebatur, tam cuique est certum, quam quod certissimum. Ac proinde ejusmodi qualiscunque lapsus temporum hercle vitium est, nec *Vasquio* unquam censeo tribuendum; quippe cui si memorata *Pontificum* Decreta videre licuisset, ipse ille procul dubio & lapsum agnosceret, & litura emendaret.

Ut ut tamen futurum sit; illud saltem certum, minus heic recte suspexisse, imo & a vero prorsus deviasse virum alias Cl., ac Theologum celeberrimum. An id mirum, infandum, aut insolitum, quæso? Etenim illum & coarguit palam, & quam validissime refellit non æmulus, non exterus, non hostis, sed amicus, socius & contubernalis, scilicet *Thyrsus Gonzalez*, pius sane atque eruditus Theologus, quem heic describere satius ducimus, quam quod ille sentit, nostris verbis admonere. Loquitur

quitur autem in hunc modum: *Verum hac doctrina* (Vasquezii) *mihi placere non potest: nam ex Festo Conceptionis non minori CERTITUDINE colligi potest illam fuisse Sanctam, quam ex Festo Nativitatis colligatur Sanctam fuisse Nativitatem. Nam utrobique colitur absoluto Cultu utrumque Mysterium, & eodem Officio & eadem Missa cum sola mutatione nominis* Nativitas *in nomen* Conceptio: *& in neutro Festo definitur (de Fide* intellige) *Sanctitas, quæ est motivum illius.* Pensandum porro rite velut in bilance, quod a Viro perquam docto eandem in rem post pauca subducitur: *Nec ad instituendum Festum Nativitatis præcessit illa certitudo de Sanctificatione Virginis intra uterum, quæ modo colligitur ex ipso Festo: nam ante istud institutum, non esset impium & erroneum negare Nativitatem fuisse Sanctam; imo non deerant tunc, qui existimarent B. Virginem non fuisse Sanctificatam in utero, ut supra* (inquit) *observavimus.* Ex hac vero nonnullorum (si qua reipsa fuerat) contradictione, seu potius dubitatione, nullum sane præjudicium adfertur Ecclesiasticæ pervagatæ Sententiæ de *Sanctitate* Deiparæ, qua est a Deo repleta ante *Nativitatem*. Idemque prorsus dixeris non solum de *Assumptione*, verum etiam de ejusdem *Conceptione*. Nam paucorum opinio Doctorum eam vim non obtinet, ut aliis aliter, meliusque sentientibus officere quicquam, multoque minus ut communem *Ecclesiæ* fidem, sententiam, atque auctoritatem labefactare vel possit, vel debeat. Adeoque, quemadmodum *Nativitatis* Festum non ea præcesserat *Certitudo* de *Sanctitate* Virginis nondum natæ, seu maternis adhuc visceribus clausæ, quæ ex Festo jam instituto postmodum exorta est, ita nec tanta *Certitudo* præcessit institutionem Festi *Assumptionis*; sed quid ajo *Assumptionis?* ne *Conceptionis* quidem Festum *Certitudo* tanta de *Mariana* antevertit *Immunitate* unquam, quanta ex ipso datur Festo inferri, postquam Ecclesiæ Proceres illud indixerunt, alboque jam calculo comprobarunt. Nempe (ut cum *Vasquio* loquar) Pontificibus Summis, ceterisque Ecclesiæ Rectoribus, non modo ut *Conceptionis* Festum conderent, sed etiam *Nativitatis* & *Assumptionis*, sat fuit existimare, Mysteria hæc omnia, ut abhinc Sæculis bene multis coluntur a Fidelibus, multo *probabiliora* esse magisque *Pia*, quam sint, aut olim fuerint eorum opinationes, qui quomodolibet in transversum abierunt. Nihil quippe damni, contra vero multum utilitatis ex ejusmodi celebratione Festorum [tria enim ista Divæ Matris Festa, ut alibi demonstravimus, uno eodemque in censu sunt] ad Populum Christianum redundatum iri, nemo non videt: atque ideo,

Tract. sitas cit. de Immac. B. V. Concept. Disp. 2. Sect. 16. § 4. num. 176.

præeuntibus Patribus cunctisque Theologis, uti ex celebritate *Nativitatis*, itemque *Assumptionis* recte colligimus, adeo omnibus *certum* esse debere, B. Mariam Virginem fuisse & sine peccato natam, & corpore simul ad Cœlum evectam, ut nec dubitari sine *temeritate*, nec sine *errore* negari a quoquam possit; quidni pariter ex *Conceptionis* Solennitate conficiamus ita esse jam *certam* Inmunitatem, ut *oppositum asserentes non tantum* temeritatis, *sed erroris etiam merito debeant insimulari*? Profecto *S. Bernardus* usque adeo id pro comperto habebat, ut ea ipsa in Epistola 174., quam multoties laudavimus, & in qua ejus generis Festum aut minus probat, aut etiam carpit, sic interrogando argumentetur: *Quo pacto Festus habebitur* Dei Genitricis *Conceptus*, *qui minime SANCTUS est*? Nuncque e contrario diceret: *Quo pacto minime Sanctus erit Virginea dies Conceptionis*, *qui omnibus Festus est atque ubique locorum solemniter cultus*? Unde jure meritoque *Michael Godinez*, latine nuper redditus ac Romæ recusus probante Sacri Palatii Apostolici Magistro, hæc habet: *Conceptionis*, *Nativitatis*, *& Assumptionis Deiparæ Mysteria*, *etsi Fide non sint Certa*; *tamen CERTITUDINE gaudent infra Fidem*: *ita ut TEMERITATE saltem non vacaret in dubium illa revocare*, *ut opinor*. Opus *Godinez*, unde hæc decerpsimus, ab *Emmanuele Ignatio de la Reguera* commentariis illustratum, *Benedicto XIV.* feliciter regnanti Romanis typis inscriptum est anno 1740.

In *Praxi Theol. Mystica* Tom. I. *Lib.* 2. Cap. 10. 11. & 12. in *Scholio* num 614.

Corrugabit ad hæc, opinor, frontem *Lampridius* noster; videnſque in *Vasquio*, quem exerit sub *Valdesii* nomine *pag.* 49., nihil se posse proficere (ut hercle nihil proficit, nec proficiet unquam), animum tamen non despondet; quin potius vires intendens majore nisu, ad Eximium *Suarez* se convertit, exque illo *pag.* 48. hæc de *Conceptionis* Festo verba depromit, objicitque: *Addo*, *neque ex Festi celebritate colligi posse tantam Certitudinem*, *quanta in alicujus Sancti Canonizatione esse solet*; *quia ipsemet Pontifex*, *qui hoc Festum approbat*, *declarat*, *se solum probare Sententiam illam ut Piam*, *magisque Probabilem*. *Quod satis est*, *ut Pie & sine ullo periculo possit hoc Festum celebrari*. Verum in hanc *Suarezii* doctrinam insurgit *Gonzalez*, ejusdem & nationis, & Societatis Theologus sat celebris, loco proxime citato *num.* 173. in hunc modum: *Pace tanti Doctoris*, *falsum mihi apparet hoc assertum*: *nam Sixtus IV.*, *qui hoc Festum instituit*, *in neutra ex suis Constitutionibus*, *Juri communi insertis*, *declaravit*, *se solum probare Sententiam de Immaculata Conceptione ut Piam*, *magisque*

Tom. 2. in 3. *Part.* Disp. 3. *Quæst.* 27. Art. 2. *Sect.* 6.

gisque Probabilem, *ut attente legenti constabit*; *nec ullam Clausulam EXCLUSIVAM CERTITUDINIS apposuit*, *licet abstinere voluerit a definienda veritate illius Sententiæ*. Ita ille, quocum & ego dictis addens, Eximium Doctorem *Suarium* hoc ipsissimo in loco, per *Valdesium* laudato, luculenter agnoscere ac docere, etsi non *tanta*, *quanta* in Canonizatione seu Consecratione Sanctorum, promanet tamen *aliqualis* saltem *Certitudo* ex Cultu & Festo in Piam *Præservationis* Sententiam. Unde videas, quam male rebus suis consulat *Valdesius*, quum pag. 49. post relata *Suarii* verba & aliorum conficit, *ab eximiis Theologis statui*, *NIHIL CERTITUDINIS ex eo Festo consequi in Piam Sententiam potuisse ac posse*. Profecto, vera adeo ac *Certa* visa est *Suario* Sententia *Immunitatis* Deiparæ, ut Opinionem oppositam nec *Piam* esse censeat, nec *Probabilem*, sed omnino *Falsam*, ita ut ab Ecclesia probari aut *definiri* nunquam possit. Lege Doctorem Eximium, ac primæ notæ Theologum eo ipso in loco, quem *Valdesius* laudavit, simul etiam ejusdem *Sectionem V.* proxime præcedentem. Plurimum autem refert scire, quo tempore *Suarez* ea vulgaverit, quæ nobis heic *Valdesius* obtrudit. Scilicet longe ante *Alexandrinum*, imo & *Gregorianum*, ac vel *Paulinum* Decretum hæc ille typis mandarat, atque in lucem emiserat, hoc est anno 1591. Eo enim tempore nondum per Apostolicam Sedem Objectum Cultus ejusmodi sat erat (quorundam Sententia) declaratum ac definitum: nondum Opinioni contrariæ silentium erat indictum: nondum *Sanctificationis* nomen, seu aliud quodvis a *Conceptione* diversum, ex penso Ecclesiastico, ex Canonicis Precibus exterminatum: denique nondum Virginis *Immunitas* a primigenio peccato in Ecclesiarum *Catechismos* Pontificia auctoritate invecta erat; quod postea factum, ut infra indicabimus. Hæc sua si vidisset ætate *Suarius*, quis illum scripturum credat: *Neque ex Festi celebritate colligi posse tantam Certitudinem*, *quanta in alicujus Sancti Canonizatione esse solet?* Concorda igitur tempora (ut veteri Jurisperitorum in proverbio est), & facillime concordabis Jura.

Verum enim vero, locus poscit, ut huic rei enodandæ uberiorem paulo operam impendamus, inquirendo, an quod est ad *Certitudinem*, quicquam intersit discriminis *Marianam Immunitatem* inter, & *Canonizationem* Sanctorum? seu clarius: an tam Certum sit, B. Virginem *in Gratia* fuisse conceptam, quam est Certum decessisse *in gratia* Sanctos illos, quos Ecclesia canonizavit, non quidem explanate ac nominatim definiendo eorum Obitum *in gratia*, sed eorum tantum-

 mo-

modo Cultum publicum decernendo? quo quidem modo complures Sanctos primæ etiam ætatis, nedum postremæ, canonizatos ab Ecclesia fuisse, neminem fugit. Videatur, si lubet, *Azorius* Tom. 2. Lib. V. Cap. 6. Quæst. 3. Priusquam vero, quod heic sentio, quodque res est, ego dicam; certa nobis sunt ab incertis secernenda. Incertum est quippe, nec sane apud omnes indubitatum, Canonizationem Sanctorum ad Fidem Catholicam pertinere: qua de re pertinax contentio est inter Theologos. Sunt enim ex iis bene multi, itidemque doctissimi, quibus videtur ad Fidei dogmata non spectare illorum Sanctitas, quos Ecclesia solenni decreto inter Cœlites connumeravit. Ita quidem sentiunt, traduntque *Canus* Lib. V. *de locis* Cap. 5. concl. 3., *Suarez de triplici Virtute Theologica* Disp. V. *de Fide* Sect. 8. num. 8., *Vasquez* in 1. 2. Disp. 165. Cap. 9. n. 94., *Raynaudus*, & alii. Reliqui, ac longe etiam plures, ex adverso stant, contendentes Apotheosim Sanctorum ex illarum esse rerum numero, in quibus Ecclesia falli omnino non possit, ac cujusque erroris prorsus immunis sit; adeo ut quos Ecclesia *Sanctos* renuntiavit, non Sanctos credere nihil minus flagitii sit, quam ipsam Divinam Fidem impetere, concutere, atque ejurare. In hac ego controversia Judex assidere non audeo, nec debeo: quin etiam *Mutinensi Theologo* haud ægre concedam, Fidem in tuto esse, etiamsi dicas hoc in caussæ genere errorem posse contingere. Sic enim ille aperte sub *Lamindi Pritanii* nomine Lib. I. *de Ingenior. Moderat.* Cap. 17. in eorum partes concedens, qui Sanctorum Canonizationem ad Fidem minime spectare arbitrantur. Attamen vel apud istos, quos hac in re *Pritanio* sectari placuit tanquam Duces, illud est in confesso, atque extra omnem positum controversiam, non solum *honeste*, *religiose*, ac *pie* coli a nobis, quos Divorum numero accensuit Ecclesia aut Sedes Apostolica, sed etiam hoc in negotio peragendo, sane gravissimo, neutram earum errasse unquam, aut re ipsa errare. Id quod adeo cuique *Certum* est, *Certitudine* scilicet *morali*, quæ omne morale erroris periculum, omnemque prudentem dubitationem excludit, ut ab Ecclesia in caussis istis dissentire *impium* profecto sit, & maximopere *temerarium*. Quam in rem digna hæc est *Cani* sententia loco citato: *Nec tamen impune licet hujusmodi Decreta in dubium revocare; quin temerarium & irreligiosum est, in Divis consecrandis Ecclesiæ abrogare fidem.* Et infra: *Qui fidem in his Ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, sed TEMERARIOS, IMPUDENTES, IRRELIGIOSOS esse credamus.* Sed libentius forte Theologus noster suo auscultabit *Pritanio*, paulo an-

a Tract. de votis. Titul. *Immac. Concept.* §. VIII. num. 13. itemque in *Heteroclitis Spiritual.* Sect. 3. punct. 1.

to ante laudato, docenti: *Non solum pium ac laudabile est hujusmodi Sanctos invocare, & sibi adsciscere Patronos apud Deum, sed etiam IMPIETATEM sapit eorum cultum improbare atque contemnere. Quare a SUSPICIONE HÆRESIS non absit, atque INTOLERANDAM, & pœnis dignam TEMERITATEM ac IMPUDENTIAM præ se ferat, qui rite Cælitum catalogo adscriptos explodat, & in iis, ut ajunt, canonizandis Ecclesiam reipsa, & Romanum Pontificem errasse dicat.*

Ex qua præmissa doctrina quid sit consequens, nullo negotio apparet. Consequitur enim, non absimili censura, pœnisque multandos, qui talia garrire audent de Virginis *Præservatione*. Nam & hanc post institutum solenne Festum, a *Petri Cathedra*, atque a Clero ad universam Christianam Rempublicam propagatum, reapse *canonizatam* ab Ecclesia fuisse, atque adeo *Canonizationi Sanctorum* plane æquiparandam esse, nemo præjudiciis liber, affectuque vacuus jure potest addubitare. Enimvero, *Canonizationem*, quam vocant *æquipollentem*, haberi sane *per Missam & Officium toti Ecclesiæ preceptum*, tradit Eminentiss. *Prosper* de *Lambertinis*, nunc BENEDICTUS hujus nominis XIV. Pontifex Maximus, feliciter regnans. Dum *Lambertinum* ego commemoro, hercle nosti Virum a me laudari eruditissimum, atque in id genus rebus caussisque pertractandis omnium maxime exercitatissimum. Porro, Virgineæ *Conceptionis* sacer ac solennis Cultus, nempe secundum Piam duntaxat *Præservationis* Sententiam Deiparæ exhibendus, quin toti procul dubio Ecclesiæ præceptus sit ab Apostolica Sede, nullus, opinor, inficiabitur, modo Pontificum Romanorum Bullas, in id rei editas, quasque supra percensuimus, rite secum reputaverit, expenderitque. Adde, ejusmodi Cultum a *Clemente XI.* auctum quoque fuisse institutione *Festi de præcepto*, universis Christi Fidelibus probe indicti. Neque vero quis putet, effutiatque, Sanctam Sedem hac in re inconsulto ac temere processisse. Tantam quippe in id judicii maturitatem adhibuit, ac diligentiam, ut assolet, tantam, quanta humanitus potest adhiberi: ut proinde non nisi post longissimum, diligentissimumque examen (parte etiam altera adversante audita), ac sæpius etiam e re nata iteratum, ad ejusmodi & Cultum & Festum probandum, statuendumque accesserit tandem, ac districte ab omnibus servari mandarit. Quis igitur ambiget, *Præservationis* Mysterium ab Sacrosancta Romana Sede, atque ab Ecclesia universa, ut minimum, *æquipollenter* canonizatum fuisse, perinde ac illi fuerunt Sancti canonizati, puta Ro-

Lib.I.de Beatificat. & Canonizat. Sanctor. Cap. 41.

mualdus, *Norbertus*, *Petrus Nolascus* aliique plures, de quibus *Missam* tantum, & *Officium* statis anni diebus ab omni Clero persolvi imperitatum? Quapropter, quod rectissime de *Sanctorum* Canonizatione S. Thomas *Quodlib. 9. art. 16.*, haud tu minus de Mariani id genus Canonizatione Privilegii dixeris: Etsi non necessario, at *Pie* tamen *credendum est*, *quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit*. Hinc non immerito *Lambertinus* citati loci Capite 42. *num. 9.* docet, *temeritate* non vacare dubitantem de Sanctitate ejus, quem Ecclesia etsi tantum per *æquipollentem*, non per *formalem*, ut ajunt, *Beatificationem* Beatorum fastis adscripsit, hoc est per nudam *Officii* aut *Festi* pro aliqua seu Civitate, seu Provincia concessionem: ac proinde quantæ, rogo, temeritatis fuerit obluctari Sanctitati *Conceptionis Virgineæ*, non a Civitate, non a Provincia aliqua, sed ab Orbe Catholico universo, neque ex concessione solum, sed aperto etiam Ecclesiæ mandato quam solennissime celebratæ?

Neque vero cum *Valdesio* pag. 18., miserum plane heic discrimen fingente, dicas: *Nullum Sanctæ Sedis aut Conciliorum Decretum exsistit*, *per quod liberum sit Fidelibus persuadere sibi*, *hunc vel illum Sanctum canonizatum non frui gloria cœlesti*; *in nostro autem casu libertatem hactenus nobis reliquit Ecclesia sentiendi quidquid magis consonum Veritati arbitramur*. Unde enim hanc, quæso, libertatem deducis, quam nobis Ecclesiam reliquisse somnias? An, quo id comprobes, ad *Pianam* Sanctionem, incipientem: *Super speculam Domini*, provocabis? At potestatem hanc, quam olim *viris Doctis* fecit. *S. Pius V.* anno 1570., justissimis de caussis abrogarunt, atque omnino sustulerunt insequuti Pontifices, ut suo jam loco vidimus. Quinimmo *Alexander VII.*, nullo facto verbo *Pianæ* Sanctionis, non modo eam libertatem ademit, dum Decreta *Pauli V.* & *Gregorii XV.* confirmando innovavit, verum etiam conceptissimis verbis vetuit, piam Sententiam, necnon Festum seu Cultum *Conceptionis Immaculatæ*, adducere *in disputationem*, *aut contra ea quoquo modo directe vel indirecte*, *scripto seu voce*, *loqui*, *concionari*, *tractare*, *vel disputare* &c. Ruit ergo funditus discrimen, quod *Piam* inter Sententiam & *Sanctorum* Canonizationem *Valdesius* intercedere somniavit; atque adeo etiamsi Ecclesia, ut publice colat, ac Festum instituat de aliquo tanquam de Sancto, exempli caussa de *Conceptione* B. Virginis, uti *Sancta* atque *Incontaminata*, *probabilitatem* sequatur, & *moralem* tantummodo *Certitudinem*,

dinem, non vero judicium de *Fide* certum; liquido tamen constat, Piam *Immunitatis* Sententiam pari gradu ambulare cum *Canonizatione* Sanctorum, neque huic illam, quod ad *Certitudinem* spectat, quicquam sane concedere. Quod autem de *Immunitatis* Mysterio, idem ipsum & de aliis ejusmodi, hoc est de Mysteriis *Nativitatis* & *Assumptionis* constitutum scias. Nam de id genus omnibus vere *Maldonatus* in Disputatione, quam de *Conceptione Virginis* habuit cum Theologis Parisiensibus: *Animadvertendum est*, inquit, *etiam Ecclesiam suas habere Opiniones: nec enim quidquid illa sentit, sentit tanquam Fide Catholica.*

Attamen ejusmodi Opiniones aut Sententias, *Ecclesiæ* judicio firmatas, & concordi Pastorum studio, ac more Populi Dei rite stabilitas, repudiare atque deserere *impium* profecto est; in dubium autem vertere, omnium maxime *temerarium*. Si enim Ecclesiæ Fides, seu fidei nostræ capita omnigenam flagitant animi demissionem; non secus circumspectionem ac reverentiam in nobis Opiniones ejus desiderant. Qua de re præceptum hoc dedit *Thomassinus*, plane sapientissimum: *Ecclesiæ Fides mentis nostræ est norma, a qua vel quicquam deflectere nefas est; ejus vero Opiniones colendæ quoque sunt. Id secum deputent oportet Catholici, ne vel parum credant, vel nimium ob levitatem; sed sapienter, ad rectæ rationis atque adeo ad Religionis præscriptum cogitationes ipsas componant. Non dubitamus, quin Virgo Dei parens corpore etiam in Cœlo degat*, aut (adjiciam ego) quin & in sui *Conceptione*, & in *Ortu* immunis fuerit ab omni peccati macula, *tametsi Divina Fides hoc minime docet: sed desipere esset legem sibi præstituere vel aliis, quam Ecclesia non tulit, acsi ullus scientia Divinarum rerum illi antecelleret. Quot enim sunt, quæ quum minime rata sint & Divina fide nixa, ad examen tamen vocare non licet? Tollenda prorsus esset omnis humani generis societas, si cohiberi oporteret assensionem, quoties non suppetit evidens ratio vel auctoritas, quæ errori non sit obnoxia. Nemo fallitur, dum Ecclesiæ Opinionibus accedit, quas rationi consentaneas existimat, non ratas ut Dogmata. Ita animum instituere sapientiæ, pietatis, charitatis, moderationis & complurium Christianarum virtutum argumentum est.*

de Festis lib. 2. Cap. 22. num. 10.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Tristis de Mutinensis Theologi morte nuntius perlatus. Indicantur ejus laudes: ejusque mortis genus describitur. De miro Academiarum & Populorum consensu in Piam Immunitatis Sententiam. An, & quo in loco habendus sit confluxus iste? Digna Petavio Sententia in id profertur, quæ adversus Doctorem Mutinensem vindicatur, atque is a Pritanio ipso, seu potius in hoc a semetipso discors ostenditur. Huic Ecclesiasticæ de Præservatione Doctrinæ novum accedit robur ex ipsis Ecclesiæ, potissimum Romanæ, Catechismis, Apostolica auctoritate comprobatis. Quanti Ratio in hac caussa? Lampridianus Valdesius notatus, atque explosus.

DUm hæc scribo; inopinanter atque intempestive ad aures pervenit, Auctorem Clariss., quem mihi hac in re impugnandum proposui, ante duos circiter Menses, hoc est elapso Januario, fatis concessisse, ac ferme octogenarium, agendo scribendoque indefessum simul atque detritum, piam [ut par est credere] cum morte vitam commutasse. Verum rumori istiusmodi, experientia jam doctus præterita, non repente fidem adhibere didici: nam & ante annum, & eo diutius, similis de ejus morte rumor invaluit, plane falsus deinceps deprehensus. Interea ad iter memet accingebam, Romam propediem profecturus, quo vocabar *Comitiorum Generalium* caussa: ideoque credere distuli, quoad certiora mihi in via suppeterent argumenta. Vix autem Italiæ limen adtigi, quum ecce de tanti viri obitu tam constans undique fama insonuit, ut dubitare amplius non liceat: ipseque in reditu (serius licet, quam volebam, hoc est sub anni exitum) *Mutinam* permeans, Parochialem adii Ecclesiam S. Mariæ, *della Pomposa* nuncupatæ, in qua ille diu Parochum egit (quem *Præpositum* vocant), & tumulo etiam inibi datus est; scilicet ut Christianæ in eum pietatis officiis satisfacerem, atque ejus Ani-

Animæ bene precarer. Natum produnt immortalis memoriæ Virum anno 1672. die 21. Octobris: obiisse vero X. Kalen. Februarii anno Jubilæi 1750. sepulcrali docemur epigraphe, in marmore insculpta, ac præfatæ in pavimento Ecclesiæ, publicis æternisque monumentis collocata. Postremum ergo clausit diem Vir immortalitate dignus devexa quidem admodum ætate, hoc est Annos natus 77., Menses tres, dies duos; quanquam non sine omnium mœrore, illorum nempe, apud quos bonæ literæ aliquo in pretio sunt.

Non est meum, neque hujus loci, in laudes, quas est promeritus vir sane Magnus, excurrere: longum item atque molestum universa ejus opera commemorare. Illud breviter dixero, Literatorum orbem in uno hujus hominis funere ingentem sane jacturam fecisse, tametsi non semper (quod nulli mortalium datum est) æquali ipse libra usus sit, nec semper & ubique ipse verus. Utinam felicissimo ingenio non in rebus interdum & attentio & consideratio defuisset! Nusquam enim, nimiæ felicitati suæ indulgens, aut de tantis (ut ego arbitror) tanta scripsisset, aut Libros suos tot identidem mendis hallucinationibusque commaculasset. Certe quod est ad rem, de qua mihi cum illo concertatio; si attentius, ut par erat, si paulo consideratius incessisset, non ea de *B. Virgine* deque Sancta illius *Conceptione* calamo sibi excidere passus esset, quæ nemini docto & prudenti excidissent; neque eam nunc ob caussam se omnium sermonibus sentiret ipse, nec immerito, vapulare. Sunt quoque *Mutinæ* quam plures, pietate non minus, quam doctrina præstantes viri, qui ejus & morbi mortisque genus contuentes, pœnam ipsum subiisse suæ in Virginem irreverentiæ suspicantur. Nam & quinta novendialium precationum die, in honorem *Immaculatæ Conceptionis* Deiparæ publice a *Mutinensibus* susceptarum, nimirum *Decembris* die 3. anni proxime elapsi 1749. unum amisisse oculum; alterum vero XI. ejusdem mensis & anni (hoc est, quarta die infra Octavam ejusdem Marianæ Solennitatis), unaque cum illis omnem omnino lucis hujus usuram Theologum hunc amisisse: tandemque paulo post, id est *Januarii* die XXIII. anni insequentis (qua die Ecclesia *Desponsationis Divæ Virginis* Solemnia agit) extremum efflasse halitum, atque ex hoc mundo abiisse, facti res est, de quo nulla unquam potest controversia suboriri. Qui ergo suspiciosum, durumque huc adferunt in *Lampridium* animum; sunt ne idcirco a moroso quopiam cen-

censore perstringendi ? Perinde enim faciunt, ac majores nostri, illi scilicet vetustissimi, qui & morbis, & subsequuta inde *Heraclii Imperatoris* morte anno *Christi* 641., *incestas* (*Petavio* teste) *incestas cum* Martina, *fratris filia*, *nuptias* illum *luisse* crediderunt. (*) Optarim ego autem, falso id eos suspicari de viro alioquin Pio, atque impense docto, quem & peroptarem esse superstitem, quoad saltem hæc videre posset atque expendere, ne quis vulgatum forsan illud nobis opponat = *Cum mortuis nonnisi larvas luctari*. Verum, non ego in hunc istudiem reservavi, quasi aut caussæ meæ diffiderem, aut *Lampridii* judicium, calamumque pertimescerem ; quippe ipsum & domi suæ ante annos aliquot per *Epistolas* hac ipsa de re conveni, libereque adgressus sum ; quæ si modo proferentur in lucem, nemo, ut reor, erit, qui me ideo sive timoris, sive diffidentiæ incusare ausit citra injuriam. Quod igitur hæc nostra qualiscunque industria, in *Lampridium* capta, tam sero prodeat, eoque jam e vivis evocato ; non aliud plane, quam partim ingenii tarditas, partim assiduæ, quibus distinebamur, curæ, crebraque coacta itinera in caussa fuere : emoriarque, si non magis gauderem ipsum vivere.

Part. I. *Rationar. Tempor.* Lib. 7. Cap. 13. *in fin.*

Nunc autem ut veniam ad rem, ac quo cœpi pede, eodem & sequar : de mira summaque *Academiarum* & *Populorum* consensione in Piam *Marianæ Præservationis* Sententiam nefas plane est subdubitare. Quid enim, amabo, certius, quid notius, quam celebriores Orbis *Academias*, id est florentissimorum hominum Cœtus sane omnes (si paucos olim e Sacro forsan uno dimidiato Ordine homines excipias) in eandem nobiscum Sententiam jamdiu manibus pedibusque concurrere ? Innumeri sunt, quos heic pos-

(*) Simile quid anno 1350. in Polonia accidisse refert *Spondanus* in *Annalium Eccles. continuatione* ad dictum annum num. XXIV. conceptis hisce : *Quo eodem anno* (id est 1350.) *Monachus quidam Cracoviæ in Polonia, Paulus nomine* (*ut referunt ex Henrico de Hassia Carthusiano illius prope temporis Scriptore Ecclesiastico, Magnum Chronicon Belgicum, Longins, Meyerus, & alii*) *cum ausus esset in sacra ad Populum concione dicere, Deiparam Virginem conceptam fuisse in peccato Originali, subito cecidit & expiravit sermone nondum finito ; eaque res aliis multis de eadem materia disputantibus grandem incussit timorem. Quod miraculum* (inquit Spondanus) *mirabamur non retulisse in suos Annales neotericum Scriptorem Polonum, in lectione prædictorum Auctorum versatissimum, qui quamplurima longe minoris momenti inserere consuevit ; cum recordati sumus ; non esse hoc ex palato suo, suæque Familiæ.* Usque hactenus *Spondanus* loco citato.

possem, si necessitas postularet, ejus rei, tam pellucidæ, testes inducere. Unum alterumve adduxisse sat sit, ne plures conglobando ridendum cunctis me præbeam. *Thomas de Vio Cajetanus*, *Card. S. Sixti*, quanquam *Piæ* alias non addictus *Sententiæ*, libere tamen jam ab anno 1515. fassus est in hæc verba: *Doctores tenentes B. Virginem esse præservatam* (subaudi a peccato Originali) *sunt numero INFINITI*. Luculentius autem, expresso etiam *Academiarum*, seu *Universitatum* nomine, sub annum 1578. *Bartholomæus a Medina*, Primariæ *Theologorum* Cathedræ apud *Salmanticenses* Præfectus, ejusdemque cum *Cajetano* Sodalitii (id est, ambo ex inclyto Ordine *Prædicatorum*) de *Virginea Immunitate* sic loquitur: *Suffragantur huic Sententiæ OMNES UNIVERSITATES Studiorum, in quibus Viri DOCTI & MAGISTRI sequuntur hanc Sententiam; & maxime Schola PARISIENSIS, reliquarum Parens & Magistra*. Et quoniam *Parisiensis* Scholæ heic mentio incidit, abs re non erit perenne illud Pietatis monumentum erga Deiparæ *Præservationem*, quod *Sacra Facultas* anno 1497. edidit, in Lectoris rem subjicere atque exhibere. Ita enim sonat: „ Cum multas, MAJORES NOSTRI, fortissimi ac strenuissimi *Catholicæ Fidei* Milites, nascentes variis temporibus Hæreses, nullis unquam laboribus, nullis periculis deterriti, sacris suis disputationibus oppresserint: in illos tamen errores, qui IMMACULATÆ & Gloriosissimæ Dei Genitricis, PERPETUÆQUE VIRGINIS MARIÆ laudem & dignitatem violare visi sunt; peculiari quodam Sancto, perfectoque odio vehementius insurgendum, acriusque sibi pugnandum semper judicarunt, (*) ..... Cum itaque proximo Sæculo Quæstio de Puritate CONCEPTIONIS Felicissimæ Dei & Domini nostri

Tom. 2. Opuscolor. Tract. 1. de Concept. B. V. Cap. V.

in 3. Part. Summæ D. Thomæ, Quæst. 27. Art. 2. paulo post initium.

Hh 2 „ JE-

(*) Quam ipsi autem strenue semper pugnarint, quum dabatur occasio, etiam longe antea, quam ejusmodi Decretum conderetur, hoc est, vel ab anno 1387., exemplo sint Acta eorum adversus *Johannem de Montesono*, de quibus legendus *Natalis Alexander* Sæcul. 13. & 14. *Hist. Eccl.* Cap. 3. Art. 23. *per tot.* Alterum exemplum, & antiquius, exhibet *Carolus Duplessis d' Argentrè* Tom. I. *Collectionis Judicior.* ad *ann.* 1384. pag. 60. *edit. Paris.* ann. 1728., ibidem videndum. Ex quo fit, ea *Natalis* verba veritati non consonare, quum *loc. cit.* ait: *Tunc* (id est, anno illo, quo *Montesoni* Propositiones proscriptæ fuere, nempe 1387.) *liberum fuisse Sacræ Facultatis Alumnis in utramque partem* (de Mariana Conceptione) *disputare, modo Piam Opinionem nulla censura afficerent*.

„ JESU CHRISTI Genitricis MARIÆ, solito frequentius
„ agitari cœpisset, *Spiritu Sancto* scilicet ejus rei VERITA-
„ TEM aliquando PROPALARI volente; diligentius utriuf-
„ que Partis LIBRATIS *Rationibus*, primum pro tempore suum
„ prudentissime suspenderunt judicium. Demum in eam Par-
„ tem inclinatiores, quæ Virginis Gloriæ & *Puritati* adstipu-
„ lari videbatur, ita eorum *vanissimam temeritatem* disputando
„ confutaverunt, qui citra *efficacem probationem*, Virginem
„ in *Originali Peccato* fuisse conceptam obstinate contendebant;
„ ut contrariam Quæstionis partem, quæ Virginem, dum
„ *conciperetur*, speciali Dei munere, ab *Originali macula* fuis-
„ se IMMUNEM affirmat, & *Pietati Fidei*, & *Rectæ Ra-
„ tioni*, & *Scripturis Divinis* valde quadrantem decernerent.
„ Quæ Sententia, paucos post annos, in Sacro *Basileensi*
„ plenario Concilio, post *longam* ejus Quæstionis disputatio-
„ nem, *gravissimamque* deliberationem, *Spiritu S. inspirante*,
„ placuit; ut eam tandem doctrinam &c. &c.. Quod San-
„ ctum *Synodi* Decretum, cum *omnium Ecclesiarum*, tum
„ etiam *totius Populi Christiani* judicio, consensu ac religione
„ *comprobatum*, *confirmatumque* videamus; non possumus quo-
„ rumdam *vanam* superbiam, *temerariam insanamque* obstina-
„ tionem non admirari, non indigne molesteque ferre: qui
„ hoc nostro adhuc tempore, ejusmodi *Piam* & *Religiosam* Do-
„ ctrinam, *Universalis Synodi* & *Ecclesiæ*, quæ juxta *Christi*
„ promissionem errare non potest, judicio auctoritateque pro-
„ batam, aut oppugnare, aut in *dubitationem revocare* non
„ vereantur, implacabile impiissimumque bellum adversus Piis-
„ simæ Dei Genitricis *eximiam* dignitatem gerentes. Quorum
„ *furori* ut alacrius fortiusque occurramus, atque resista-
„ mus, pro nostra professione, ordine & gradu, *Majorum
„ nostrorum* vestigia sequentes, *universi* tertio congregati, post
„ *multam gravem* & *maturam deliberationem*, in ejus *Piissimæ
„ Doctrina*, quæ Benedictissimam Dei Matrem ab *Originali Pec-
„ cato*, Dei singulari dono, fuisse *præservatam* affirmat,
„ quamque jam pridem VERAM (*) credidimus & credimus,
de-

(*) Si *Veram*: ergo & *Certam*. Ut enim belle *Augustinus* Lib. *de Mendac.* Cap. 10. = *Fracta vel leviter deminuta auctoritate Veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ nisi vera credantur, teneri Certa non possunt.*

„ defensionem ac propugnationem *speciali Sacramento* conjuravimus,
„ Nosque devovimus. Statuentes, ut *nemo* deinceps Sacro
„ huic nostro Collegio *adscribatur*, nisi se hujus *Religiosæ Do-*
„ *ctrinæ Assertorem*, *strenuumque propugnatorem* semper pro
„ viribus futurum, *simili juramento* profiteatur. Quod si quis
„ ex nostris [quod absit] ad Hostes Virginis *transfuga*,
„ Contrariæ Assertionis, quam FALSAM, IMPIAM (*),
„ ERRONEAM judicamus, spreta, non *nostra* tantum, sed
„ *Synodi* & *Ecclesiæ*, quæ procul dubio *summa* est, auctorita-
„ te, patrocinium *quacumque ratione* suscipere ausus fuerit; hunc
„ *honoribus nostris omnibus* privatum, atque *exanctoratum*, a
„ Nobis & consortio nostro, velut *Ethnicum* & *Publicanum*,
„ procul abigendum decernimus. Vos ergo appellamus &
„ convenimus &c. &c. „ Refertur Decretum istud *Theologorum Parisiensium*, cum ab aliis multis, tum etiam a *Natali Alexandro* in *Hist. Eccl.* Sæcul. 13. & 14. *Cap. V. Art.* 1. Hujusmodi autem Decreti edendi quæ fuerit occasio, legesis apud *Johannem Trithemium*, Abbatem, qui eodem scribebat tempore, in *Chronico* sui *Monasterii Spanheimensis* ad ann. 1497. Tom. 2. *Operum Historicor.* pag. 409., *edit. Francofurt.* ann. 1601., multoque fusius apud *Carolum Duplessim d'Argentrè*, Doctorem Sorbonicum atque Episcopum Tutelensem.

Tom. I. *Collectionis Judicior.* ad eumdem an.° 1497. a pag. 336.

Tam insignem Sacræ *Parisiensis* Facultatis Pietatem in Piam *Immunitatis* Sententiam & pleræque aliæ extemplo æmulatæ sunt, nimirum Academia *Coloniensis* ann. 1499., & paulo post *Moguntina*, ac Sæculo sequenti XVII. ineunte *Complutensis*, & *Salmanticensis*, ut alias mittam longe plures, quas vel unus *Trithemius* recenset, nedum recentiores. Ex verbis autem, quibus præfatum *Parisiensis* (**) *Academiæ* Decretum con-

Epist. 13. *de Concept. Immac. Virg.* pag. 97. *Oper. Piorum* edit. Mogunt. an. 1605.

(*) *Impietatis* insimulare opinionem, quæ labem *Originalem* affingit Deiparæ, vel ab *Alexandri VII.* Constitutione, nedum aliorum, qui ei in *Petri* Sede præiverant, aperte est vetitum: ideoque hac in re *Parisienses Theologos* id temporis non audiendos moneo.

(**) Lampridius *pag. 66.* Academiam *Parisiensem* ait *jamdiu æstum illum deposuisse*, quo olim *Piam* tuebatur Sententiam. At *Milanesius* in suo *Lampridio ad trut. revocato* pag. 138. producto novo ejusdem Academiæ Decreto de ann. 1736., seu potius vetere hocce recens instaurato, confictum id esse docet adeo evidenter, ut vel ipse *Lampridii* Defensor *Valdesius* pag. 222. victas dare manus coactus fuerit, aut minimum, inficiari non sit ausus. Quod vero probationis loco *Lampridius* ibidem obtendit, *Launojium* ann. circiter 1675. librum edidisse adversus eandem *Piam* Sententiam, quin tamen

conceptum est, plane constat, eam ad id edendum; non tam pacis, aut *removendorum jurgiorum & scandalorum* caussa (quod unum videtur *Lampridius* innuere *pag. 9.*), quam etiam potissimum caussa cum *Pietatis*, tum *Veritatis*, quam in una *Præservationis* Sententia deprehenderat, adactam fuisse. Ita enim ibi perspicuis verbis habetur: *Quam* [id est *Piissimam Doctrinam*, quæ Deiparam ab Originali peccato *præservatam* adserit] *jam pridem VERAM credidimus & credimus*. Ac propterea hostes *Impolluti Conceptus* ita paulo ante perstringuntur: *Non possumus* (inquiunt Parisienses) *quorundam vanam superbiam, temerariam insanamque obstinationem non admirari, non indigne molesteque ferre* &c. Item: *Quorum furori ut alacrius fortiusque occurramus atque resistamus, pro nostra professione* &c. Tandemque post pauca contrariam eorum Opinionem, qui *Virginem* affirmant in *Originali* conceptam, & *falsitatis* & *impietatis* & *erroris* censura inurunt disertis hisce: *Quam* Opinionem *Falsam*, *Impiam* (ita quidem Illi; at non ego ob *Alexandrinæ* Constitutionis reverentiam, sane debitam), *Erroneam judicamus*. An istud est, *Academias* ad Piam *Immunitatis* Sententiam amplectendam ac profitendam, interposita etiam (quod magis est) *voti* aut *juramenti* religione, sese obstrinxisse, *ut ita e Scholis removerentur jurgia* & *scandala, olim e conflictu utriusque Opinionis progenita*, uti cit. loco *Lampridius* habet? Constat secundo, falli quoque *Lampridium*, quum alibi (id est *pag. 66.*) parum sibi constans de eisdem *Academiis* scribit, eas nempe in Piam Sententiam idcirco jurare, *quod unam illam tradi posse in Scholis, Apostolicæ Sedi obsequentes animadvertunt*. Ac quidem, si nobiscum adhuc *Lampridius* viveret, ita eum mihi affari luberet: Siccine nos habes ludribio omnes? An *Parisiensis* Academia, an *Coloniensis*, an *Moguntina* (de his nunc loquimur) quum Alumnos

men *Parisienses Theologi* ullam ipsi idcirco molestiam creaverint; nihilo minus inane est. An id, quæso, signum, illos a Majorum suorum *fervore declinasse*? Verum, jam ab anno 1648. aliis de caussis e Parisiensi Collegio *Launojus* ejectus fuerat, uti patet ex *Launojanis* Tom. 4. Part. 1. *pag.* 347. Num iterum ejiciendus, aut jam expulsus ad necem quæritandus? Deinde Liber iste aut *Launojo* jam mortuo (ut censet *Dupinus* Tom. 3. *Biblioth. Eccles. Scriptor.* Sæcul. XVII.) aut suppresso ejus nomine primam adspexit lucem, ut ex ipso Editore in *cit. Launojanis* Part. 2. *pag.* 444. colligere est. Quid ergo? an sæviendum in mortuum, aut in anonymum animadvertendum?

nos quæque suos non modo ad *amplectendam profitendamque* Piam Sententiam, sed ad *vovendam* etiam atque *jurandam* ejus tutelam edicto impulerunt; an eæ, inquam, ullum ab Apostolica Sede latum in id rei Decretum, cui obsequerentur, viderant, aut videre tunc poterant? Minime gentium. Nondum enim *Pauli V.* Decretum prodierat, qui primus omnium inter Romanos Pontifices, anno scilicet 1617. (hoc est, centum & amplius annis, postquam prædictæ *Universitates* memoratam legem tulerunt) prohibuit, ne quis in posterum contrariam *publice* defenderet, doceretque Opinionem. De aliis vero *Academiis*, fere innumeris, quæ post *Paulinum* Decretum, seu *Parisiensis*, seu *Coloniensis*, aut *Moguntinæ* exemplum sunt imitatæ, quid dicam? Solum enim Silentium *contrariæ* Assertioni a Pontificibus Summis impositum novimus: an præterea aliquis diserte jussus *Piam* amplecti ac profiteri Sententiam? aut coactus aliquis eam tutari, deque illa tutanda *Sacramentum* quoque adjicere? Sed quid in hujusmodi ineptiis recensendis ac confutandis inutiliter tempus terimus?

Videamus potius, quid hac de re *Christianus Populus* sentiat; quantique æstimandum sit illius *suffragium* in controversiis ejusmodi dirimendis. Certe, ut de *Christianorum* vetustissimis taceam (quid enim illi senserint, cum ex *Pelagianorum* objectationibus, tum etiam ex *S. Augustini* responsis, jam supra libratis, in proclivi est intelligere) adeo *Christianus Populus universus* addictissimum se præbuit, præbetque *Marianæ Præservationis* Sententiæ, ut ex quo disceptari cœptum est, ad contrariam Opinionem summopere, ac semper totus exhorruerit. Legesis Auctorem *Historiæ de controversia Conceptionis*. Profecto de mirabili *Populorum omnium* consensu in unam *Piam* Sententiam, nemo, nisi dementissimus, potest ambigere. Hinc *Medina* loc. præcit. (Scriptor fidei non sublestæ) sic pergit dicere: *His accedit consensus TOTIUS Populi Christiani, qui* (addit) *NON est parva Auctoritatis; siquidem Vox POPULI Vox Dei*. Omnium autem luculentissime, quantum sit ponderis in isto *Populorum* suffragio, *Petavius* aperit, Magnus ille *Dogmaticæ Theologiæ* Magister, & Parens: *Movet autem me* (inquit), *ut in eam sim partem* (qua scilicet Virgo, non solum omni *actuali*, sed *Originali* etiam delicto caruisse dicitur) *propensior, communis maxime sensus FIDELIUM OMNIUM, qui hoc intimis mentibus alteque defixum habent, & quibus possunt indiciis officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, alienius* Lib. 14. de Incarnat. Cap. 2. num. X.

deni-

denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse? Tum vero nihil cum inferis & horum rectore Diabolo, adeoque cum qualicumque Dei offensa & damnatione commune habuisse. Idem ille vero, quasi præscius e Mutinensi agro exsurrecturum Theologum, qui hoc argumenti genere nihil se moveri dictitet, quin etiam irrideat, contemnat & flocci habeat; e vestigio subdit: *Admonet nos egregie Paulinus Nolanus Episcopus, gravis imprimis Auctor, ut de* omnium Fidelium *ore pendeamus, quia in omnem Fidelem Spiritus Dei spirat*. Quod & præclaro *Joannis Fischeri*, Roffensis Episcopi, firmat testimonio, ibidem, si lubet, conferendo. Et infra *num. XI.*, exemplis ab *Augustino* acceptis docet, identidem a Deo revelari *usitatis rationibus*, quæ antea obscura & ignota erant (hoc est, patefieri orantibus ac pulsantibus, laboremque & industriam, quam possunt, maximam conferentibus) atque ita concludit: „ Ad hunc itaque „ modum revelasse credendus est Deus Christianis integrum il„ lum Immaculatæ Virginis Conceptum: hoc est, ejus tum notitiam „ aspirasse, quam Græci πληροφορίαν, Latini *firmam persua*„ *sionem* nominant: tametsi nondum plena, & quæ in Ca„ tholicum dogma transierit, facta sit illius fides. „ Hucusque *Petavius*.

Sed quid ego *consensum Populi* commemoro? Theologus etenim Mutinensis, sub *Valdesii* larva delitescens *Epist.* 16. *pag.* 218., quam id faciat nihili, ostendit plane in hæc verba: *Neque ullum Sententiæ Piæ pondus addit Fidelis Populi pia in illam inclinatio mentis; Populus enim indoctus eo fertur, quo Docti viri in Pietatis rebus ipsum impellunt*. At, nunquid saltem ob *Petavii* nomen, cujus non semel magnificis verbis, quum in rem erat, auctoritatem inculcavit, paullo ille æquior, aut indulgentior? Nihil horum. Nam mihi hæc ipsa *Petavii* verba ante annos aliquot urgenti, in hunc modum IV. Kalend. Januarias 1744. rescripsit: „ Quoniam Petavium exeris scribentem, „ ex *communi Fidelium sensu* videri Deum revelasse Immaculatum „ Virginis Conceptum; utere quæso ingenio tuo, & nullo „ negotio perspicies, quam inani supposito ratio illius nitatur. „ Aut enim Doctos viros intelligit, & ii partim adversantur, & „ innumeri *probabiliorem* quidem, sed minime *certam* arbitran„ tur ejusmodi Sententiam, ut concordes eant cum Apostoli„ ca Sede. Sin vero sub *cœtu Fidelium* Populos etiam ample„ ctitur: ut nosti, *Populus* non docet *Ecclesiam*, sed Eccle„ sia *Populum*. „ Et paucis interjectis: *Novimus* (ait) *ideo* *Po-*

populos in ipsam postremis hisce præsertim Sæculis consensisse, quod hanc unam a Sacris Oratoribus tanta celebritate deprædicatam audierint. Non eam Deus revelavit Doctis, eoque minus indoctis Populis.

Verum enimvero, quis crederet talia in mentem Viri adeo Docti, cujusmodi est *Scriptor Mutinensis*, cadere unquam potuisse? Dic sodes: *Nullumne Sententiæ Piæ pondus addit Fidelis Populi in illam inclinatio*, seu consensus ejus, sane in id unanimis? Ita, inquis. Sed si ita res habet; Ergo frustra, ne dicam perperam, *S. Paulinus*, a *Petavio* laudatus, hortatus nos fuisset, *ut de omnium Fidelium ore pendeamus, quia in omnem Fidelem SPIRITUS DEI spirat*. Frustra quoque *Augustinus* testatus de se fuisset: *Ego me nulli video credidisse, nisi POPULORUM & GENTIUM confirmatæ Opinioni ac famæ admodum celeberrimæ*. Lib. *de utilit. credendi*, Cap. 14. Frustra etiam alibi idemmet *S. Augustinus* in eandem sententiam: *Multa sunt, quæ in ejus* [id est Catholicæ Ecclesiæ] *gremio me justissime teneant. Tenet consensio POPULORUM & GENTIUM: tenet auctoritas miraculis inchoata &c.* Lib. *contra Epist. Fundament.* Cap. 4. Frustra denique (ut ceterorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum multitudinem taceam) frustra & *S. Hieronymus* hoc teli genere ad confodienda *Vigilantii* sacrilega deliramenta usus fuisset, sic ironice loquens, atque, ut ajunt, *ab absurdo* redarguens: *Ergo omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos* (hoc est, Sanctorum Reliquias) *in serico & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum POPULI, qui occurrerent Sanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt?* Lib. *contra Vigilantium*, col. 392 Tom. 2. *edit. Veronens.* Quod si *Mutinensis Magister* Hieronymi vixisset ætate, atque Thrasonianas illas voces intorsisset: *Populus indoctus eo fertur, quo Docti viri in Pietatis rebus ipsum impellunt*; itemque illas: *Ut nosti, Populus non docet Ecclesiam, sed Ecclesia Populum*: cedo, quid non illum, non Patres reliquos responsuros putabis? Illud sane certum, Theologum istum, tam mira, tam nova & falsa somniantem, ab impiissimo *Vigilantio* osculis procul dubio defatigatum iri.

Quid, si tu ipse (Theologum mihi liceat Mutinensem alloqui) alio in tempore, alioque sub nomine, statuisti *Populi* consensum suum semper & ubique, vel in rebus quoque *Fidei*, locum ac robur habere? Opinor, tuum testimonium, quod in aliena re leve fortassis esset, id in tua, quoniam contra te est, gravissimum debet esse. Dixisti olim *Pritanius* vocitatus, Lib. I. *de Ingenior. moderat.* Cap. 18. in re quidem, minime ad Fidem spectante, *Popularis* multitudinis judiciique ha-

bendam esse rationem haud modicam. Sic enim ais: *Etsi revelatum a Deo mihi non fuerit, hunc vel illum esse legitime electum, verumque esse Pastorem .... negare tamen non possum, praeunte evidentia morali, & fidem de ista evidentia nobis faciente ipsamet Ecclesia & POPULI multitudine, quin ii sint legitimi Pastores* &c. Deinde, vel in ipso etiam Religionis negotio, Fideique controversiis suum & *Plebi* esse locum *Lib. III, Cap.* 10. *laudati Operis* adversus Phereponum multis propugnas, inquiens: „ Quod est ad consensum, judiciumque „ *Christiani Populi*, si cum gravibus quibusdam circumstantiis & „ qualitatibus conjungatur, *firmissimum* etiam potest esse veræ „ doctrinæ, germanæque Traditionis indicium. „ Propterea ibidem de pestilentissima *Arianorum* hæresi hæc subdis: *Quid autem est, quod in Arii quoque & Nestorii sententiam consentire nolebat CHRISTIANUM VULGUS, immo eandem aversabatur atque damnabat, quamquam MULTOS e suis Pastoribus in adversis castris militare videret, nisi quia menti OMNIUM insidebat aliud ab Ariano ac Nestoriano Dogma, & alia omnino contraria Traditio?* Hæc dudum *Pritanius* perquam sapienter. Nunc vero ille ipse in *Valdesium* mutatus, vertit ad extremum omnia, inclamans: *Utere quæso ingenio tuo*. Sed eccur non ipse etiam suo tum est usus ingenio, quo nunc hortatur tantopere uti me meo? Cur non & illud tunc sibi, quod heic mihi, occinuit; *Novimus ideo Populos in id genus Sententiam* (puta illam saltem, qua hic vel ille ceu legitimus *Ecclesiæ Romanæ* Pontifex asseritur) *consensisse, quod hanc unam a Sacris Oratoribus* (adde, a Theologis, ab Episcopis, atque ab ipsamet Ecclesia) *tanta celebritate deprædicatam audierint?* Cur non tandem hisce & ibidem conclusit: *Non eam Deus revelavit Doctis, eoque minus indoctis Populis?* Talia, tam varia, tam dissimilia differens, sibi ne, quæso, constat; an potius diffidet a se plurimum, seu oblivione, seu incogitantia, seu mala denique fide? Rectius proin, immo quam rectissime *Alexander VII.* in recitata nuper Bulla non *Academiarum* modo consensum, sed etiam *Populorum* inter haud levia Piæ Sententiæ argumenta enumeravit iis verbis: *Ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus ACADEMIIS ad hanc* (Præservationis) *Sententiam, jam fere OMNES CATHOLICI eam complectantur.*

Ad *Catechismos* nunc transeamus, quorsum *Lampridius* nos ducit, quum *pag.* 16. ait: *Nosse & fateri coguntur vel ipsi Heterodoxi, non e privatorum ritibus ac opinionibus, sed ex ipsa Ecclesiæ*

clesiæ doctrina, in Conciliis potissimum & CATECHISMIS firmata; deducendum esse, quid eadem Ecclesia tradat ac sentiat. Tam pulchram veramque Doctrinam, a *Lampridio* traditam, lubentissime accipimus; quin etiam utroque illi pollice subscribimus, ac ratam habemus. Quapropter ut invitus sæpe dissensi a *Lampridio* hac ipsa in caussa, ita hoc sum loco libenter assensus ejus sententiæ: ex quo judicare quisque debet, me non cum homine solere, sed cum caussa dissidere. Itaque non assentior solum, sed etiam gratias ago *Lampridio*, quod ultro mihi id ipse detulerit, nec celatum advenerit. Quis autem ignorat, *Clementem VIII.*, qui anno 1592. ad Summi Pontificatus apicem evectus fuit, *Roberto Bellarmino* S. R. E. Cardinali in mandatis dedisse, ut Christianam Doctrinam ad rectam Populorum instructionem paucis explanaret, atque in compendium redigeret? Obtemperavit quidem *Bellarminus* prompto hilarique animo, ut par erat, jussis Pontificis Maximi: atque ubi Opus absolvit sibi demandatum, Pontificique obtulisset, Sacræ *Cardinalium* Congregationi *Reformationis Doctrinæ Christianæ* illud sedulo discutiendum primo est traditum. Quod quum eadem Sac. Congregatio concordi suffragio probasset; laudatus Pontifex speciali Diplomate, quod incipit: *Pastoralis Romani Pontificis*, Ferrariæ dato XV. Julii an. 1598., Fideles omnes in Romana Diœcesi existentes doctrinam eam unice ut addiscerent, districte præcepit: itidemque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque, ad quos spectat, ut hancce *Bellarmini* Catechesim recipiant & adhibeant, nec non recipi ab omnibus & adhiberi curent, adhortatur quam vehementer. (*) Quid, quod & *Urbanus VIII.* Constit. 128. anno 1633. promulgata, atque incipiente: *Ex debito Pastoralis Officii*, diserte mandat, ut Religiosi, ad Indiæ Orientalis loca vel mittendi vel missi, in ejusmodi Populis Christianorum Doctrina instituendis, *Catechismum Romanum, & Doctrinam Christianam parvam & magnam bonæ mem. Roberti S. R. E. Cardinalis BELLARMINI nuncupati, in linguas prædictorum Populorum translatas & impressas, si fieri potest, omnino adhibeant?*

Ii 2 Por-

(*) Id ipsum nuper præstitit *Benedictus XIV.*, feliciter regnans, datis 7. Februarii anno 1742. in hanc rem Litteris hortativis in forma Brevis ad Christiani Orbis Antistites universos.

Porro, Catechismus hujusmodi, a *Bellarmino* elaboratus, atque a Romanis Pontificibus adeo commendatus, solemnique judicio confirmatus, *Cap.* 5. Part. 2. illa Angelicæ Salutationis verba = *Ave gratia plena* = hisce exponit conceptissimis: *Ideo hoc dicitur, quia quantum ad primum effectum Gratiæ, qui est delere peccata, Virgo Sanctissima NUNQUAM habuit maculam aliquam peccati cujusquam, nec ORIGINALIS, nec Actualis, mortalis aut venialis.* (*) Ex quibus *Romani Catechismi* verbis, omnium maxime decretoriis, ad exactissimam Dialectices normam sic præterea rem conficio: Ex ipsa Ecclesiæ doctrina, in *Catechismis* potissimum firmata, deducendum est, quid eadem Ecclesia & tradat & doceat. Sic sane totidem verbis, neque inscite, *Lampridius* nos docet; ut supra vidimus. In Catechismis autem, ac potissimum *Romano* mox relato, qui & universæ est Ecclesiæ propositus (non quidem imperando, sed solum hortando), quemque & innumeræ jam Ecclesiæ & grate, & pie receperunt, Beatissima Virgo Deipara ab omni culpa, etiam *Originali*, Immunis asseritur. Recole verba superius exscripta. Quid ergo? Nonne id genus Privilegii ipsammet Ecclesiam de Virgine & sentire & tradere, fatendum est? Discat hinc *Lampridius*, non jam dico quam belle suismet ligonem illidat pedibus, sed ex se saltem, suisque discat principiis, de Pia *Immunitatis* Sententia eloqui, ut oportet, rectius: nec illam amplius tertio quoque verbo *Scotisticam*, multoque minus (ut *pag.* 72. ipse ait) *Hispanicam Opinionem* vocitet: quin potius aptiori vocabulo *Ecclesiæ* nominet *Sententiam*, dicatque *Catholicam Doctrinam*, quam Summus Ecclesiæ Pastor Fidelibus universis addiscendam proponit. An vocabuli majestas terrorem incutit? Audiat *Dominicum Bannez* docentem: *Est enim aliud Fides Catholica, & aliud Doctrina Catholica, ut advertit Magister Canus. Sunt enim aliqua, quæ docentur universaliter in Ecclesia Catholica, quæ tamen non sunt Catholica Fides*; cujusmodi sunt Mariæ Virginis *Sanctificatio in utero*, ejusque Animæ una cum corpore in Cœlum *Assumtio*, atque alia id genus quam plurima. Vide *Canum* Lib. 12. *de locis Theolog.* Cap. 10. sub initium.

in 2.2 *Quæst.* XI *Art.* 2.

(*) Opus istud, a claræ memoriæ *Bellarmino* italice elaboratum, latine vertit *Johan. Fuder* Protonotarius Apostol. &c. exstatque Tom. VII. *Operum ejusdem Eminentissimi Auctoris* inter varia Opuscula, Edit. *Colon. Agripp.* de an. 1617.

tium. Hoc in numero & Mariæ *Immunitas a noxa Originali*, me quoque hortatore & magistro, tibi reponenda est.

Sed age, videamus, quanti nobis in hac caussa & *Ratio* facienda sit. Non heic ego *Rationes* consectabor & multas, & plane invictas, quibus *Marianæ* innititur *Præservationis* Sententia; scilicet ne a præscripto palæstræ nostræ longius evagemur. Videatur, si lubet, inter alios pene innumeros Venerab. *Petrus Canisius*, ut pietate & doctrina, sic latini elegantia sermonis spectatissimus, Lib. I. *de Maria Virgine* Cap. 6. Unam adduxisse sat erit, illamque celeberrimam, quam *Lampridius* pag. 149. tacite sugillat: *Decuit, Potuit; ergo Fecit*. Et sane, quis proferre audeat, non *decuisse Virginem* (ut cum *S. Anselmo* loquar) *ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi*, hoc est a contagione *primigeniæ labis* præservari? Quis ausit negare, id Deum facere potuisse? Aut si concedat *posse*: quis, amabo, adserere præsumat, Deum ita fieri noluisse? (Qui enim hoc inter Christianos blaterarit, stultus profecto, ac mentis omnino expers haberetur) Voluit ergo: ergo & fecit. Nam ut opposite, vereque *S. Augustinus*: *Quidquid vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum*. At vero, quid ad hæc *Lampridius*? A risu pene se non continet, atque ad id argumenti genus hoc modo respondet cit. pag. 149. = *Fallaci argumentatione dicimus: Istud in honorem Virginis cedit: ergo illud voluit ac fecit Deus: ac proinde hoc affirmare ac tueri, gratum quoque Deo est. Contraria nimirum ratione argumentatio efformanda est: Deo & Virgini & Ecclesiæ certo placere tantummodo potest, quod Verum est, & Deus in sacris Litteris aut in Traditione Patrum revelavit a se factum non quod Devotio nostra excogitat & exoptat*. Nasutus hercle Theologus! Et tamen is videri vult, in colenda Virgine se nemini concedere? Sed audiamus, quid huc ferat, sententiatque fidus ejus interpres & comes indivisus *Valdesius*. „ Jam constat (*inquit* „ *Epist. IV. pag. 39.*) inter Theologos, potuisse Deum sinere, ut Maria cum Originali labe conciperetur, & potuisse etiam eamdem præservare. Ex geminis hisce statibus (*pergit ille dicere*) uter Virgini contigerit, non aliunde nos possumus ediscere; nisi a Revelatione Dei, si qua est, quæ innotescat vel ex divinis Literis, vel ex legitima Sanctorum Patrum Traditione; cum ex intellectu nostro elicere velle, quæ in rebus non necessariis fuerit Vo- „ lun-

Lib. de Conceptu Virginali Cap. 18.

Lib. 3 de libero arbitr. Cap. 5 n. 13.

„ luntas Altissimi, ad temeritatem interdum accedat ....
„ Propterea *Gersonius* T. I. pag. 452. rigide improbat ita ra-
„ tiocinantes: *Christus potuit hoc vel illud facere* in gratiam Ma-
„ tris suæ. *Et hoc decuit ipsum facere, quia decuit eum Matrem*
„ *honorare. Ergo sic fecit.* „ Ita quidem Valdesius, a
Lampridio suo minime discors.

Papæ, quid ego video? numquid & *Gersonius*, Magnus ille *Parisiensis Scholæ* & Cancellarius & Doctor, inter hostes Virginei *Impolluti* Conceptus? Ille nimirum ipse, qui nunquam non, seu verbo seu calamo propagatorem se præbuit, atque etiam propugnatorem acerrimum *Marianæ Præservationis*? Quippe in Sermone de *Concept. B. Mariæ Virginis*, ut complura id genus alia ejus loca prætercam, in hunc is loquitur modum: *Dicere possumus, hanc Veritatem* (subaudi *Præservationem* Deiparæ a macula parentali) *de illis esse veritatibus, quæ noviter sunt REVELATÆ, vel declaratæ tam per Miracula, quæ leguntur, quam per majorem Partem Ecclesiæ* (nunc autem sine hæsitatione diceret, *per universam Ecclesiam*) *quæ hoc modo tenet.* Et infra: „ Considerata multitudine Doctorum novorum & Præ-
„ latorum Ecclesiæ, qui dicunt, hanc Opinionem *Veram* es-
„ se &c. securius est sic tenere, quam oppositum. „ Rursus: *Aliud autem est modo, quam tempore S. Bernardi: nam Veritas est magis elucidata, & celebratur hæc Solemnitas quasi* (hanc particulam *Quasi*, si Sixtinas, aliasque Pontificias Constitutiones videre sibi licuisset, omnino deleret) *per universam Ecclesiam Romanam & alibi*; hoc est per singulares *Christiani Orbis* Ecclesias plane *omnes*, cum Romana, ceterarum omnium Matre & Magistra, societate conjunctas. Porro integra *Gersonis* sententia *Valdesio* erat proferenda, ut virum decet gravem & honestum: & tunc perspexisset, quam ille perperam faciat, quum tanti Viri testimonium huc adducit atque in medio ponit. Illo enim ipso loco, quem *Valdesius* laudat, hoc est Tract. seu Epist. *ad Provincialem Cælestinorum de susceptione Humanitatis Christi*, scripta an. 1426. Tom. I. col. 450. edit. Dupini, ait quidem *Gersonius* in hæc verba: *Decima nona veritas: Christus si asseritur aliquid ad extra facere debere, quia decet eum sic facere, fallitur asserens modo tacto* (nempe per fallaciam petitionis principii) *quia præsupponit, quod est æque vel plus ignotum, ut si quis ita paralogizet: Christus potuit communicare Matri suæ in utero, quod gloriosa & consummata felicitate nasceretur; & hoc decuit ipsum facere, quia decuit eum Matrem honorare: ergo sic fecit.* *Con-*

Tom. 3. Part. 3. *Consideras.* 1. 2. & 4. a col. 1330. *edit. a Dupino curata.*

Constat; quod conclusio hæreticalis est &c. Hic est integer *Gersonis* locus. Sed quid ille, amabo, ad rem nostram? Pius atque eruditissimus Auctor *de gloriosa* tantummodo & *consummata Felicitate* loquitur: hanc negat collatam fuisse Virgini (& recte quidem) ab exordio *Nativitatis*. Num ille idem locus & ad *Præservationis* privilegium transferendus? aut, *Gersonio* licet repugnante, ex propositione singulari Generalis quædam propositio efformanda? Id quidem sibi arrogat *Valdesius*: sed quam temere ac præter fas, ausculta. Eodem enim loci *num.* 11. Gersonius de Conceptione Deiparæ prorsus *Immaculata* sic differit ac differendo statuit: „ Christus præservando „ Matrem suam ab ORIGINALI, non ob hoc dedit dignitatem „ æqualem sibi ipsi, etiam secundum Humanitatem „ Viatricem. Ratio: quia numquam Christus habuit necessitatem „ Originale peccatum contrahendi, quia non descendit „ per naturalem propagationem. Propterea ratio desumpta „ ex hac æqualitate, quod Maria contraxit Originale, prorsus „ est invalida. Similiter & altera, quod Maria non indiguisset „ Redemptione .... Hoc, inquam, argumentum „ potius est ad oppositum: quia si Christus fuit omnium „ perfectissimus Redemptor, mortem pro omnibus sustinens, „ DECUIT, quod Matrem perfectissime redimeret: hoc autem „ non potuit *convenientius* fieri, quam præservando, ne „ caderet, potius quam jam lapsam relevaret. „ Hæc *Gersonius*. Legito Petavium Tom. VI. *Theologicor. Dogmaton* Lib. 14. Cap. 8. n. 9. & seqq. Sed propius cum Adversario congrediamur.

Quid enim Patres, rogo, quid hac de re Theologi, Scriptoresque præstantissimi memoriæ prodiderunt? Nonne illis, ubi de stabiliendis *Deiparæ* Privilegiis agitur, illud semper *efficax* argumentum est visum, quod nunc *Lampridius* audacissime cum suo *Valdesio* contemnit? Audi Augustinum se non opinari, sed *scire* fatentem, quod B. Virgini *plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte Peccatum*: & quare? Quia, inquit, *concipere & parere meruit eum* [nempe Christum] *quem constat nullum habuisse Peccatum*. Propterea & ante dixerat, de tanta Matre & Virgine *propter honorem DOMINI nullam se prorsus, cum de peccatis agitur, habere velle quæstionem*. Ex eo igitur, quod *decuit* Christum facere [*potuisse* autem nemo negat] in gratiam Matris suæ, quin etiam *propter ipsius Domini honorem*; indubitanter *Augustinus* colligit, omnem omnino culpæ speciem a Vir-

Lib. *de Nat. & Grat.* Cap. 36. n. 42.

a Virgine abesse procul, cum & Filium dedeceat & ejusmodi Matrem, quovis vel levissimo peccato esse maculatam. Legitur enim *Proverbior.* XVII. 6. *Gloria Filiorum Patres eorum.* Pari passu graditur Pius ac eruditus Auctor Sermonis *de Assumpt. B. Virginis*, falso olim *S. Augustino* adscriptus, sic disserens: *Qui in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere, singulari salvatione eam in morte speciali quoque gratia honorasse. POTUIT enim a putredine & pulvere alienam facere, qui ex ea nascens potuit Virginem relinquere &c.* Itemque *S. Bernardus* eodem videtur respexisse, quum de *Marianæ Assumptionis* prerogativa disserens, ait: *Quis cogitare sufficiat, quibus ad thronum gloriæ canticis sit* (B. Virgo) *deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam Divinis amplexibus suscepta a Filio, & super omnem exaltata creaturam; cum eo honore, quo tanta Mater DIGNA fuit, cum ea gloria, quæ tantum DECUIT Filium?* Tandem simillima prorsus est *S. Anselmi*, Cantuariensis Archipræsulis, ratiocinatio loco antea laudato; scilicet Cap. XVIII. Libri *de Conceptu Virginali & Originali Peccato*. Ut enim probet decuisse Christum concipi *de Matre* omnino *Purissima*, hac ipsa in id Ratione utitur: *Nempe* (ait) *DECENS erat, ut ea Puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat; ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius &c.*

Serm. 1. de Assumpt. Virg.

Patrum vestigiis & Scriptores reliqui, & Theologi quique gravissimi (quidni etenim?) semper institerunt. Instar omnium sit *Hugo a S. Victore*, necnon *S. Thomas*, Theologorum facile Princeps. Ille enim Lib. 3. *Eruditionis Theologicæ*, ex Miscellaneis *secundi codicis* Cap. 125. de *corporea* Virginis *Assumtione* loquens, inquit: *Non impossibile Deo fuit, ut illud Divinitatis habitaculum singulare corruptioni non subjaceat, vel vermibus. Qui enim trium Puerorum vestimenta in camino ignis illæsa servavit, Corpus Matris propriæ incorruptum servare, & VOLUIT, & POTUIT.* Iste vero (seu Doctor Angelicus) *Pseudo-Augustini* laudatam in Sermone *de Virg. Assumpt.* rationem versans, non illam tantum suo probavit calculo, verum etiam in rem *Virgineæ Nativitatis* egregie convertit. Accipe ejus verba: *Sicut Augustinus in Sermone de Assumptione* (qui tunc sub ejus nomine ferebatur, etsi ejus re ipsa non sit) *RATIONABILITER argumentatur, quod cum Corpore sit assumpta in Cælum (quod tamen Scriptura non tradit); ita etiam RATIONABILITER argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero,* Ra-

1. Part. quæst. 27. Art. 1.

Rationabiliter enim creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora Privilegia Gratiæ acceperit. Hæcque S. Thomas, quo cum & *Theologorum* cœtus universus.

Non hinc tamen contendo tanti momenti esse *Rationem* hujuscemodi, ut vel pervicacissimus quisque non adsentiri non possit: fateorque eam nonnisi ex *congruis*, seu ex *decentia* petitam esse; quales in hoc similique argumenti genere ferri possunt. Ubi enim facti res agitur verius, quam dogmatis; quæque ex Dei nutu atque arbitrio pendet unice; Rationes, ut vocant, *demonstrantes*, seu necessariæ, frustra sane perquiruntur. At eam cum *Theologo Mutinensi* vilem habere, abjicere; immo & ad *fallaces argumentationes*, more Sectariorum, ablegare; nescio cujus sit spiritus. Quid enim, quod *Augustinus*, ceterique, quos laudavimus, Patres ac Theologi, & multi & Magni, hac ipsissima *Ratione* usi sunt ad Mariana id genus Privilegia asserenda? Ideo ne illi ad unum omnes, ceu *fallaciarum* Opifices traducendi? Absit. Si enim in sola *Scriptura* aut *Patrum Traditione* certamen constituas; dicasque *contraria ratione argumentationem efformandam esse*, ut non aliud Deo, Virgini & Ecclesiæ placeat, quam quod in Sacris Litteris vel legitima Sanctorum Patrum Traditione a Deo factum constat: vide quæso, quam detestanda hinc consectaria fluant. Ergo [fluit] nec Deo, nec Virgini, nec Ecclesiæ placere unquam potest (tametsi tantopere placeat) Pia & Ecclesiastica de *Corporali* ejusdem Virginis *Assumptione* Sententia. Ergo (ut alia ejus generis mittam bene multa, de quibus nihil certi in *Verbo* vel *Scripto*, vel *Tradito*) ergo ne illa quidem æqualiter Pia atque Ecclesiastica Sententia de Mariana Sanctitate in *utero* recepta placere iis poterit; quæ tamen *Ecclesiæ* a pluribus jam Sæculis quam maxime placet. Hæcque sunt [ut de id genus aliis bene multis nihil dicam] Lampridianæ Doctrinæ monstra verius, quam consectaria: quæ quidem doctrina quali quantave sit censura notanda, non est meum definire. Illud dico, tanquam verum certumque, nihilo minus Ecclesiæ placere Piam pariter de *Intemerato* Deiparæ *Conceptu* Sententiam: quid igitur? Num, rogo, quod certo placet Ecclesiæ, Deo aut Virgini placere non potest? aut quod his non displicet in caussa *Nativitatis* & *Assumptionis*, in altera Virgineæ *Conceptionis* sane displicebit? Ad summum, si quid allata *Ratio*, ex congruis

 ducta

ducta Doctori Mutinensi alicubi valet (ut sane valuit valebitque semper plurimum); aut valere eam utrobique aut nullibi concedat oportet: tandemque hinc ille discat, velim, quam vere, quam pulchre Auctor Tractatus *de Assumpt.* non semel citatus scripserit: *Ubi Scriptura Divina nihil commendat, quaerendum est Ratione, quid consentiat Veritati.*

CAPUT XIX.

Lampridii & Valdesii Fraudes retectae, & quasi nuce conclusae. Utriusque Libri an pro expresse probibitis baberi debeant? Benedicti XIV. de Mutinensi Theologo judicium. Consectarium primum propugnatae usque hactenus Piae id genus Sententiae, seu Ecclesiasticae Doctrinae de Praeservatione Deiparae: Scilicet tam esse Veram Certamque Innoxię Conceptionis Sententiam, quam est illa Assumtionis Corporeae, aut Sanctae Nativitatis. Qua sit censura dignus, qui illam, aut harum alteram, cum Doctore Mutinensi in dubium adduceret. An Opinionem pene enectam de Conceptu Maculato Falsam & Erroneam dicere liceat, nec ne? Valdesio occurritur, id non licere contendenti.

IMmensus propemodum essem, si omnes & singulas artes, quibus in hac re pertractanda *Lampridius* usus est ejusque assecla *Valdesius*, hac atque illac mire dispersas, vellem colligere, atque in epitomen redactas cordatiorum oculis subjicere, utique ab omnibus improbandas. Excerpam tamen ex illorum Libris heic aliqua, eaque ad rem potissima, ut uno prope oculi ictu Leonem valeas ex ungue cognoscere: ac quidem sine contumelia, sine odio omnia; nihil sine dolore animi, plane summo. *Lampridius* itaque, quo magis animum suum, a Pia Sententia plane alienum, occuleret, atque facilius indoctis, aut non sat attentis Lectoribus imponeret, in quandam Pietatis speciem primum sese componit, palam

palam testans pag. 63. *Summorum Pontificum Bullis venerationem ac obedientiam deberi ab omnibus, atque a me* (inquit) *in primis*. Id ipsum & antea *pag*. 5. aliis verbis fassus fuerat: scilicet *se nihil enixius cupere, quam ea, qua par est, veneratione omnia intacta servare in ejusmodi disputatione Romanorum Pontificum præcepta, eorumque menti ac imperio demisse se in omnibus conformare*. Et ibidem post pauca: *Ab eorum* (id est Pontificum Romanorum) *Decretis ne latum quidem unguem discedere mihi* (ait) *animus & firma voluntas est*. Religiose! At nunquidnamnon ex hucusque dictis contraria omnino sunt facta promissis? Sed pergamus. Simulat *Lampridius* cit. pag. 5. disputare se heic nolle, *fuerit ne concepta, an secus sine labe Originali gloriosissima Dei Mater Maria*. Fatetur quoque ibidem adversus Piam *Immunitatis* Sententiam *quoquomodo dimicare amplius non licere*. Quin etiam *pag*. 76. & *pag*. 139. scribit, non modo se nihil mussitare adversus doctrinam *Illibatæ Conceptioni* [*] faventem, sed *pro illa quoque dimicare se, & in Beata*

(*) Pollinganus quidam Theologus in Germania, cui nomen *Eusebius Amort* Canon. Regularis Lateran., rerum novarum cupidissimus, in Observationibus suis *ad Revelationes Venerab. Mariæ de Agreda*, vitæ sanctimonia & miraculis claræ, *Propos. IV. num*. 4. haud dissimiliter est protestatus: *Interim non adversor Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, sed paratus sum eam solide tueri; credo enim, NUNC eo sensu coli a PLERISQUE hoc Festum, ut venerentur Conceptionem rationalem*. Pie, sciteque profecto! At vero eodem loci præmiserat paullo ante, Ecclesiæ sensum de Festorum institutione colligendum esse *ex sensu Doctorum. qui sunt in Ecclesia*: quin heic tamen cum illo pugnem, aut me unquam sit adversarium habiturus. Dein subdit statim in hæc verba: *D. Thomas testatur celebrari Festum Conceptionis, quia ignoratur dies Sanctificationis in utero, seu infusionis animæ rationalis* (quasi vero alia infundatur anima, præterquam una *rationalis*). Pergit ille autem conceptis hisce: *Itaque supponit* (S. Thomas), *celebrari diem Conceptionis quoad CORPUS, quod ipsum declarat intervallum novem Mensium, inter illa duo Festa*, Conceptionis scilicet & Nativitatis. Habemus heic mirificum in hoc uno homine non Theologum modo, sed etiam Philosophum, cum *Lampridio* aut *Valdesio* plane non conferendum. Nimis enim hi sapientes erant, ut in tantam possent absurditatem prolabi. Si rationes ex illo petis, plane ineluctabiles; intende. *Cum enim* (ait) *antiquus nullus docuerit*, (an illorum forsan negavit id ullus?) *quod anima corpusculo B. Virginis fuerit infusa statim septimo die post Conceptionem corporalem, prout docent Revelationes Agredanæ, non potuit Ecclesia illud intervallum* (novem Mensium) *referre ad Conceptionem rationalem & Nativitatem; adeoque necessario debuit illud computari a Conceptione corporali*. Gratulor sane Germanis, quod felicissimum adeo ingenium numerent inter

† pre illo

Virgine colenda se nemini concedere. Quis non hæc legens & audiens, Piam de *Mariana Præservatione* Sententiam omnium maxime strenuum in *Lampridio* Pugilem se nactam esse existimaret? Attamen qui ita existimat, fallitur quam basilice, ac toto cœlo aberrat. Aliud quippe ille egit, aliud simulavit.

Etenim, sub specie oppugnandi Votum tuendæ usque ad Sanguinem *Conceptionis Immaculatæ*, controversiam ipsam adortus, sic primum ille statuit pag. 149. = *Et quamquam zelus laudetur ac Pietas, qui Mariam sine labe conceptam tuentur, eorum quoque zelus & Pietas commendanda est, qui vigilant, ne Error ac falsitas in doctrinam Ecclesiæ irrepat*. Quæ quidem *Lampridii* verba nolim ego interpretari, nec quid iis tacite innuatur, aut inquirere morosius, aut cuiquam patefacere. Tum & *pag. 68.* opinionem *Piæ Sententiæ* contrariam *vigere adhuc* dicit; additque pag. 97., eam quoque *Piam esse atque Probabilem*: immo pag. 148. & ipsam *esse posse honorificam Virgini*. Deinde pag. (112.

inter suos: quanquam me clam non est, perpaucos vel ex his ipsis esse, quibus ille probetur aut perplacere jure possit. Ad *S. Thomam* quod spectat: lege eundem *Part. 3. q. 27. art. 2. §. Ad tertium*, nec non *Cajetanum* ibidem; & videbis, quam imperitum sit ac prorsus novum atque inexpectatum, *Thomam* existimasse, *celebrari diem Conceptionis quoad corpus*; ut ne id quidem S. Doctor somniaverit unquam. Tam præclara Dogmata refricantur majore nisu a *Theologo Pollingano* in nupero Opusculo, cui titulus: *Hallucinationes P. Virgilii Sedlmayr*, a pag. 243., ubi, quo Adversarium ipse suum perterrefaciat, atque ab hac ulterius pugna deterreat, *personam* se scribit (do ejus verba) *honoratam ab Episcopis, Cardinalibus, ac ipso Summo Pontifice*; minasque insuper injecit, nec sane leves. Sed sua eum opinio fefellit. Nam hæc res illos sibi fluctus excitavit, ut tandem ab Serenissimo Bojariæ Duce, & S. R. I. Electore silere ipse (ut audio) jussus fuerit. Nec sane immerito. Nam si *non adversari se Conceptioni Immaculatæ* Theologus iste ex animo dicit: eccur *Thomam* adoptat exseritque, quem omnes norunt per ea tempora citra noxam Mysterio non admodum favisse? eccur ex illo fallacissime infert, *Ecclesiam* die 8. Decemb: non celebrare *nisi diem Conceptionis quoad Corpus*, cum sanctificatione ignorata quoad diem, quo ipsa vere contigit? eccur *se credere* addit, *NUNC* (non etiam olim ac semper) *eo sensu coli a PLERISQUE* (non ab universis simul ac singulis) *Festum hoc, ut venerentur Conceptionem rationalem*, hoc est, uti primo infusionis animæ instanti *Immaculatam*? eccur etiam laudati proxime Libelli, *de Virgilii hallucinationibus* inscripti atque *Augustæ Vindelicorum* anno 1749. evulgati, pag. 247. *Bollandianorum* in id rei suffragium, sed perperam, adducit, testantium, celebratam antiquitus fuisse *Conceptionem S. Johannis Baptistæ*, ita ut (inquit) *ea phrasi Ecclesiæ solum intelligeretur celebrari dies Conceptionis corporalis*? Confer dicta a nobis supra *Cap. VIII. & X.*; constabitque sat liquido, *Ense-*

112. = *Ita vero*, inquit, *unam Opinionem commendarunt atque foverunt Romani Pontifices, ut alterius tamen jura non læserint*; Et cit. pag. 68. = *Cras potest a Romanis Pontificibus deprehendi Veritas in Thomistica Sententia*, id est Conceptus fœdati. Præterea, quam *Lampridius* simul & *Valdesius*, ut pro viribus istiusmodi afflictæ Opinioni utcunque patrocinentur, & Bullas mutilarint & pessime interpretati sint; jam superius diximus suo loco. Videamus potius, quæ illi litteris mandarint de ipsa *Pia Sententia*, eximente Virginem a noxa Originali.

Si *Lampridio* credimus (cui nunquam non consonat *Valdesius*) Pia isthæc Sententia *antiquioribus Saculis Certum falsitatis probrum sustulit*. Quam in rem & *pag.* 201. intrepide dixerat, *per tria & decem Secula a Christo nato viguisse & COMMUNEM fuisse in Ecclesia Sententiam*, Deiparæ *Immunitati* ex diametro oppositam. Nihilo tamen secius eam alibi (id est Sententiam *Virgineæ Præservationi* adstipulantem) & *Piam* & *Probabilem*, nec infrequenter, agnoscit; immo illam, *Valdesio* teste pag. 216., & *Probabiliorem altera* vocari non admodum moleste fert: putatque se miris hisce fraudibus sat tectum iri, atque abunde a quavis vel sinistra suspicione liberatum. Interea, ut ad *Lampridium* redeat oratio, ipsum sane non puduit scribere pag. 103. = *Per undecim profecto Secula, atque ultra etiam, tum Sancti Patres, tum ceteri Pietate ferventes Christi Fideles, nihil nobis concedebant* (ita sane) *in observantia ac devotione erga Deiparam*; *attamen nulla apud eos mentio erat Immaculatæ Conceptionis*; quod ex dictis superius quam a vero absit, evidenter apparet. In eandem quoque sententiam *Valdesius* pag. 55. = *Nullus Veterum agnovit* Virginis Præservationem, *& aliqui etiam* (mi-

Eusebium istum ex hisce nunquam manibus elabi posse. Idque videtur ipsemet jam agnovisse, dum inibi *pag.* 167. pollicetur, fuse hac de re se acturum, ac Mysterium Conceptionis Immaculatæ *melius*, *saniusque* propugnaturum *in Tractatu de Peccatis & Gratia*, *intra annum circiter* (inquit) *cum aliis Theologiæ Tractatibus publicando*. Hactenus tamen nihil istiusmodi ad manus, vel aures meas pervenit, etsi sponsionis tempus jam effluxerit. Faxint superi, ut faciat ea, quæ promittit. Commune enim gaudium. Sed ego nihil dico amplius. De supercilioso enim hoc *Agredanorum Operum* Censore satis hæc ad institutum: speroque non defuturum, qui copiose dataque opera (si e re tamen esse videbitur) ita illum castigabit, ut Cardinalium *Theologum* & Episcoporum, quem ille se dicit, partim audaciæ suæ, partim inscitiæ atque inconsiderantiæ omnino pœniteat.

(mirum, quod non dixerit *Omnes*!) *negasse videntur*. Idemque *Valdesius* pag. 192., postquam memoravit se hac de re, quanta potuit diligentia, *Patrum scrinia* evolvisse, ait: *Mœrens dico: ne unum quidem reperi*, scilicet pro decantato hoc Deiparæ Privilegio proferendum. (*) Quid vero de *Theologis*? Plane de iis *Lampridius* pag. 155. hæc tradit: *Theologos veteres fere omnes fuisse, & non paucos etiam e recentibus esse in contraria sententia*, nempe Polluti Conceptus. Quid porro (ut mittam sexcenta alia hujus furfuris, quæ nihil opus est recensere) quid quæso de *Cultu*, quid de *Festo*, quid de ipsa denique *Ratione* congruenti, qua Mariani ejusmodi Privilegii veritas innititur? Non ne, ut suis quæque locis vidimus, irridet ac contemnit hæc omnia, nihil ex *Festo*, nihil ex *Cultu*, nihilque ex *Ratione* ipsa in rem *Præservationis* evinci posse pronuntians? Hæcque sunt præclara illa, quæ veluti ex tripode *Doctor Mutinensis* fudit oracula. Ubinam ergo illa *Pietas*, atque illa etiam major (ut non omnino repugnat) *Probabilitas*, quam Theologus iste, verbo quidem tenus, *Piæ* quoque *Sententiæ* haud minus, quam contrariæ, concessam esse voluit? Attamen de *Contraria* ne unum quidem verbum, quod jactatę ab illo seu *Pietati*, seu ejus *Probabilitati* deroget unquam: quinimmo cuncta sunt consona, quadrant faventque universa. Propterea, non ut *Contrariam*, sic & Piam *Lampridius* Sententiam pag. 113. *post paucos dies*, immo & *Cras*, ut pag. 68., ab *Petri* Sede definiri posse usquam adserit; quin potius de ista alio in Opere, videlicet Lib. II. *de Ingenior. Moderat*, Cap. 6., multo secus tradit: *Prope est ut dicam, decerni non posse*

(*) Fateor, *Lampridio* atque *Valdesio* hac in re prælusisse *Cajetanum* jam ab anno 1515. in Opusculo *de Concept. B. M. Virg.* Cap. 5. falso item scribentem: *Nullus Sanctus, nullus illustris Doctor antiquus pro hac parte* (idest pro Sententia Pia) *affertur, nisi forte a falsariis*. Idem in 3. *Part. Quæst.* 27. *Art.* 2. Piam Sententiam appellat *novam & alienam a doctrina antiquorum Patrum & Sanctorum communiter*. Paria *Medina*, aliique in *Cajetani* fide. Ast hæc ab inimicis, ut omnes norunt; atque eo etiam tempore, quo in utramque partem disputare erat sane integrum. Nunc autem temporis, quo id graviter est vetitum, quis talia expectasset ab eo, qui fallaciter se dicit amicum? Insuper de *Cajetano* id non mirum; quippe qui a *Cano* Lib. 7. *de locis* Cap. 3. concl. 5. *& vetustæ Traditionis parum tenax; & in Sanctorum lectione parum quoque versatus* palam edicitur.

posse. [*] Egregium hercle Theologum! a quo, si linguæ calamique usus non sibi esset ereptus, quam lubentissime rescirem, an pejora usquam (si apertam *hæreseos* notam excipias) non jam dico amicus, sed hostis etiam juratus adversus *Immunitatem* Divæ Matris possit effutire. Profecto, si [quod Deus avertat] prodiret ex Catholicis nescio quis, & similia eructaret, exempli caussa, contra Sanctitatem *in Matris utero* Virgini jam conceptæ communicatam, quam ipse alias inter *Fidei* dogmata imprudens connumeravit: crederet ne *Pietatem* simulanti atque dicenti, *se nihil mussitare* adversus Piam ejusmodi atque Ecclesiasticam Sententiam; immo *pro illa quoque dimicare se, ac in Virgine colenda concedere se nemini?* Nihil minus. Eccur ergo mirificis ejusmodi artibus idem nunc ipsemet præstat, quod in pari caussa, consilioque non dissimili, ab aliis factum jure quam meritissimo ipsissimus improbaret, carperet, insectaretur?

Quæramus jam vero; annon *Lampridii* Liber, uti & alter *Valdesii*, ambo istiusmodi technis & fallaciis referti, *Alexandrino decreto* pro *expresse* prohibitis censeri non tantum possint, verum etiam debeant. Adsectat quidem *Lampridius*, ut jam præfati sumus, nusquam non morigerus videri erga Pontificias Sanctiones, jamdiu per typos evulgatas. *Parendum est* (inquit cit. pag. 5.) *Pontificibus, Christiani Populi Magistris;* atque ab illorum Decretis ne pilum quidem unum monet sibi deflectendum. At non ne, quod dixit verbis, re ipsa moribusque contradixit? Quid *Paulus V.*, quid hac de re *Gregorius XV.* sanciverint, affatim supra tradidimus. Certe *Gregorius* Paulinam

(*) Hac de re videatur, si lubet, *Vasquez* Tom. 2. in 3. Part. *S. Thomæ*, Quæst. 27. Art. 2. Disp. 117. Cap. 14. ubi adversus *Canum* Lib. 7. de *locis Theol.* Cap. 3. concl. 4. non modo alterutram hujus controversiæ partem definiri posse ait, sed etiam addit *difficilius multo* sibi videri, *ut Ecclesia unquam judicet, & tamquam dogma Fidei definiat* partem illam, quæ asserit *B. Virginem in Peccato Originali conceptam esse*, ob rationes validissimas ibidem subtextas. Ita ille jam ante annum 1611. Nunc autem (nisi me fallit animus) diceret, id quoque esse factu prorsus *impossibile*, tum ob alia multa, tum etiam maxime, quia ubi id factum fingimus, *hæreticus* jam foret dicendus, qui Piam deinceps Sententiam teneret. Id autem dicere *falsum* judicavit & *erroneum* Sixtus IV. in Bulla: *Grave nimis*, a Concilio Trid. confirmata: ideoque non potest fieri, ut ullo unquam tempore Opinio isthæc definiatur. Idem sentit & *Catharinus* in Disp. *de veritate Immac. Concept. ad S. Synodum Trident.* Part. 2. col. 114. Edit. *Romanæ*, quem vide.

nam de *Silentio* Legem *ad privata quoque Colloquia & Scripta* extendit, districte mandans, *ne de cetero*, non modo *publicis, in Actibus quibuslibet*, sed ne *in sermonibus etiam & Scriptis privatis* audeat quis asserere, *quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato Originali, nec de hac Opinione affirmativa ALIQUO MODO agere, seu tractare*. Paruit ne *Theologus Mutinensis*, an non? Revera ipse nullibi asserit expressis verbis, Deiparam cum *peccato Originali* fuisse conceptam. At vero, qui hanc dicit Opinionem, non *privatis* tantum, sed *publicis* etiam typis, & *Piam* & *Probabilem* æque, ac oppositam; quique & addit *per tria & decem Sæcula a Christo nato* eandem illam unam *viguisse*, *atque Communem fuisse in Ecclesia* Dei; quique etiam ait, in Ecclesiastico penso absolvendo *Conceptionis* nomen (plura alia prætereo) utrique Sententiæ favere tam *Præservationis*, quam *Expiationis*: nonne id tacite saltem videtur asserere; *expresse* vero in illam saltem *Gregorianæ Legis* partem delinquere, qua cavetur, ne quis *de hac Opinione*, Originalem maculam Dei Genitrici affingente, *agere seu tractare* ausit *quoquo modo*? Si istud non est, ut severissimam, sic sanctissimam *Silentii* Legem conterere, fractisque repagulis omnibus nihil non sibi permissum arbitrari adversus Piam de *Immunitate* Sententiam: quæso, quid erit unquam?

Sed juvat propius ad rem accedere, atque ex ipso *Alexandro VII.*, quid ad propositam quæstionem respondendum sit, certo cognoscere. Postquam enim celebri sua Constitutione, quam supra *Cap. VIII.* totidem verbis recitavimus, *Paulinam* & *Gregorianam* Silentii Legem, severius etiam multo quam ante, innovasset; de *Libris* huc spectantibus, atque in posterum evulgandis, decernit ille (ut vidimus) in hunc modum: „ Ac Libros in quibus præfata (scilicet *Conceptionis Immaculatæ*) Sententia, Festum, seu Cultus secundum illam (*Piam Sententiam*) in dubium revocatur, aut contra ea QUOMODOCUMQUE, ut supra (id est, *directe*, *vel indirecte aut quovis prætextu &c.*) aliquid scribitur aut legitur, ... post *Pauli V.* supra laudatum Decretum editos, aut in posterum quomodolibet edendos, prohibemus sub pœnis & Censuris in Indice Librorum prohibitorum contentis, & IPSO FACTO absque alia declaratione pro EXPRESSE prohibitis haberi volumus, & mandamus. „ Sic plane *Alexandri* Constitutio: ad quam si *Lampridii* & *Valdesii* Libros exigas; quis eos non videat *ipso facto absque alia declaratione* ad *expresse* prohibitorum classem Alexandrino decreto ablegatos esse? Quæ enim inibi,

præ-

prætextu quidem *Sanguinarii Voti* improbandi, adversus Piam *Præservationis* Sententiam leguntur; jam audivimus. Quid vero Auctor moliatur adversus *Festum* & *Cultum*, quem cum Pia oppositæ item Opinioni centies communem adserit, ne scilicet hęc (quoad ejus fieri potest) ulla re quicquam concedat alteri: plus etiam satis suo loco diximus, nec lubet heic rursus dicere. Illud addam, *Lampridium* integro *Cap. X. & seq.* singulatim enumerare fraudes, fabulasque a *Piæ Sententiæ* tutoribus excogitatas: Quo autem nihil deesset facinori, aut suo decederet animo in Deiparæ *Immunitatem* propenso, ex *Augustino le Blanch* pag. 80. & facinus quoddam (verum ne, an falsum, non vacat heic exquirere) in scenam educit, nullo interim facto verbo de fabellis, deque fraudibus longe pluribus, gravioribusque, patratis atque admissis a contrariæ Opinionis fautoribus, nisi paucula illa frigida, ac generalissima verba pag. 76. = *Porro eadem ratione arguendus erit, quicumque traditur adulterasse loca Patrum in contrariæ sententiæ patrocinium, aut revelationes confinxisse Conceptioni Immaculatæ adversantes*. Ab hujusmodi autem flagitiis recensendis hoc loco abstineo, ne obductam jam cicatricem videar quasi de industria, deditaque opera refricare voluisse. Obiter tamen dicam, neque insalutatum dimittam longum illum *SS. Patrum* catalogum, a *Lampridio* callide consarcinatum *Cap.* 24. Istorum quippe loca omnia, ab Adversariis *Immunitatis* millies producta, millies quoque fuerunt a Theologis, ab Academiis, a Summis etiam Pontificibus ad examen vocata, milliesque protrita, ac nullius prorsus roboris ab iis agnita. Quid, rogo, *Lampridium* impulit, ut exereret hæc iterum, atque in lucem emitteret? Num pius amor, ardorque dimicandi pro *Immunitate* Divæ Virginis? Absit. Ejus consilii ratio sat elucet ex iis, quæ *pag.* 203. *ac seq.* de Piæ Sententiæ Patronis subducit in hæc verba: *Non aliam isti adinvenere viam conciliandi TOLERABILI* (contentus est dicere strenuus *Præservationis* certator *Lampridius*) *tolerabili aliqua ratione loca Scripturarum, Patrum ac veterum Theologorum cum sententia sua* (id est munditiæ Originalis), *nisi statuendo in virgine* Debitum *Peccati Originalis*, *atque ab ea excludendo* Peccatum *ipsum ex singulari beneficentia Dei*. Hæc quidem una est via, sed plane non sola, expediendi se ab istiusmodi nodo. Audi *Petavium*, a te tantopere, nec immerito, commendatum: *Sed jam illud a nobis animadversum est; generales illas enuntiationes in Scripturis* (idem & de *Patribus* dicendum) *communi & humano more sæpius usurpari*, *ut non*

Lib. 14. de Incarn. Cap. 2. n. 13.

ut non ad totum referenda sit vox OMNIS, sed ad partem maximam; quam regulam enarrandæ Scripturæ *Hieronymus præscribit*, eademque apprime inservit & *Patrum* locis explicandis, quos persæpe non nisi *Sanctarum* more *Scripturarum* loquutos fuisse constat. Cur ergo *Lampridius* ceteras vias explanandi loca *Patrum*, adversus *Originalem* Virginis *Integritatem* allata, artificiose dissimulavit; immo *non aliam*, præter unam illam a se commemoratam, *adinventam* hactenus *fuisse* quam falsissime scripsit? Taceo, quanta ille industria, quanta ingenii animique contentione vel illorum dicta *Patrum*, *Veterumque Scriptorum*, quæ nos supra a *Pia* stare *Sententia* demonstravimus, aut deprimere ac delumbare, aut ad vitiatam corruptamque Conceptionem detorquere conatus fuerit. Ac proinde quis, amabo, ambiget, id genus Libros vetitæ Lectionis Libris *ipso facto & absque alia declaratione* esse re vera adnumerandos?

Profecto, ego ipse si malo animo essem erga *Valdesium* aut *Lampridium*, non modo omnia ejus mala omnibus heic nota facerem, sed ita etiam illum, si copia foret, Tullianis hisce alloquerer verbis: *Si ista caussa abs te tota per summam fraudem & malitiam ficta est, quo te nomine appellemus? audacem? improbum? perfidiosum? Vulgaria hæc & obsoleta sunt; res autem nova & inaudita*. Sed nunquam feci, nec faciam: vereorque, ne aut acrioribus utar verbis, quam natura fert, aut levioribus, quam caussa postulat. *Non enim consuevi* (ut cum *Hieronymo* loquar) *eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia*. At vero BENEDICTUS XIV. (quem quum nomino, satis videor commendasse, quemque nobis Deus quam diutissime, ut rogo, servet incolumem) BENEDICTUS, inquam, hujus nominis XIV. Pontifex Maximus, in Litteris suis (*) ad *Episcopum Terulensem Hispanæ Inquisitionis* Præfectum, seu *Majorem*, ut vocant, *Inquisitorem*, die 31. Julii 1748. perscriptis, ac *Matritum* submissis, quibus eum paterne admonet, quod minus recte, minusque prudenter inter proscriptos ab Hispana Inquisitione libros nonnulla *Norisiana* Opera recenseri passus fuerit; inter alia bene multa, quæ huc referre sibi pla-

Epist. 14. ad Pamach. & Ocean. olim 65.

(*) Pontificiæ id genus Litteræ ita incipiunt: *Dum præterito Mense Junio* &c. ac desinunt: *Datum apud S. Mariam Majorem 31. Julii 1748.*

placuit exempla, de Theologo nostro sic ille subdit: „ No-
„ tum denique tibi erit nomen *Ludovici Antonii Muratorii*
„ adhuc viventis, multorumque Librorum communi applausu
„ receptorum editoris. Oh quam multa reperiuntur in eis
„ censura digna! Quot hujusce surfuris Nos ipsi eos legentes
„ offendimus! Quot nobis ab æmulis & accusatoribus oblata
„ sunt! & nos usque adhuc abstinuimus & abstinebimus ab
„ Operum condemnatione, nostrorum Prædecessorum exem-
„ plis edocti, qui pacis & concordiæ amore a proscribendis
„ iis, quæ proscriptionem merebantur, cessarunt, quando
„ videlicet censuerunt plus mali, quam boni a proscriptio-
„ ne derivandum. „ Judicium istud Pontificis Summi equidem deosculor, ut sane oportet: quin vero ejus tunc oculis obversaretur cum *Lampridii* Liber, tum etiam ille *Valdesii*, vix ac ne vix quidem licet dubitare. Nemo tamen hinc existimet, a Sapientissimo Pontifice eam esse censuram suspensam aut sublatam, quam in istiusmodi Libros, horumque similes jam diu tulit Decessor ejus *Alexander VII.* Etenim ille de istius Constitutione Pontificis ne meminit quidem: tantum abest, ut ei abrogatum ab illo sit, vel quoquo modo derogatum.

Nunc autem mihi & de propugnatæ hactenus doctrinæ, consectariis, ad quæ tandem devenimus, differendum est. Equidem illud, nec immerito, cum *Andrea Duvallio* Doctore Sorbonico, elicere heic possem atque statuere quam facillimo negotio, *Opinionem nostram* de Conceptu nulla unquam labe contaminato *esse in apice Certitudinis Theologicæ: quippe cum ex regulis Fidei per discursum Theologicum ordinatis, & dispositis abunde probetur, nihilque ei pro Fidei assensu præter expressam Ecclesiæ definitionem deesse* videatur. Attamen id ego, aliaque generis ejusdem colligere ex constitutis, hercle nolo; quanquam, si oporteret, sit nihil facilius. De uno duntaxat, quod primo sese offert loco, haud mittam dicere, de quo nulla mihi unquam (etiam si maxime vellet) cum *Theologo Mutinensi* concertatio erit; nimirum tam esse Veram Certamque, ut minimum, *Immaculatæ Conceptionis* Sententiam, quam sunt veræ certæque Sententiæ illæ tum de *Corporea Assumptione* Virginis, cum etiam de *Sancta* ejusdem *Nativitate*. Trium enim harum Sententiarum, jam diu ab Ecclesia consecratarum, una sane eademque sunt utrisque communia rationum momenta, quibus illæ innituntur; uti jam supra *Cap. XII.* quam luculenter ac fuse osten-

in 1. 2. Quæst. ult. de Peccat. Art. 7. in fin.

ostendimus. Ac proinde & istud suapte sponte venit, unam eandemque seu Veritatem seu Certitudinem inesse ex æquo omnibus; certe Sententiam *Conceptionis Purissimæ* [quod est ad rem hanc] duabus reliquis concedere omnino nihil. Est ne in hoc aliquid, quod jure possis exagitare aut in discrimen adducere? Non heic quæro, quæ & quanta sit ejusmodi Certitudo & Veritas: dixisse sat erit ad institutum, hac in re alteram alteri ex laudatis Piis Sententiis neutiquam præstare.

Atque hinc facile est conjicere, qua sit censura dignus, qui Piam de *Præservatione* Sententiam hoc tempore in dubitationem pertraheret. Et sane, sub anathematis interminatione, aliisque pœnis ipso facto incurrendis, vetitum esse hanc eandem *Sententiam* (immo *Festum* quoque seu *Cultum*, secundum illam Piam Sententiam nunquam non, ex quo cœpit, ab Ecclesia *B. Virgini* delatum) quovis excogitabili modo *in disputationem revocare*, patet legenti *Alexandrinum* Diploma, quod nuper transcripsimus. Tale quid profecto ad manus non est, quod pro *Assumptione* aut Virginis *Nativitate* ponatur in medio. Attamen animadversione digna sunt *Petri Blessensis* verba de Deiparæ *Assumptione* prolata: *Hodie verisimile est, quod B. Virgo & animæ beatitudinem, & Corporis glorificationem adepta est. Quod ne alicui veniat prorsus in DUBIUM, auctoritatibus adstruimus, opinando tamen, non asserendo*. Dei Genitricis *Assumptio*, teste ac judice *Petro Blessensi*, verisimilibus, non apodicticis rationibus nititur: *Verisimile*, inquit, *est*: ideoque verisimilitudine quidem hæc Sententia nixa est, Ecclesiæ potissimum auctoritate fundata; non vero Fidei Orthodoxæ dogma, prorsus ratum, cui salva Fide, qua Christiani sumus, omnino nequeas obluctari. Nihilo tamen secius, nemo probus, riteque doctus illam unquam oppugnaverit. Quid, quod ea de re ne ambigendum quidem *Blessensis* statuat? *Ne alicui*, inquit, *veniat prorsus in dubium*? Similia vero de Mariana etiam *Nativitate* S. Bernardus, cujus locum jam alias indicavimus. Ait quippe, ut rursus dicam: *Ortum Virginis didici in Ecclesia & ab Ecclesia INDUBITANTER habere festivum atque Sanctum, FIRMISSIME cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse, ut Sancta prodiret*. Habet igitur & Ecclesia Opiniones suas (non enim quidquid illa sentit, sentit tanquam Certum, *certitudine* Fidei), de quibus tamen Viro Catholico fas non est ambigere. Itaque, ut rem in pauca conferam; quæ illi censura inuritur, qui istarum Sen-

In Serm. 28. de Assumpt.

Epist. ad Canonic. Lugdunens. 174.

Sententiarum alteram verteret in dubium, eadem quoque notandus erit ille, qui priorem de *Immunitate* Virginis in disputationem vocaret. Utrinque enim una eademque fine dubitatione communis est ratio: atque adeo una eademque etiam communis utrinque censura. Quapropter, ut de *Assumptione* Virginis *Corporea* dubitantibus apertam *temeritatis* notam inurit *Natalis Alexander* alibi jam citatus; utque hanc eandem de adsumpto Mariano in Cœlum Corpore seu Veritatem, seu Ecclesiasticam Sententiam negantibus *Card. Gotti* Tom. IV. *de Verit. Relig. Christ.* Cap. 41. §. 2. non quidem *hæresis* crimen, sed hæreseos tamen *suspicionem* appingit eo ex nomine, *quia* (inquit) *præsumeretur hoc ex judicio erroneo procedere, nimirum quod Ecclesia Universalis proponeret B. Virginem sub titulo FALSO colendam*: nihil plane vetat, quo minus paria dicamus in eum, qui aut dubitaret aut negaret, Deiparam fuisse vel *Natam*, vel *Conceptam* fine Peccato. Plane, ut alio in loco ex *Augustino* diximus, heic autem denuo est nobis dicendum: *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est*. Ac quidem inter eos, qui aperte ac nominatim *Temeritatis* damnant adversantes Piæ de *Præservatione* Sententiæ, profecto eminet *Ludovicus Blosius* circa ann. Christi 1549. in *Sacello Animæ fidelis* Cap. V., Sanctitatis & eruditionis laude cumulatus, cujus Vitam *Bollandus* exhibet inter *Acta Sanctorum* ad diem VII. *Januarii*, ubi & Scriptorum ejus Catalogus Chronologicus præmittitur.

Sæcul II. Hist. eccl. Cap. 4. Art. 3. Wen. in fin.

Epist. 54. ad Januar. Cap. 5. num. 6. alias Epist. 118.

Ex quibus obiter intelliges, quam sit a vero procul *Lampridius*, quum Opinionem de *temerato* Conceptu, quam Ecclesia vigere amplius non finit, & *Piam* & *Probabilem* dicit perinde, ac ejus contrariam, quæ scilicet arcet, eximitque Virginem ab Adami peccato, a macula *Originis*. Etenim si hac de re vel *dubitare* Temeritatis arcessitur: quei, obsecro, fieri potest, ut oppositum ejus *Pium* ac *Probabile* jure dicas? Præclare hinc *Suarez*, Doctor fane Eximius: *Observandum est, falso Medinam* (dicamus nos *Lampridium*) *hoc loco docere, Ecclesiam vel Pontifices tradere, hanc Opinionem* (id est, Piæ Sententiæ adversam) *esse Probabilem. Nunquam enim hoc dicunt, sed solum non esse Erroneam* (quod *Suarii* ætate verum erat, utpote scribentis post *Pii V.* Decretum, & antequam *Paulus V.* aliique successores Pontifices suas in id rei Bullas cuderent per annorum intervalla) *neque esse peccatum Mortale illam asserere, quod valde diversum est. Adde* (inquit), *quod in uno tempore*

in 3. Part. Tom. 2. Disp. 3. Quæst. 27. Art. 2. Sect. 6.

est

est Probabile , discursu temporis posse Improbabile fieri . Et infra ; quibusdam interpositis , de *Præservationis* Sententia adnectit : *Quocirca jam hoc tempore existimo , Sententiam hanc* (de *Pia* loquitur) *tam esse Probabilem , quam intra latitudinem opinionis esse potest : quia revera Sixtus IV. plurimum illi favet , cujus Decretum Concilium Tridentinum approbat , tota Ecclesia in illam vehementer inclinat , quo fit , ut contraria sententia* (id est, conspurcatæ Conceptionis) *nullo vel firmo , vel satis apparenti fundamento jam niti possit .* Adeoque is magni nominis Theologus (*Suarez* dico) Opinionem hanc , *Piæ* atque *Ecclesiasticæ Sententiæ* oppositam , nec *Piam* esse censet nec *Probabilem* , quin potius omnino *Falsam* ; ita ut *definiri* hæc ab Ecclesia (quantacumque se lactent fiducia Adversarii) nullo pacto queat. Hæc *Suarius* sub annum 1591. Quid , rogo , diceret , si *Pauli V.* , *Gregorii XV.*, atque *Alexandri VII.* Diplomata conspexisset ?

Neque dicas , Ecclesiam hactenus non *reprobasse* sententiam , Virgini adjudicantem *Originale* Peccatum ; immo eandem hodieque *tolerare* , atque etiam prohibere , ne illi inuras notam vel *impietatis* , vel *hæreseos* , vel *peccati Mortalis* : atque adeo a *Probabilitatis* arce non esse dejiciendam , minus vero ceu *Temerariam* , *Falsamque* ab ullo traducendam . Id , inquio, ne dicas, quia sane nil juvat dicere . Enimvero , miserum id effugii genus jamdiu tibi *Ambrosius Catharinus* præripuit , cujus hæc sunt (*Thirso Gonzalez* referente) gravissima verba , ac Sole clariora : „ Dicunt aliqui ; non sumus hæretici , si non „ sequimur in hoc sensum Ecclesiæ: cautum est enim , ne quis „ nos *hæresis* nomine damnet, si aliter sapiamus , quam illa „ receperit . Non nego , *ait Catharinus* : sed illa ut pia & „ suavissima Mater , non consuevit repente vinculis *Præceptorum* Filios adstringere , ne forte ad contumaciam , rebel„ lionemque provocaret : sic enim (ut *Augustinus* eleganter „ dixit) multitudinibus per Schismata & Hæreses pereuntibus „ plerumque subvenire solet ; Piorum autem Filiorum non „ est in omnibus expectare *Præceptum* , & interim ejus in„ dulgentia & benignitate abuti , idque ad elationis suæ ma„ lum convertere , quod ipsa *tolerat* propter pacis Bonum . „ Satis ergo hactenus fuit Piæ Matri *facto* & *exemplo* suo mon„ strare , quid & nos facere debeamus, ad quos attinet æmu„ lari illam , ut Magistram & Matrem . „ Hucusque *Catharinus* , judicio atque eruditione plane summa , vel ante Diploma *Pianum* . Quid , si vidisset ab hoc ipso Pontifice (id est *Pio V.*)

Lib. de gradu Certitud. Piæ Sent. Disp. 2. Sect. 16. §. 4. num. 183.

Pio V.) Opinionem ejusmodi in *Bajo* proscriptam, seu stigmate notatam? Quid si a *Paulo V.* & *Gregorio XV.* silere prorsus jussam? Quid denique, si contra vidisset omnes prorsus Clericos ab eodem *Gregorio*, a *Clemente* autem *XI.* universos etiam Christi Fideles perspicue jussos *Immunitatem* colere; itemque interdictum severe ab *Alexandro VII.* omnibus, Piam hanc *Immunitatis* Sententiam, ejusdemque seu *Festum* seu *Cultum* in discrimen, in *disputationem* adduci, aut contra ea *directe* vel *indirecte*, *scripto* seu *voce*, aut alio *quovis modo* vel *occasione* agi quidquam, atque *tractari*? Quæ enim, rogo, non ille diceret (hæc ubi videre sibi licuisset) quæ, inquam, non diceret Sapientiæ plena in id genus homines, suffugia latebrasve quærentes, Vir adeo doctus, ac Deiparæ honori amplificando tantopere addictissimus?] Sed ne a proposita mihi meta digrediar, peto abs te: an usque hodie Ecclesia diserte *reprobavit* illorum opinionem, qui aut dubitarunt aliquando, aut etiamnum forte dubitant de *Assumtione* Divæ Virginis, seu gloriosa ejus *Corporis* in Cœlum exaltatione? Idem peto & de *Nativitate* ejusdem Virginis; nempe an velut *Hæreticus* ab Ecclesia reprobatus sit, qui Sanctitatem, Deiparæ collatam, antequam ederetur in lucem, aut olim aut nunc inficiaretur, aut verteret in dubium? Haudquaquam, dices: Immo Ecclesiam *tolerasse* constat dubitantes olim de *Virginea Assumptione*, etiam post ejus Festum institutum ac solemniter celebratum. Quid ergo? Num idcirco id surfuris Opiniones, seu *Assumtioni* seu *Nativitati* adversas, tametsi illas non omnino *reprobavit* Ecclesia, sed etiam *toleret* cum mœrore, & *Pias* tu forsan dixeris vereque *Probabiles* potius, quam *Temerarias* ac revera *Falsas*? Nusquam sane gentium. Quidni igitur idemmet judicium, potiori etiam jure, in eos tuleris, qui post tot favores ab Ecclesia *Præservationi* delatos, postque tot vulnera contrariæ illius Opinioni inflicta, sane gravissima, eandem tamen & *Vigentem adhuc* somniant, & *Piam* insuper ac *Probabilem* pergunt dicere, nec uti *Temerariam Falsamque* haberi volunt, ac fateri recusant? Hoccine est credibile? hoccine probe sapere?

Quinimmo, si *Alphonsum a Castro*, si *Melchiorem Canum* aliosque consulas de *Propositionum* censuris disserentes, facile erit ejusmodi Propositionem = *Beata Virgo peccatum Originis a primo Parente contraxit* = non modo *Temeritatis* ac *Falsitatis* arguere, sed etiam inter *male sonantes*, seu *piarum aurium offensivas*, simul atque *scandalosas* collocare. Atque hoc potissimum

Lib. I. *de justa Hæreticor. punit.* Cap. 1. pag. 12. & seqq. Lib. 12. *de locis Theolog.* Cap. X.

mum nomine Assertum istud in *Michaele Bajo* a Romanis Pontificibus perstrictum, taxatumque fuisse, testis est locupletissimus *Natalis Alexander* , alio in loco (id est *Cap. VI.*) jam laudatus. Hisce autem probandis haud immoramur diutius, utpote brevitati studentes: ac proinde vel indicasse sufficiat. Quod vero dicit *Canus* loco citato, ut Assertionem prædictam a cœtu *male sonantium* , seu quæ *pias* offendunt *aures* , ejiciat; nempe *piarum aurium offensionem crimen esse* : de Virgine autem asserere, quod cum *Originali peccato* fuerit concepta, *Ecclesia* (subtexit ille) *ab omni alienum crimine censuit* : id, inquam, quod dicit *Canus* , quodque heic Lectori subterducendum non erat, si quidem tenuit suo ævo (e vita enim excessit ante *Pii V.* Pontificatum) ætate nostra, ac post *Gregorii* atque *Alexandri* Diplomata, ut iterum ac sæpe dixi, sustineri plane non potest. Sed hæc hactenus: jam pergamus ad reliqua.

Unum hoc loco superest, de quo mihi in præsens dicendum (de aliis dicam alibi); videlicet inquiret heic ex me aliquis, an Opinionem hanc de *vitiato* Virginis *Conceptu* , ut *temerariam* & *falsam* , sic & *Erroneam* appellare liceat, nec ne? Negat id quidem, ac pernegat *Valdesius* cum *pag.* 57., tum etiam *pag.* 188. Hisque ad id negandum momentis ille ducitur, sibi ineluctabilibus. In eo summa est: S. Pium V. præcepisse, ut *neutra pars hujus quæstionis veluti Erronea prædicetur* . *Tanti Pontificis* (subdit *Valdesius* cit. pag. 57.) *Tanti Pontificis decretum in hac parte ne uno quidem verbo revocavit Alexander VII. Immo is innovavit Gregorii XV. Constitutionem, ubi confirmantur quæcumque Sanctus Pontifex Pius præscripserat* . Altero autem loco, id est *pag.* 188., post Piana illa verba confestim subducit: *quod repetitum videas a Gregorio XV. scribente* : „ Dum tamen neutra veluti Erronea, „ aut Hæretica damnetur. „ *Gregorii vero XV. Decretum postea innovavit Alexander VII.* Dein ita claudit Decretorum Pontificiorum zelator admirandus: *Jam ergo manifeste læsam ab iis tenemus auctoritatem Summorum Pontificum* , ab iis nempe, qui *Erroris* dicam adscribunt Opinioni, quæ Virginem involvit *Adæ* peccato. Lepide profecto, utpote ab homine, qui non videt manticæ quod in tergo est. En autem plura in paucis verbis accusationum capita, quæ heic nobis sunt retegenda, ne cum caussæ dispendio ac veritatis lateant quenquam. Primo etenim falsum est prorsus, quod *Valdesius* intrepide scribit, Gregorium scilicet XV. idem, quod *Pius* antea, in hæc verba statuisse: *Dum tamen neutra veluti Erronea, aut hæretica*

dam-

damnetur. Verba namque ista in *Gregoriana* Sanctione, hac de re edita anno 1622., nusquam invenies, ut a *Gregorio* dicta; bene vero uti a *Paulo V.*, cujus ille tenorem Decreti ibidem sub initium de verbo ad verbum refert, illud ipsum *Pauli* Decretum *etiam ad privata Colloquia & Scripta* amplians atque extendens. Fateor autem, *Gregorium* sub finem jussisse, *ut in reliquis omnibus, ubi hujusmodi decretis non adversantur, Constitutiones.... ...Pii V. ac Pauli V. ejus prædecessorum firmæ & illibatæ remaneant, atque exacte observentur perinde, ac si hujusmodi decretum non emanasset*. Quid postea? Perpendenda heic veniunt judicio quam accurato illa *Gregorii* verba, proxime allegata: *In reliquis omnibus, ubi hujusmodi Decretis non adversantur*. Sane, *Silentium* omnigenum, *privatim* etiam, nedum *publice*, a Gregorio XV. Opinioni istiusmodi impositum, quæ Virgini adtribuit *parentale* peccatum, quantum illi damni intulerit, quantumque illam extenuarit, depresseritque; satis supra Cap. VII. a me arbitror demonstratum. Damnum istud, hæc extenuatio, ac depressio plane vehemens, potest ne, obsecro, conciliari *Paullinæ* aut *Pianæ* cautioni de non damnanda a quopiam Opinione hac, *veluti Erronea?*

Deinde, etiamsi conciliari posset: falsum est saltem, quod a *Valdesio* adjicitur, scilicet *Pii V.* decretum nullatenus fuisse ab *Alexandro VII.* hac parte revocatum. Falsumque etiam quod sequitur; id est, non modo Decretum Pii *Alexandrum* non sustulisse, verum etiam confirmando *Gregorii* Constitutionem illud quoque confirmasse. Quam enim hæc in solius sint *Valdesii* cerebro nata; ex dictis superiore Cap. VIII. pag. 87. licet cognoscere, neque heic repetere necessum est. Certe *Alexander* bis innovat *Gregorii* & aliorum Præcessorum Decreta. Primum quidem §. 4. disertis hisce: *Constitutiones & Decreta a Sixto IV. Paulo V., & Gregorio XV. edita IN FAVOREM Sententiæ asserentis Animam B. M. Virginis .... a peccato Originali præservatam fuisse, nec non & IN FAVOREM Festi & Cultus Conceptioni ejusdem secundum Piam istam Sententiam exhibiti, INNOVAMUS, & sub censuris &c.* Secundo autem §. 5., ubi pœnæ ab *Alexandro* decernuntur in in eos, qui *præfatas Constitutiones seu Decreta ita pergent interpretari, ut plane frustrentur*, aut qui *hanc eandem Sententiam, Festum seu Cultum in disputationem revocare* (nedum contrarium asserere) *ausi fuerint*: quos omnes & singulos non solum pœnis & Censuris a *Sixto IV.* latis, sed *aliis* etiam *nostro* (inquit) *& Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pœnis pariter*

riter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes, INNOVANTES Pauli V. & Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones sive Decreta. Priore loco *Alexander* renovat Prædecessorum suorum Decreta, speciatim vero *Gregorii XV.*, qua parte *favent* & Sententiæ, & Festo, & Cultui *Præservationis. In favorem*, inquit. Posteriore autem ea ipsa instaurat quoad *pœnas* & *censuras* duntaxat, in transgressores hujusmodi denuntiatas: præterea nihil. An istud est (ut *Valdesius* obtendit) *Alexandrum* innovando *Gregorii* Decretum, *Pianam* quoque Constitutionem, de qua ne verbulum quidem, renovasse; qua scilicet cavetur, ne alterutra pars *veluti Erronea prædicetur*? Dicam verbo: *Alexander VII.*, cui standum (posteriora enim derogant prioribus), prohibuit sane, *hæreseos*, aut *peccati Mortalis*, aut *impietatis* damnari Opinionem *Piæ Sententiæ* e regione oppositam. Id quidem lego: alterum vero, ne *Erronea* dicatur, omnino non lego. Adeoque per *Pontificum* Bullas id genus Opinionem *Erroris* insimulare plane licet.

At, nunquidnamnon idem licere Ratio quoque ipsa demonstrat? Celeberrima quidem *Parisiensis Facultas*, hoc est gravissimus ille præstantissimorum Theologorum conventus, non tam vetus, quam hodiernus etiam (ut nuper ostendimus) Opinionem seu assertionem hanc, Deiparæ *Præservationi* contrariam, non *Falsam* tantum, sed & *Erroneam* judicare minime dubitavit. Tantorum Virorum Senatum, omnium maxime spectatissimum, quis dicet, credetve, nulla ratione motum, eaque sane validissima, ad id processisse? Qui se istis adjungit, idemque cum illis sentit hac in re; an taxandus est unquam, an idcirco culpandus? Quid est enim, peto, propositio *Erronea*? Si nobis id lubet a *Melchiore Cano* addiscere, non jam infimi, sed summi subsellii Theologo: triplicem gradum propositionis *Erroneæ* distinguamus, oportet. Primus earum est Propositionum, quæ *Fidei* quidem veritatibus minime adversantur: attamen iis veritatibus contrariæ sunt, *quas universa* (sunt hæc disertissima *Cani* verba) *Ecclesia tenet, quibus licet eversis Fides quatitur, sed non evertitur tamen.* Id quod laudatus Auctor sequentibus exemplis declarat: *Speciales orationes applicatas uni personæ per Prælatos vel Religiosos plus prodesse eidem, quam generales; Fratres non teneri labore manuum victum quærere, sed licere eis esse mendicos; & complures alias similes propositiones* ex iis esse dicit, & recte quidem, *quas omnes Catholici* (citra tamen Fidem) *veras esse sine dubio existimant.* His autem oppositas Propositiones non quidem *hæreticas*, sed tamen *Erroneas* merito vocandas esse *Canus* censet.

Alter

Alter propositionis *Erroneæ* gradus est, *quum veritas aliqua* (eodem *Cano* auctore), *Sapientum, quidem opinione vehementi, Fidei veritas est,* (*) *sed non est plane ab Ecclesia DEFINITA, nec CERTO argumento demonstrata; tunc veritati illi adversari non est hæreticum, sed ERRONEUM.* Ejus rei nullum quidem exemplum promit *Canus*: dabo autem ego unum e multis, idque a *Gregorio de Valentia* suppeditatum *loc.* alias *cit.*, atque ad rem, de qua agitur, maxime accommodatum. Nempe B. Virginem fuisse *Sanctitate* donatam, priusquam prodiret ex *utero* Matris suæ, tam *certum* habet Theologus iste, nec parvi nominis, ut, licet probe teneat, nondum id esse ab Ecclesia *definitum*, aut ei divinitus revelatum, negari id tamen non posse statuat *absque errore*. Tertium gradum taceo, quia commemorare non est opus: de quo, qui volet, fontem adeat, id est *Canum* ipsum consulat, toties mihi laudatum, Lib. XII. *de locis* Cap. 10. sub initium. Ad hanc porro doctrinam, veluti ad lydium lapidem, si propositio illa exigatur, quæ Virginem asserit *Adami* flagitio adspersam; nemo non videt, eam jure meritoque in *Erronearum propositionum* numero esse deputandam? Quis enim nescit, esse e Sapientibus non paucos, immo etiam longe plures, qui *opinantur* quam vehementer, Deiparæ nitorem ac munditiem a noxa *Originis* Fidei veritatem esse; quamvis non ignorent, quin etiam fateantur, *non esse plane ab Ecclesia definitam, nec certo argumento demonstratam?* Plane, Sapientiæ laudem, magnæ etiam atque eminentis, nemo velit, nec etiam possit *Gersonio* invidere. Is autem Vir Sapientissimus (quem solum huc adduxisse plus quam satis erit) de

(*) Ad cavillos retundendos, qui a moroso censore adversus hanc *Cani* sententiam possent intentari, audi Pritanium Lib. I. *de ingenior. moderat.* Cap. 19. a pag. 88. Edit. tertiæ Venetæ ann. 1741. docentem: *Certum est, unumquemque Fidelium, simul ac evidenter cognovit, Dogma aliquod ab omnibus aut plerisque Patribus tradi, consentire statim, illudque amplecti debere, etiamsi nulla Ecclesiæ definitio præcesserit.* Et paullo inferius: *Hanc Patrum Traditionem atque concordiam facile unusquisque per se deprehendat, si fideliter ac accurate Veterum monumenta perpendat; idque satis esse potest, ut sine alio Ecclesiæ decreto iis Dogmatis Christiani adjungere aut tuto possint aut debeant fidem. Sed istam Traditionem evidentiorem, & divinitus certam Ecclesia deinde facit, dum Dogmata ipsa statuit.* Exemplo sit *S. Augustinus*, qui adversus *Semipelagianos* disputans, tanta animi judiciique firmitate, tanquam pro re *Fidei*, pro sua in illos pugnavit *Sententia*, quam Ecclesia nonnisi longe post ejus obitum, hoc est in Synodo *Arausicana II.* anno 529. Divinæ Dogmatis Fidei adscriptam voluit.

de *Originali* Dei Genitricis Puritate seu Integritate non secus sensisse videtur, quum in cit. nuper Sermone *de Concept. B. Mariæ Virg.* ait: *Hanc* (Marianæ Integritatis aut Præservationis) *Veritatem de illis esse Veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel per Ecclesiam declaratæ, quæ hoc modo tenet*. Sed ut ad primam *Erronearum* propositionum classem ascendamus: quid magis *Ecclesia*, quid *omnes Catholici* [si quam paucissimos forsan hodie excipias, Deo soli notos] magis verum esse existimant, quam Deiparam Virginem fuisse sine peccato conceptam, nullaque primigeniæ labis contagione affectam? *Nonne* ista de Virgine [ut *Augustini* verba huc coaptem] *nonne ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, & Indocti in circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacratis locis, & in Orbe terrarum Genus Humanum?* Certe, ut eleganter ac vere Cardinalis *Sfondrati*: *Hoc*, inquit, *Forum, hoc Schola, hoc Templa, hoc Palatia, hoc Regia, hoc Vaticanum; hoc Medii, Summi, Infimique decantant*. Quocirca, quis nos, nisi temere omnino ac perperam, reprehendet, si doctrinæ *Cani* inhærentes, cum Theologis Parisiensibus Opinionem *Præservationi* adversantem, non modo *temerariam* & *falsam*, sed *Erroneam* etiam credamus, palamque pronuntiemus?

Lib. *de duabus Animabus cont. Manichæos*, Cap. 11.

de *Innoc. vindicata* §. 6. sub finem.

CAPUT

CAPUT XX.

Alterum consectarium, idque ad rem præcipuum: An scilicet cujusque vel levis Peccati expers sit, qui apud se tantum & in intimis cordibus negaret Immunitatem Virginis a macula Originali? Obstet ne heic, an non, Decretum Alexandri VII., alteriusve Pontificis? Pulcherrimum Clichtovei dictum profertur. Quid tibi cum Tyranno agendum necem minitante, ni Piam de Præservatione Sententiam aut Cultum improbes, Hæreseosque damnes, seu Peccati Mortalis? Lampridii & Valdesii rationes, dubitationesque pensantur atque eliduntur.

AD rei tandem caput devenimus; hoc est dictu ad consectarium illud alterum (de aliis dicant alii), a quo, ceu a fundamento mihi potissimo, *Voti Sanguinarii* seu defensio seu purgatio pendet. Convenit autem inter omnes, nullam jam esse excusationem *peccati*, sane non levis, si aut præsumas *asserere* Beatam Virginem incurrisse *Originalem* maculam, aut quoquo modo adversus Piam *Præservationis* Sententiam audeas amplius dimicare. Utrumque enim ab *Alexandro VII.* post *Paulum V.* & *Gregorium XV.* (quorum omnium Diplomata supra adduximus, excussimusque) gravissime adeo est vetitum, ut nihil magis. Certe, qui horum alterum audet facere, nec *peccatum* effugiet apud Deum, neque *Excommunicationem* declinabit, quam in istiusmodi homines contumaces & inobsequentes protulerunt Pontifices Maximi. Quæramus itaque, an a *peccato* purgari saltem possit, qui hodienum non jam *assereret*, sed intus duntaxat & in corde suo, Deiparam *sentiret* cum Originali fuisse peccato conceptam; ac proinde apud se tantummodo negaret, Divam Virginem fuisse ab Adami noxa præservatam. Sed priusquam, quid meo heic judicio sentiendum, aperiam, operæ pretium erit huc revocare, quæ supra jam dixi, quæque in id rei Romani Pontifices ad tollendas seditio-

ditio-

ditiones, & apertas simultates sibi prudentissime sancienda duxerunt.

Fatemur ingenue, *Sixtum IV.* ann. 1483. severe prohibuisse, ne quis auﬁt *asserere, contrariam Opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum Originali peccato fuisse conceptam, Hæresis crimen, vel peccatum incurrere Mortale*. Ita diserte Sixtina Constitutio, cui initium: *Grave nimis*, dicto jam anno promulgata. Idipsum statuerunt & subsequuti Pontifices, ac præcipue *Alexander VII.*, gravioribus etiam ei pœnis indictis, qui de Patronis Opinionis istiusmodi id unquam *asserere* ausus fuerit. Hæc mihi in loco observanda existimavi, ne quis suspicetur, nedum credat, me nescio quid moliri adversus Romanorum Pontificum Decreta, a quibus eripies tu oculos citius mihi, quam ego vel hilum deflectam. Nihil ergo horum nos heic *asserimus*, aut *asserere* cogitamus unquam cum de Opinione hac, tum de iis, qui etiamnum illi forte solo animo adhærescunt: scilicet Summorum Pontificum decretis demisse obtemperantes, quemadmodum oportet.

Est autem id pariter attenteque notandum; scilicet Adversariis quoque sub iisdemmet censuris & pœnis a *Sixto IV.* vetitum esse *asserere* seu *affirmare*, quod ii, qui credunt & tenent, Dei Genitricem Mariam ab *originalis peccati macula* sua in Conceptione immunem fuisse, *propterea alicujus hæresis labe polluti sint, vel mortaliter peccent*. Attamen in eo discrimen est quam latissimum unam inter & alteram id genus *assertionem*, quod nobis duntaxat id sit vetitum *asserere* de Adversariis, quin ipsa hæc *assertio* ullius *falsitatis* aut *erroris* nota a Pontifice damnetur: contra vero ipsis Adversariis non modo id prohibitum est de nobis *affirmare* seu *asserere*, verum etiam hæc ipsa illorum *assertio* a Sixto IV., tanquam *falsa & erronea, & a veritate penitus aliena*, omnino proscribitur atque reprobatur. Quo fit, ut nedum id de nobis *asserere* Ecclesia vetet, sed id de nobis *sentire* vel in cordis duntaxat intimo, nefas plane sit, nec peccato careat. Cui enim unquam citra peccatum, etiam grave, licuit assensum, utcunque *internum*, assertioni aut propositioni præbere, quam Apostolica Sedes damnavit tanquam *falsam, erroneam, atque a veritate penitus alienam?* Ex opposito autem, nobis solum S. Sedes interdixit de Fautoribus Opinionis contrariæ, hoc est *pollutæ Conceptionis*, id *asserere*; non vero id sentire in *intimis cordibus*. Aliud quippe est *asserere*, aliud, ac longe diversum,

sum, interne duntaxat *sentire*: utque tritum habet Juris Consultorum adagium, *Pœnalis prohibitio non extenditur ultra disposita* &c.

Insuper & illud observatu dignum heic censeo, *Lampridium* pag. 5. non diffiteri (neque etiam posset, si vellet) a *Pauli V.* & *Gregorii XV.* temporibus, ac præcipue ab *Alexandrini Diplomatis* promulgatione nulli omnino hominum licitum esse *asserere*, Deiparæ Conceptionem *Adæ* delicto fuisse vitiatam: immo non modo id fas non est *asserere*, quam etiam (ut idem ipse testatur) *adversus Sententiam, Immaculatæ Virgineæ Conceptioni patrocinantem, quoquo modo dimicare amplius non licet*. Attamen ipse ille addere non dubitavit: *Quamquam liceat aliter SENTIRE in intimis cordibus*. Et quidem, si eo judice, quod non licet ulli *asserere*, *sentire* tamen cuique licet *in intimis cordibus*: quidni & nobis licebit *sentire* contrariæ addictos Opinioni, hoc est *Polluto* Virginis *Conceptui*, culpa, utcunque gravi, non vacare, etiamsi id de iis *asserere* haudquaquam liceat? An fortasse, quod licuit *Lampridio* sentire ac scribere, paria facere non licebit nobis? Idcirco ille prorsus inexcusabilis, qui nos hac de caussa reprehenderet: in quo enim alium argueret, seipsum condemnaret. Nam *eadem agit, quæ judicat*. ad Rom. II. 1.

Quibus ita positis, atque in antecessum constitutis, dici posse mihi videor cum Viris undequaque doctissimis, videlicet: Quotquot sunt, qui *sentiunt* in cordis intimo, ac sibi persuasum habent, peccato eos obnoxios esse, qui apud se dicunt, & negant, B. Virginem Originalis noxæ expertem extitisse, & validissimis ducuntur rationibus, & in Romanorum Decreta Pontificum nihil sane delinquunt. Non ego primus, qui id statuam; sed Duces habeo in hac re, quos tuto sequar, cum scientia, tum nominis claritate plane insignes, e quibus duos tantum commemoro, *Everardum Nidhardum* S. R. E. Cardinalem, & *Thyrsum Gonzalez*, Societatis Jesu Præpositum Generalem. Primus, hoc est *Cardinalis Nidhardus*, quem, ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino, ait: *Perspicue intelligitur, Pontificem* (inhibentem, Opinioni de sordidata Virginis Conceptione *Hæreseos*, *Peccati Mortalis aut Impietatis* notam impingere, ejusque Patronos ceu *Hæreticos* aut *lethaliter Peccantes* sugillare) *non loqui de eo, quod quisque INTERIUS vel de auctoribus contrariis, vel de eorum Opinione SENTIRE velit aut possit, sed solum loquitur de eo, quod FO-* in Exam. Theol. Part. I. §. 3.

RIS

RIS possit dici (hoc est *asseri*), *vel non possit*. Et ibidem §. 10. post alia multa, quæ recenset, tandem concludit: *Vides jam, quid vetat Summus Pontifex*: *nempe ASSERERE Auctores contrariæ Opinionis esse Hæreticos formales, aut Peccato Mortali obnoxios; quamvis non vetet, saltem hoc secundum, posse quempiam SENTIRE*. Dein Part. 4. §. 7. data opera id versans, an interior sensus *Marianæ Præservationi* oppositus, licitus sit, atque expers peccati? hunc in modum statuit: „ Qua „ in re dicendum videtur, ejusmodi sensum & judicium IN„ TERNUM videri illicitum, utpote Juri Divino & Natu„ rali, seu rectæ rationis & conscientiæ dictamini adver„ sans. „ Quod eo loci & late probat in hæc verba: *Primum & princeps argumentum est. Non est licitum sentire & judicare INTERIUS, Sanctam Romanam Ecclesiam, aut Sedem Apostolicam errare, aut etiam errare posse, circa Fidem, bonos Mores & cultum Divinum ..... Secundum: Contra rectam Rationem, & prudens conscientiæ dictamen aperte agitur, quando judicium proprium infallibili Ecclesiæ Romanæ arbitrio, atque judicio non subjicitur, sed repugnanter opponitur* &c. &c. Plura alia subjungit laudatus Cardinalis, ad rem sane pulchra, nec scitu, lectuve injucunda, eodem in loco videnda. Alter vero, seu *Gonzalez* (quum hominem nomino, satis mihi videor dicere: quantus enim sit, nemo ignorat) manibus pedibusque in *Nidhardi* & aliorum descendit sententiam, asserens: „ Nobis cum Moya, Nidhar„ do, & Cardenas dicendum est: Licet verbis *Sixti IV.* & „ *Alexandri VII.* prohibeamur *asserere*, tenentes contrariam „ Opinionem *peccare mortaliter*; id tamen *interne sentire* non „ videri prohibitum. „ Conferatur, si lubet, *Matthæus Moya* Tom. 2. in Appendice ad *Tract.* 1. *de Opin. Probab.* Quæst. 2. §. 2. num. 18., nec non *Joannes* de *Cardenas* in *Crisi Theolog.* Tract. 1. Disp. 9. Cap. 18. Art. 3., idem, quod *Nidhardus* & *Gonzalez*, cui & illi præluxerant, omnino sentientes.

in Tract. Theol. *de Immac. Concept.* Disp. 2. Sect. 2. n. 18.

Sed ne videar adversus *Theologum Mutinensem* solo niti testium numero, & occasione virorum illustrium subterfugere veritatem, nec manum audere conferere; breviter id ipsum quam firmissimis quoque rationibus demonstrabo. Sed quibus, rogas, rationibus? Illis nimirum ipsis, quæ abunde movent, ut *asseras*, si quidem *asserere* liceret: non enim aliæ ad *sentiendum* rationes sunt, nisi quæ ad *asserendum*. Itaque exploratum in primis est ex antea dictis, non tam ovum ovo esse

simi-

simile, quam tres id genus Ecclesiasticæ Sententiæ de Impolluta *Conceptione*, de Sancta *Nativitate*, deque Corporea Virginis *Assumptione* assimilatæ sunt inter sese, iisdemque omnino fundamentis innixæ. Immo illa *Conceptionis Innoxiæ* in eo aliis præstat Sententiis, quod aperto Ecclesiæ mandato Opinioni contrariæ ne hiscere quidem permissum sit, nedum palam prodire; itemque quod eam Piam Sententiam in *disputationem* adducere, aut contra illam *quoquo modo directe*, *vel indirecte*; *Scripto*, *seu Voce*, *loqui*, *concionari*, *tractare aut disputare* sub *Excommunicationis* pœna *Alexandrino Diplomate* cuique sit interdictum. Insuper ab eodem etiam Pontifice *Alexandro VII.* luculentissime cautum fuit, itidemque præscriptum, *Libros* quosque, post *Paulum V.* jam editos, aut in posterum edendos, *in quibus* scilicet *præfata* Immunitatis *Sententia in dubium revocatur*, *aut contra eam quomodocumque aliquid scribitur*, *aut legitur* (sic enim sonat *Alexandri* Bulla, multoties mihi laudata), *ipso facto*, & *absque alia declaratione* inter proscriptæ lectionis Libros esse plane rejiciendos. Istorum autem favorum, quibus a *Petri* Cathedra Sententia *Immaculatæ Conceptionis* locupletata est (Parte adversa semper audita) nihil prorsus est, quod sibi assumant, vendicentque Sententiæ reliquæ, seu *Nativitatis*, seu *Assumptionis*. Reportarent tamen, haud dubito, eosdemmet & istæ favores ab Apostolica Sede, si quos illa habuit Adversarios, & istæ habuissent, aut deinceps (quod absit) haberent. Nihil autem nocet *Marianæ Præservationis* caussæ habuisse inimicos, utcunque fortissimos: sed eos omnes superasse, hoc illi plane in laude ponitur. Ut ergo nemo unus ex Catholicis, riteque doctis, ab omni culpa immunem censeret eum, qui vel intimis tantum præcordiis de *Nativitate* Virginis, ejusdemque *Assumptione* secus sentiret, ac Ecclesia sentit; ita nemo sane dixerit, aut dicere poterit, nullius apud Deum *peccati* reum fore, qui adversus communem Ecclesiæ sensum Deiparam Virginem venenosis antiqui Serpentis afflatibus infectam fuisse crederet, teneretque in intimis cordibus. Profecto, nonne is censendus est *peccare*, immo & *hæreseos* (si Cardinali *Gotto* credimus, de *Assumptione* loquenti; cujus judicium & in osores *Nativitatis*, & Intemeratæ *Conceptionis* apprime congruit) & hæreseos *suspicionem* incurrere censendus est, qui aut Virginem in Cœlum *corpore* non assumptam, aut non prius *Sanctam* quam natam, aut denique non fuisse sine *Adæ peccato* conceptam apud se, &, ut ut libet; inte-

cit. Tom. 4. *de Verit. Relig. Christ* Cap. 42. §. 2. sub fin. *Edit. Rom. cit.*

N n

interius tantum sentiret? Nonne *Gotti* ratio, in ita de *Assumptione* sentientem intorta, eadem ipsa & in eos recte quadrat, qui de aliis quoque duabus, hoc est de *Nativitate* Deiparæ, atque ejusdem *Conceptione* tam prave sentiunt? Certe, de omnibus & singulis *præsumerentur* (hæc enim est *Gotti* ratio, non meis, sed sui ipsius verbis reddita) *ex judicio erroneo* talia ii sentire, *nimirum quod Ecclesia universalis proponeret B. Virginem sub titulis falsis colendam*: quod plane de Ecclesia opinari haud levi scatet peccato.

Ad hæc, ostendimus supra, contrariam *Præservationi* Sententiam nec *temeritatis* notam effugere, nec *falsitatis*, nec *erroris*. Tale autem quid sentire, an, quæso, procul a peccato? Nam ut de vitio *temeritatis* ac *falsitatis* nihil dicam, in quibus semper quid *peccati* deprehenditur; de solo *erroris* vitio *S. Augustinum* audiri velim, ita præclare differentem: *Ipse per seipsum ERROR, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est MALUM*, scilicet semper Peccatum est. Quid, quod a *Melchiore Cano*, nuper relato (hoc est Lib. 12. *de locis* Cap. 10.) *piarum aurium offensio crimen esse* explicate dicitur? Propositio autem, *Marianæ Præservationi* adversans, quin male sonantibus, seu *piarum aurium offensivis* accensenda sit, nullus sane dubito. Auctore etenim *Cano* loc. cit., *eas proprie male sonantes propositiones, & piarum aurium offensivas dicimus, in quibus nullus error Fidei adversus manifeste notari potest, sed absonum nescio quid, atque absurdum, quod indignum esse piis & religiosis auribus videatur*. Ita *Canus*: cui etiam, neque illubenter, concedo, in hisce absonis & absurdis propositionibus detegendis, atque dijudicandis potiorem multo rationem habendam esse Theologorum peritorum & sapientium, quam promiscui vulgi, imperiti, atque imprudentis. Porro, vel ipse *Canus* ibidem aperte testatur, tum scilicet, quum in utramque partem de Mariæ *Conceptione* disputare etiamnum fas erat (hoc est ante annum 1562., quo tempore ille scribebat) imperitum vulgus hac audita propositione: *Beata Virgo peccatum Originale ab Adamo traxit Protoplasto*: hac, inquam, propositione audita ille ipse testatur, *vulgus* promiscuum *sine dubio perstringi, percuti, torqueri*. At vero id genus propositio non vulgi tantum opinione, sed doctissimorum quoque judicio (si modo paucos inde exceptos fateare, qui rem plane turbare non possunt) uti *male sonans* omnino habebatur, feriebatque vel ab illo jam tempore, ac multo etiam an-

in *Enchirid. ad Laurent.* Cap. 19.

antea, intelligentium aures, nedum indoctorum. Argumento sit (ne longum faciam) Universitas ipsa *Parisiensis*, tantopere ab omnibus nunquam non commendata, ut & ceterarum Mater & Magistra audiat & sit, atque ab iis semper, neque immerito, in exemplum assumta. Quid illa autem jam ab anno 1497. hac de re censuerit decreveritque, patet ex dictis superiore *Capitulo XVIII.*, ubi Decreti ab ea lati exemplar ob oculos statuimus, ac conspiciendum curavimus. Nunc vero, posteaquam istiusmodi propositioni a *Gregorio XV.*, atque ab *Alexandro VII.* omnis prodeundi facultas erepta est; postquam etiam Theologi omnes (aut pene omnes) omnium Ordinum & Nationum, omnes Academiæ, Pontifices omnes oppositum sentiunt, scribunt & docent, hoc est Divam Virginem omni *Originis* culpa re vera immunem extitisse; ac potissimum postquam hæc una Pia *Immunitatis* assertio aut Sententia quam luculentissimis Summorum Pontificum Decretis in Sacrum Ecclesiasticum Cultum, ab universis Christi Fidelibus Deiparæ, uti sine peccato conceptæ, exsolvendum, immigravit: quis amabo dicet, memoratam propositionem, Virgineæ *Præservationi* seu *Immunitati* oppositam, nihil *absoni*, nihil *absurdi* continere, *quod indignum* reapse sit *piis ac religiosis auribus*, non modo *esse videatur*? Quum igitur, *Cano* fatente, *piarum aurium offensio* procul dubio *crimen* sit; atque ex ejusdem doctrina jam adducta, & ultro a nobis recepta sit consequens, propositionem hanc, quæ Virginem fuisse somniat *Originis nævo* conspurcatam, de illarum esse numero propositionum, quæ proprie *male sonantes* & *piarum aurium offensivæ* dicuntur: nemo non videt, citra *peccatum* fas non esse, illi a quoquam ullo modo assentiri. Ut enim vere ac sapienter *Augustinus* in Enchiridio Cap. LXIV.: *Omne crimen*, inquit, *peccatum est*, tametsi non e converso *omne peccatum sit crimen*. Neque, ut hinc evadas innoxius, ad *internum* juvat *sensum* confugere. Nam ubi agitur de propositione *piarum aurium offensiva*, vel etiam *falsa* atque *Erronea*, sive externe dicere, sive interius quid tale sentire (etiamsi alterum altero sit gravius), semper tamen peccatum est.

Illud accedit, quod est omnium maximi ad rem momenti, & de quo supra copiose admodum disputavimus proprio in loco: videlicet licere omnino nulli alia nunc sub intentione Festum *Conceptionis* celebrare, præterquam *Præservationis*; itemque indubitatum extare Ecclesiæ præceptum de una ab om-

nibus colenda *Immunitate*. Vide dicta *Cap. VIII. & seq.* Quæ cum ita sint, ut iis in locis certo esse commonstravimus; jam, quid hinc sequatur, adtende. Sequitur enimvero, eum sine dubio peccaturum peccato cum *inobedientiæ*, tum *mendacii* (quod in Cultu divino perniciosum est maxime *Augustino* judice Lib. *de Mendacio* Cap. 14.), qui scilicet alia sub significatione *Conceptionis* apud se Festum peragere, quam *Præservationis*, aut *Marianæ Immunitatis*. Peccaret quidem peccato *inobedientiæ* contra apertissimam *Apostolicæ Sedis* Legem, qua præcipitur, ut omnes & singuli Deiparæ colamus *Immunitatem*, non *Expiationem*, ex decretis *Gregorii* atque *Alexandri* supra allegatis. Proinde illa Apostoli verba *ad Hebr.* XIII. 17. rectissime huc spectant: *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, tamquam pro animabus vestris rationem reddituri*. Post quæ apposite ad rem *Pritanius*: *Ergo*, ait, *in*

Lib. 7. de Imperiar. moderat. Cap. XV.

Divinam indignationem incurrant, necesse est, qui Ecclesiasticis Legibus obedire detrectant, sibique Cœli fores occludunt, quippe Christo ipsi adversantes, dum Ministris ab ipso constitutis, & imperandi potestate ab ipso donatis, nequaquam obtemperant. Peccaret itidem peccato *mendacii*, quippe quod voce tenus *Præservationem* coleret cum Ecclesia, dum *Conceptionem* cum illa vocat & *dignissimam* & *Sanctam*; re tamen ipsa animo dissentiret, non *Conceptionem* pro primo vitæ momento sumptam (ut Ecclesia facit ac fieri præcipit), sed pro insequentibus *Sanctam*, hoc est a labe purgatam apud se dicens tempore incerto: quod est plane non solum Ecclesiæ non obtemperare, sed fallere etiam atque mentiri. Ecquid enim mendacium? *Ille mentitur*

cit. Lib. de Mend. Cap. 3.

(ait S. Augustinus), *qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat*. Est autem tritum, & apud omnes pervagatum: Qui verbis abutitur ad alterum circumveniendum, is proprie mentiri dicitur. Ac si quoque fallendi animus procul esset, facto tamen falleret, ac sane

2. 2. Quæst. 93. Art. 1.

mentiretur. *Sicut enim* (ut scitissime *S. Thomas*) *sicut falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa*, aut secus quam commissa sunt, sive dein fallendi animum præ se ferat, sive non: *ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo*, vel Sanctis, *contra modum Divina auctoritate ab Ecclesia constitutum & in Ecclesia consuetum*. Tanti autem facit *Augustinus* modum istum ab Ecclesia ita constitutum, atque usu receptum, ut etiamsi *Præceptum* abfuerit, quale hic plane non abest, scribere tamen

men

men haud dubitarit: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos Populi Dei, vel instituta Majorum pro LEGE tenenda sunt.* in Epist. ad Casulanum olim 86., nunc vero 36.

Quinimmo, qui *Conceptionis* Virgineæ Festum celebrat subintellecta *Expiatione*, non *Præservatione*, quam unam subaudiri Ecclesia mandat; is profecto *inobedientiæ* peccato & *mendacii* aliud quoque vitium addit, admittitque, quod *superfluitatis* vocant, sive *superstitionis*. Quam in rem non alia ratione utor, quam illa ipsa, quam mihi Card. *Cajetanus* satis commodule suppeditat in 2. 2. quæst. 93. art. 2. Juvat at vero ejusdem Cardinalis verbis id edicere potius, quam meis. Postquam enim ille cum *S. Thoma*, quem commentatur, præmisit dicens, *Superfluitatis* labem tum adesse, quum fit aliquid *in exterioribus solum consistens, quod ad interiorem cultum*, ad quem externus referri debet, *non pertinet*; statim subjungit: „ Cum cultus exterior ad interiorem „ ordinetur; si aliquis extra fiat cultus, qui ad interiorem „ non ordinetur, (*aut non eo modo ordinetur, quo debet*) „ SUPERFLUUS est. Et quia ad interiorem cultum (*aut „ omnino non, aut*) non recte ordinatur, quod præter (*im„ mo ut in casu nostro, contra etiam*) Ecclesiæ institutionem, „ aut consuetudinem fit; ideo, dato quod aliquis præter, „ (*aut pejus si contra*) Ecclesiæ morem, ad interiorem de„ votionem intenderet nova ordinare (*exempli caussa*, Ex„ piationem *præ* Immunitate *subaudiret*) SUPERFLUITATIS „ vitio non caret, & exterius tantum colit: nam interius „ PECCAT, ab Ecclesiæ regula (*præscripta*) declinans. „ Subdit autem eo loci Scriptor Eminentissimus, *Superfluitatis* peccatum inter peccata *Superstitionis* numerari. *Superstitio* vero ex Angelico Doctore *est vitium Religioni oppositum, quo exhibetur Cultus vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* 2. 2. q. 92. Art. 1. & Respond. Utrumque autem, hoc est tam vitium *Superfluitatis*, quam *Superstitionis*, non solum in Cultu *Dei*, sed etiam *Sanctorum* contingere potest: adeoque, qui Deiparæ Conceptionem colit *eo modo, quo non debet*, nimirum præter, immo & contra Ecclesiæ institutionem ac Legem, vel contra communem omnium consuetudinem, quæ ex *Augustino* proxime laudato *pro lege* habenda est; *totum hoc* (ait *S. Thomas* loc. cit. quæst. 93. art. 2. §. *Resp.*) *totum hoc reputandum est Superfluum, & Superstitiosum.* An forte putas, Ecclesiam mandare non posse, ut ad actum *externum* Christiani pariter & *internum* adjungant, hoc est dictu, ut exteriorem cultum cum interiore componant,

nant, illo ipso, quem intendit Ecclesia, quemque ipsa constituit? Non crediderim. Cultus enim Ecclesiastici substantia in *corde* potius, quam in *ore* consistit; inanisque est ac ridiculus ille Cultus *externus*, qui non ad *interiorem* refertur, quemadmodum oportet. Hinc illud vulgatum: *Si cor non orat, frustra tua lingua laborat*. Deinde, quomodo staret Sapientissimum illud Apostolicæ Sedis Præceptum, ut quinque *Jansenii* propositiones, e quibus tanta turbarum seges enata, in sensu ab Auctore intento, non *ore* solum, sed *corde* etiam & *animo* a Fidelibus devoveantur? aut quomodo etiam non rueret Canon decimus octavus *Concilii Lateranensis* sub *S. Martino I.* adversus Monothelitas an. 649. coacti, quo sub exsecrationis pœna sancitum est, ut omnes & singuli cum *Typum* Constantis, tum Heraclianam *Ecthesim ANIMA & ORE* respuamus, atque anathematizemus? Sane, ne a Scopo abeam, Cultus pure externus, cui animi sensus, seu judicium mentis non respondet, potius quam *Cultus* sacer, Cultus *Superfluus*, Cultus *Superstitiosus* atque etiam *hypocrisis* est vocitandus, juxta illud Christi Domini *Matth.* XV. 7. Judæos perstringentis: *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Atque hæ quidem sunt non stramineæ, non despiciendæ rationes, quibus ducimur, ut dicamus, liberum cuique esse ac integrum, *interne* sentire & credere eos sane peccaturos, qui hac præsertim ætate adhuc *sentiunt*, quamvis apud se se tantum ac cordis intimo, Deiparam Virginem, quum est concepta, *Originis* noxam instar aliorum omnium ab Adamo contraxisse. Tanti autem ponderis ejusmodi rationes sunt, ut quam facile enervari possint, plane non videam. Accedit & luculentissimum in hanc rem ipsiusmet *Lampridii* testimonium, docentis *pag.* 89., & recte quidem, *Constitutiones Ecclesiæ* de celebrandis Festis diebus, deque Sanctis colendis, a Deo licet minime revelatis, sine gravi scelere, sine aperto *Peccato* violari profecto a nemine posse. Accipe *Lampridianæ* doctrinæ verba: *Quod est ad dies Festos Sanctorum, quos veneramur non e Revelatione Dei, sed ex Constitutione Ecclesiæ, earum quidem Objectum summe Pium, ac Religiosum est, & ad Disciplinam Ecclesiæ pertinet, quam violare Peccatum est*. Habemus itaque & *Lampridium* ipsum suffragatorem, licet alias invitum maxime atque repugnantem.

Ne illos autem putes hac solos ex omnibus ratione aut lege affici, qui in clero sunt, quique ad Divinum Officium

reci-

recitandum obligantur, non simul & reliquos de Populo; ut sentire videtur, atque innuere Doctor Mutinensis, tum sub *Valdesii* nomine Epist. XV. pag. 213.. tum etiam italico in Libro – *Della regolata Divozion de Cristiani* (*) Cap. XX. pag. mihi 281., aliisque in locis, satis contendens intrepide, Fidelium neminem (uno Clero excepto) vi *pracepti* teneri adigique Sanctos invocare: lege sis percelebrem *P. Danielem Concina* Tom. II. *in Decalog.* Lib. 2. Dissert. 1. *de Relig.* Cap. 8. ex adverso stantem, ac pro *necessitate* invocationis Sanctorum, qua, ipso judice, omnes adstringuntur & singuli, magnis sane argumentis decertantem. Sibi enim id ipse objiciens *num. XVIII.*, nempe: *Sacerdotes astringuntur vi pracepti Sanctorum intercessionem invocare*; *secus fideles*: ita diluit, inque hæc reponit verba laudatus Theologus. „ Secus fideles?
„ Non ergo [*inquit*] fideles, dum Missam audiunt, ad
„ Sacerdotis celebrantis intentionem sese conformare, ejusque
„ precibus jungi *animo*, & *mente* tenentur? Sacerdoti sacrifi-
„ cium celebranti, die *S. Petro* (tu dicito, *Mariana Con-*
„ *ceptioni*) sacra, & hanc recitanti collectam: *Concede ut*
„ *intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus libere-*
„ *mur* [aut illam de *Conceptione* Deiparæ: *Famulis tuis quæ-*
„ *sumus Domine* &c. &c.): astringuntur ne fideles Missam
„ vi præcepti audientes sua vota addere? Licite ne valent
„ ab eodem Sacerdote sic orante, ac divi *Petri* (vel *con-*

„ *cep-*

(*) Quoniam autem huiusce italici Tractatus iterato heic mentio occurrit, temperare mihi non possum, quin sequentia inde exscribam, ac Theologorum oculis subjiciam, exactiori judicio examinanda atque dimetienda. Illius enim Auctor Libri *cit. Cap.* 22., postquam *Tridentini Concilii* Decretum allegavit (mutilum quidem non integrum), quo scilicet statuitur, *Bonum*, *atque utile esse suppliciter* Sanctos *invocare*; ita statim subducit: *Io NON OSEREI disapprovare l' aver alcuni deputato un giorno particolare d' ogni settimana per l' onore di qualche Santo*. De re, ex Patribus Tridentinis, seque ipso referente, *Bona* procul dubio, atque *utili*, sic sentire, ipsisque committere Theologum Mutinensem: *Io non oserei disapprovare*; id est, improbare ego non auderem? Quid, si auderet id ille facere? Nonne potius diserte id probare, ac magnificis commendare verbis id ipse debuisset? Sed hæc, ut dixi, Theologi viderint. Mihi enim non pauca ejus generis alia non probantur, quæ eo in Libro continentur: quanquam alias fatear, permulta contineri bonæ frugi, ac scitu observatuque necessaria. Unum pace ejus dixero: qui rite erga Sanctos affecti non sunt, ex ejus lectione, libri pietatem in illos non edificunt plane.

„ *ceptæ Divæ Virginis*) opem & intercessionem invocante ; „ dissentire ? Olim, antequam latinæ linguæ usus obsolesce- „ ret, fideles una cum Sacerdote celebrante Missam canebant. „ Quod tunc labiis, nunc *corde* præstant. Si olim renuissent col- „ lectas, quibus Sanctorum intercessio invocatur, canere; non- „ ne scandalum grave patrassent? Quid itaque, si *animo* nunc „ ab eodem Sacerdote sic orante dissentirent? „ Hæc *P. Concina*, pius atque eruditus Theologus *Ordinis Prædicatorum*, qui & paullo post eodem loci præclare subjungit: *Populus una cum Sacerdote votis suis sacrificium Deo offert: unum corpus cum ipso constituit. Omnia igitur membra in eumdem finem consentire debent. Ex quibus omnibus sic colligo. Fideles vi præcepti tenentur Sanctos colere diebus iisdem Sanctis dicatis. Qua siquidem ratione tenentur cessare ab operibus, & Missæ interesse; eadem astringuntur Sanctos colere ac venerari*, seu idem sentire ac facere, quod jussu Ecclesiæ facit ac sentit Sacerdos. Tametsi autem a Doctiss. *Dominicano* dissentias hac in re, abeasque in partes alteras eorum, qui cum *Theologo Mutinensi* nullum heic præceptum agnoscunt, Christianum quod innectat Populum; inter eos tamen ipsos, qui sic opinantur, non convenire non potest, ita constitutum esse, ut non Clerus modo, sed quilibet etiam de Populo, sin minus *invocare* Sanctos, saltem in religioso Cultu ad mentem sensumque *Ecclesiæ* aspicere teneatur, ac semet adcommodare. En lucidissima *Antonii Bonet* e Soc. Jesu verba, ad rem docentis: *Audiant* (Heterodoxi) *Doctores Catholicos sæpius contestantes, id unum ab Ecclesia definitum, bonum atque utile esse eos* [id est Sanctos] *suppliciter invocare; præceptum porro ea de re nemini impositum, præterquam Ecclesiæ Ministris in publicis ritibus ac cærimoniis obeundis: privatis autem hominibus nihil aliud constitutum, quam ut se in religioso cultu ad ECCLESIÆ mentem, ac sensum ADCOMMODENT*. Id, quod præsenti nostro perquam abunde sufficit instituto.

Lib. de Cult. Religioso Diss. III pag. 193. Tolos. edit. an. 1691.

At inquies cum *Valdesio* pag. 182.: *Quandonam Fideles peccant, non solum suspicando, sed etiam credendo, immunem non fuisse Beatam Virginem ab originali macula? Anathema jam indictum fuit audentibus insimulare Peccati Thomisticæ Opinioni addictos*. Paria quoque *Lampridius* pag. 28., quem vide. Miratus hercle fuissem, si Theologus Mutinensis hujusmodi telum non exeruisset. At vero illud jam initio retudimus, ejusque usum vanum prorsus, irritumque reddidimus. Damus enim ultro, cum a *Sixto IV.*, tum etiam ab *Alexandro VII.* sub *Anathematis* interminatione veti-

vetitum esse *asserere*, quod ii, qui contrariam tenent Opinionem, eam scilicet, quæ adjudicat Virgini *Originale* Peccatum, peccent *lethaliter*. Nos sane, ut mandatis *Pontificum* quam humillime, ut decet, obsequamur, neque id heic *asserimus*, neque *asserere* audebimus unquam. Ideo ne & intimis præcordiis id *sentire* aut credere, simul ab illis vetitum? Ast, quid Viri doctissimi hac de re statuant, quamque secus judicent, supra jam diximus. Deinde, si nihili etiam tantorum Virorum judicium faciendum foret, dicat nobis, quæso, *Valdesius*, seu alius quisque, qui ejus velit partes suscipere: Nonne quam simillima iis pœna indicta est, qui hodiedum auderent *asserere* seu publice, seu privatim etiam, *Originis labe* vitiatam fuisse Deiparam Virginem? Omnino. Lege *Gregorianum* Decretum, ab *Alexandro* instauratum. Quei ergo, Apostolicæ Sedis fulmina nihil veritus, dicere tu modo audes cum *Lampridio* tuo pag. 5., nempe *licere* tamen id tibi *sentire in intimis cordibus*? Si id quidem tibi *sentire* licet (id est Mariam Virginem cum *labe Originali* fuisse conceptam), quanquam sit prorsus vetitum *asserere*: nobis, qui similiter vetamur *asserere* (nec sane *asserimus*), ita sentientes *peccatum* incurrere, non licebit idem *sentire* in intimis quoque cordibus? Emergat ex hoc vado *Lampridius*, seu *Valdesius*, si potest: poterit autem nunquam, ni me omnia fallant. Ubinam ergo Fideles prohibentur credere, aut interne tantum *sentire*, eos culpa non vacare, qui existimant, judicantque, Virginem *Adami* noxa involutam atque fœdatam?

Verum dicet aliquis: *Pontifices declararunt* (teste *Suarez* Doctore plane Eximio) *non esse Peccatum grave illam Opinionem* de corrupto, vitiatoque Virginis Conceptu *defendere & tenere*, *ut patet ex Extravaganti Sixti IV. & ex motu proprio Pii V.* Ita quidem *Suarez*. Sed quid prodest de Auctoris sententia certum esse, quando tibi eum, non cum quo errares, sed per quem errares, elegeris? Neque enim *Suarius* erravit in eo, quod ait, *non esse peccatum grave* ejusmodi Opinionem *defendere & tenere*, utpote scribens non solum ante *Alexandrum VII.*, sed etiam ante *Gregorium XV.*, immo & *Paulum V.* Nam Piano decreto: *Super speculam Domini*, liberum erat *viris doctis* utramlibet hujusce quæstionis partem *vel asserere*, *vel impugnare*: quam postea facultatem penitus sustulerunt memorati Pontifices, qui *Pio* successerant, hoc est *Paulus*, *Gregorius*, atque *Alexander*. Nunquid tu non per eum errares, si post horum Diplomata contendas

In 3. Part. Disp 3. Sect. 6. Quæst. 27. Art. 2.

adhuc, *peccatum grave non esse* Opinionem hanc *defendere*, vel oppositam quoquo modo *impugnare?* At vero *Gonzalez* nuper citatus *Disp.* 2. *Sect.* 16. §. 4. *num.* 179. aliam init viam, hisce respondens: „ Falsum est, *Pontifices id declarasse*; nec video, „ quo fundamento id *P. Suarez* asseruerit. Aliud enim est „ *prohibere*, ne quis notam *Peccati mortalis* inurat alicui Opi„ nioni; aliud *declarare*, non esse Peccatum grave illam Opinio„ nem defendere aut tenere. Primum fecerunt Pontifices illi, „ non autem secundum, ut patet ex diverso modo, quo se „ gessit *Sixtus* erga Prædicatores censurantes *Sententiam Piam* ac „ erga censurantes *Opinionem oppositam*: nam propositiones Præ„ dicatorum affirmantium, *hæresis crimen aut peccatum mortale* „ *incurrere eos, qui crederent aut tenerent B. Virginem ab Origina*„ *lis peccati macula præservatam fuisse*, ut *falsas & erroneas & a* „ *veritate penitus alienas* auctoritate Apostolica damnat ac repro„ bat; ac sub gravissimis pœnis ipso facto incurrendis præci„ pit, ne deinceps ullus audeat affirmare, ejusmodi per ipsum „ improbatas & damnatas assertiones *veras esse*. At propositio„ nes affirmantium, *hæresis crimen aut peccatum mortale incurre*„ *re tenentes contrariam Opinionem*, non damnat ut *erroneas*, sed „ solum prohibet sub iisdem pœnis. „ Et ibidem *num.* 180. adjungit: *Constat autem manifeste, non esse idem* prohibere *sub excommunicationis pœna, ne quis aliquam Opinionem de hæresi, vel peccato mortali censuret, ac* declarare, *non peccare mortaliter eos, qui talem Opinionem tenent, cum unum sit separabile ab alio*. Ac post pauca: *Idque ad hominem contra Eximium Doctorem urgetur: nam in eodem numero affirmat, Pontifices illos nunquam* declarasse *Sententiam oppositam* (Præservationi scilicet) *esse* Probabilem; *& tamen ex Bullis illorum Pontificum, non potius unum, quam aliud colligitur*. Tandem num. seq. 181. „ Præterea (*subdit*) illud „ Eximii Doctoris dictum inde impugno, quod *Paulus V., Gre*„ *gorius XV.* & *Alexander VII.* in suis Constitutionibus repetunt „ illa verba, quibus *Sixtus IV.* & *Pius V.* prohibuerunt censu„ ram (*præfatam*) Sententiæ rigidæ (hoc est *Conceptus contami*„ *nati*): ergo si ex illis *P. Suarez* colligit, *Sixtum* & *Pium* „ declarasse *non esse peccatum grave illam Opinionem defendere &* „ *tenere*, inde conficitur, hoc ipsum *declarasse* hos posteriores „ Pontifices, quod tamen est aperte falsum. Cum enim illi „ in suis Constitutionibus severissime prohibuerint omnibus ejus„ modi Sententiam publice vel privatim defendere, vel in ejus „ defensionem quidquam loqui, non potuerunt in eisdem Con-

„ sti

„ ſtitutionibus *declarare*, non eſſe peccatum grave illam Opinio-
„ nem defendere: nam hoc ipſo ſibi *contradicerent*. Qui enim
„ ſub *Excommunicationis majoris* ſtatim incurrendæ pœna prohibet
„ Opinionem aliquam defendere, non poteſt ſine manifeſta
„ contradictione in eadem Conſtitutione declarare, *non eſſe pec-*
„ *catum grave illam Opinionem defendere*. „ Longiuſcula quidem
hæc ſunt: & quanquam non neceſſaria, mihi tamen in Lectoris rem non omittenda exiſtimavi.

Perges autem dicere: Eccleſia nos ad amplexandam ex animo Piam de *Præſervatione* Sententiam nulla lege compellit. Undenam igitur peccatum iſtud dimanat? Scilicet, feſto *Conceptionis* die a quibuſque operibus, lege vetitis, abſtineo: Canonicis in Precibus, itemque incruento Altaris Sacrificio non alia utor, quam *Conceptionis* voce. Rurſus, vetanti Eccleſiæ, ne contrarium unquam ore promam, quam humili ſilentio, ut morigerum decet Filium, obtempero. Quid plura? Nihil a nobis ultra videtur Eccleſia poſtulare: neque certos nos ea de re facit, quam ipſa peremtorie non definivit; imo aſſerit, *definire ſe nolle*. Deinde, peracta ſaltem Celebritate hac, *Conceptionis* nempe *Immaculatæ*, quid prohibet, quo minus cuique fas ſit ad ingenii libertatem remigrare, ac citra omne peccatum non modo aſſenſionem cohibere, ſed etiam in cordis intimo diſſentire?

Argutule hæc quidem, ſed inepte prorſus conficta. *Dicant iſta* (lubet enimvero cum *Auguſtino* reponere) *dicant iſta, qui auſi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint. Ego autem puto, quod omnes, quorum mentes non obnubilat defendendæ ſuæ ſententiæ pervicacia, hæc ſentire non poſſunt*. Et ſane, ut a poſtremo adoriar: quis dixerit, credatque, Eccleſiæ judicium, quo in *Piam* illa propendet *Sententiam*, & quo jubemur omnes, quotquot bene morati ipſius Filii ſumus, Virginem venerari, ut in ſua *Conceptione* nullo pacto maculatam, unius feſti diei limitibus circumſcribi, prætereique ad eum modum, quo feſſus is dies quotannis præterlabitur? Iſtud certe Eccleſiæ judicium, hæc ejus de *Immunitate* ſententia continenter manet, manebitque, dum ſtabit Chriſtiana Religio. Accedit, quod eodem loco ſint (ut ſæpiſſime jam dixi, atque iterum mihi dicendum eſt) *Immaculati Conceptus* Sententia ac Solemnia, quo ſunt ejus generis alia, *Aſſumptionis* ſcilicet & *Nativitatis*. Eſt ne autem ille a quolibet peccato vere procul, qui aut externo tantum actu ſeu lingua, aut ſi intus quoque & ex animo, ita

Lib. I. de peccator. merit. & remiſſ. Cap. 30.

tamen celebrat Dei Genitricis vel *Nativitatem* vel *Assumptionem* ; ut evolutis iis festis diebus de alterutra dubitare, negare etiam apud se alterutram minime reformidet ? Profecto, qui ad actum externum non in istis accommodat suæ mentis judicium, quive animi sui sensum non adaptat ad mentem, ad judicium Ecclesiæ, quod quisque sequi debet ; uno verbo, qui apud se negat unquam contra Ecclesiæ judicium, aut *Sanctum* fuisse Deiparæ Ortum, aut ejusdem Conceptionem cujusque labis *immunem*, aut denique illam simul cum *Corpore* in Cœlum evectam : quæ, amabo, erit ratio tanta, ut ab omni peccato purgari is possit atque absolvi ?

Ad aliud vero argutationis caput, acute quidem excogitatum, ac primo loco positum, sat fuerit respondisse ; scilicet eadem lege Fideles cogi, ut cum Ecclesia affirment teneantque ex animo, Virginem fuisse ab *Originis* macula præservatam, qua coguntur cum eadem Ecclesia affirmare, ac tenere seu *Sanctam* Nativitatem, seu *Corpoream* ejusdem Virginis Assumptionem. Quid, si quis talia intorqueat exempli gratia adversus Marianam *Nativitatem*? Nimirum dicat : festo *Nativitatis* die ab operibus vetitis abstineo : in Ecclesiastico penso exsolvendo non alio utor nomine, quam *Nativitatis* : Silentium quoque, etsi non expresse demandatum, præ reverentia tamen adhibeo. Majora præstare necessum non est : neque certos nos de re illa Ecclesia facit, quam ipsa certo non cognoscit, nec peremptorie definivit ; immo, si non verbis, facto saltem asserit, *definire se nolle*. Quæso, qui talia de *Nativitate* blateraret (idem & de *Assumptione* judicium esto) : an ille innoxius ac liber a culpa, si vel intus tantum & in corde, ab Ecclesia dissentiat, nec credat Virginem prius *Sanctam*, quam *natam* ? Annon argutiis talibus Ecclesiæ judicia eludere scelus est ac nefas maxumum ? Sed petis Legem, qua id credere compellaris. Bene habet. Ut habeas, quam petis, Legem, in uno Ecclesiæ Cultu tibi sistendum est. Quum audis, vidésque Ecclesiam præcipientem, ut quod ipsa colit, tu quoque colas cum illa ; habes jam & *sentiendi* Legem : hoc est dictu, cogeris non solum cum illa colere, sed etiam idem *sentire*. *Neque enim* (ut sapienter *Gregorius de Valentia*) *Conceptionem Virginis tanquam Immaculatam celebrare veraciter & sine simulatione potest is, qui non putat fuisse Immaculatam*. Ut ergo vel in obsequendo peccatum declines, oportet judicium tuum aut deponas, aut practice conformes, non præferas, judicio Ecclesiæ ; quod facere honestissimum est, atque etiam

Tom. 4. Disput. 1 Quæst. 1. Punct. 2. §. *Secundo probatur*.

etiam necessarium. Quis enim mentis compos, veræque Theologiæ gnarus sibi persuadeat, licere argutiis talibus Ecclesiæ eludere mandata, aut non præstare ejus judiciis, quam infirmo, & imbecilli nostro ingenio, plam adjungere fidem, ne ob timorem prorsus inanem, seu potius ob studium partium, in certum crimen irruamus? Nam hæc linguæ & animi dissensio in Ecclesiastico præsertim Cultu peragendo, non video, quibus possit ratiunculis dealbari. Certe Calderonius, a *Vincentio Fassari* Societ. Jesu Theologo Siculo relatus, recte sentit, quum docet: „ Si qua Diœcesis, aut Ordo vellet admittere Festum „ aliquod Ecclesiæ Romanæ (*Festum autem Conceptionis amplecti* „ *jamdudum tenentur omnes*) non poterit sub alio Motivo aut „ Sensu, quam sub quo Ecclesia Romana, celebrare, ne- „ que aliud sibi Subjectum sacri Cultus fingere. Hoc enim ad „ substantiam pertinet cultus, in quo Jure Divino Naturali, „ supposita Ecclesiæ institutione, tenetur unusquisque Ecclesiæ „ conformari: sicuti tenetur recte judicare de sensu & judicio „ Ecclesiæ, cui tamen refragaretur, & quodammodo etiam „ damnaret, qui alium Sensum & Objectum ejusdem Festi „ comminisceretur. „ Hæc *Calderonus* apud *Fassari*, qui & eo loci *Divis.* 1. *pag.* 151. hanc proinde statuit conclusionem: *Peccant Mortaliter Omnes illi, qui celebrant Festum Conceptionis Virginis sub sensu Maculante Deiparam in Conceptione.* Quam ille quidem assertionem duodecim probat argumentis, in quorum tertio prænotatam adfert *Calderonii* doctrinam, a nemine, ut arbitror, improbandam.

In Tractatu Immac. Concept. Lugd. ... edita an. 1666. Append. ... circa T... Alexan. VII.

Hinc tamen nemo in animum inducat, pari gradu procedere & reliquos omnes festos dies, in honorem *B. Virginis* ab Ecclesia institutos, ut puta de *Mercede*, vel ad *Nives*, seu *translatæ Ædiculæ Lauretanæ*, aut id genus alios. Nunquam enim declaravit, & dixit Ecclesia, aut Apparitionem Virginis *Jacobo Regi Arragoniæ*, aut miraculum *Nivis*, quæ in Romanum collem Nonis Augusti decidisse fertur, aut *Translationem* dictæ Domus Lauretanæ esse proprium Objectum illarum Celebritatum, eisque religiosum Cultum a Fidelibus impendi debere; quemadmodum *Conceptioni* tanquam *Immaculatæ* (aut etiam *Nativitati* & *Assumptioni*) Ecclesia sane ab omnibus jubet impendi. In Festo enim Virginis de *Mercede*, uti & in altero ad *Nives*, Objectum cultus, seu id quod colitur, & colendum proponitur ab Ecclesia, est ipsa Deiparæ Virginis benefica vis, atque innumeris experimentis explorata Benignitas, nunquam non ad opitulandum parata:

ta:

ta: non vero aut miraculum *Nivis*, aut *Apparitio* facta Regi Aragoniæ. Quod est ad præfatam Lauretani Sacelli *Translationem*, cujus memoriam peculiares aliquot Ecclesiæ ex Indulto Apostolico celebrant die X. Decembris, tantum abest, ut *Translatio* illa sit *cultus*, ut vocant, *substantialis* Objectum, ut potius nova tantum occasio sit, ab Ecclesia lubentissime arrepta; B. Virginem impensius colendi, quemadmodum sonare videntur postrema illa *VI. Lectionis 2. Nocturni* verba: *Quibus permotus Innocentius XII., quo ferventius erga Matris amantissimæ CULTUM Fidelium memoria excitaretur, ejusdem Sanctæ Domus Translationem anniversaria Solennitate in tota Piceni Provincia veneratam, Missa etiam & Officio proprio celebrari præcepit*. Adeoque cum ejusmodi res non sint ipsum Objectum *cultus* saltem *substantialis* (licet proponantur tanquam *per accidens*, ad fovendam pietatem erga Deiparam);. nulla jam est Ecclesiæ Lex, qua jubeamur id genus factis peculiaribus præbere fidem, eisque ex animo simul assentiri. Attamen vel in his quoque rebus moderatione ac fræno opus esse nemo cordatus inficiabitur; scilicet ne aut levibus de caussis in dubium vertas, aut levissimis neges (nec sine temeritate), quod tanquam valde probabile est visum, quodque jamdiu arridet Ecclesiæ.

Urgebis postremo, *Valdesii* verba pag. 18. in id usurpans: *Libertatem hactenus nobis reliquit Ecclesia sentiendi* hac in re *quidquid magis consonum Veritati arbitramur*: tantum abest, ut peccent unquam qui secus sentiunt, ac præ *Immunitate* animo solum *Expiationi* subscribunt. Quam id autem a vero abhorreat, ac commentitium prorsus sit; relege dicta a nobis superius *Cap. XVII.* pag. 228., nec non *Cap. IX.* pag. 108. ac seq., ubi hanc illi portam in tempore jam præclusimus. Quibus tamen & addas velim, *Alexandrum VII.*, Sixtino inhærentem Decreto, unum prohibuisse, scilicet contrariam Opinionem tenentes *Hæreseos*, vel *peccati Mortalis* insimulare. Aliud vero est cavere, ne quis alteri talem ausit censuram inurere; aliud ac longe diversum, potestatem facere oppositum *tenendi* aut *sentiendi*, ut de se se liquet. At nullus Pontificum Opinionem *Præservationi* contrariam damnavit hactenus. Fateor. Verum, nec *Christus* Mulierem damnavit adulteram: quin etiam ad illam (*Joan. VIII. 11.*) dixit: *Nec ego te condemnabo*. Quid postea? Profecto, hujusmodi, quam *Valdesius* jactat, *Libertatem* doctorum Virorum persuadebit ille nemini; etiamsi nihil, ut id persuadeat, relinqueret intentatum. Lubet autem, quid hoc perfugio utentibus *Catharinus* olim reposue-

fuerit, in loco referre. „ Quod enim (*ait ipse*) ad excu-
„ sationem soletis adjicere, Romanam Ecclesiam non decidisse
„ Quæstionem hanc, sed *unumquemque permittere in suo sensu*
„ *abundare*, non vos relevat a justa duræ cervicis reprehensio-
„ ne: multo autem minus quosdam ab arrogantia & temeri-
„ tate. Esto enim fuerit olim hoc vobis *Matris benignitate* do-
„ natum; dies tamen ipsa, id est temporis diuturnitas, jam-
„ diu per se vos admonebat, ut aliquando considerantes ve-
„ stram Opinionem (*Præservationi* scilicet adversam) ab omni-
„ bus Ecclesiis, & Religiosorum omnium cœtibus deseri, &
„ vos solos in ea remanere adhuc divisos, libentes & volentes,
„ postposito veritati pudore, decederetis de sententia. An
„ putatis, Romanam ipsam Ecclesiam, quam reliquæ om-
„ nes, ut par est, sectantur, postquam semel eam Celebra-
„ tionem ex certa scientia suscepit, & aliis suscipiendam tradi-
„ dit, ulla ratione probare posse quicquid illi palam, vel
„ privatim adversetur? Et ob eam causam, si vultis veritatem
„ capere, non aliud expresso Pontificis (puta *Sixti IV.*) ver-
„ bo vobis indulgetur, quam oppositam partem (nempe *fœda-*
„ *tæ Conceptionis*) absque *Hæresis* nota tenere; cum hoc unum,
„ quod scilicet *Hæretici* sitis, nondum a Romana Ecclesia &
„ Apostolica Sede sit decisum. Hoc, inquam, unicum est,
„ quod indulsit vobis Pontifex, ut vel ipse (*Bartholomæus*) Spina
„ ex verbis Decretalis animadvertit. At quod oppositum vel
„ prædicetis vel doceatis, præsertim mittentes in publicum
„ (quod citra magnum scandalum & infirmorum conturbatio-
„ nem fieri non potest) nec permittitur vobis, nec stante illo
„ Decreto permitti potest; quoniam in Apostolicæ Sedis inju-
„ riam, & spiritum ejus ad nutrienda zizania & Schismata re-
„ dundaret. „ Hucusque *Ambrosius Catharinus* in toties lauda-
ta Disput. pro *Immac. Concept. ad S. Synodum Trident.* Part. II. co-
lumn. 111. ac seq., permultis ante *Pii V.* Sanctiones annis. Quæ
non ille nunc diceret, adtexeretque, si hodiernam Ecclesiæ faciem
ante oculos positam habuisset?

Quod vero antea protestatus sum, rursus mihi in loco mo-
nendum est, atque iterum iterumque indicandum: videlicet a me
neutiquam *asseri*, peccare eos *mortaliter*, qui solo animo addicti sunt
Opinioni *Conceptionis* Inquinatæ, & *Infectæ*; quippe quod ve-
tuerint omnino id *asserere* Pontifices. Duntaxat *intus* & *in corde*
id de illis *sentire*, Clarissimorum Virorum vestigiis insistentes, haud
esse nefas existimamus: ac ne id quidem temere videamur cre-
dere,

dere, rationes quoque, cur ita credamus, nec sane evanidas, imo magni etiam ponderis, protulimus in medium; quod per Diplomata Pontificum nusquam videtur prohibitum. Deinde, recordare quaeso, quæ supra *Cap. VI.* & *VII.* enarravimus, nimirum ab *Apostolica Sede* Opinionem Piæ Sententiæ contrariam in *Michaele Bajo* proscriptam fuisse; eidemque omnimodum a *Paulo V.* & *Gregorio XV.* silentium imperatum: ut plane non videam, quei illi assensum præbere possis, etsi tantummodo *internum*, citra quodvis vel leve peccatum. An licuit fortassis unquam assentire Propositioni per Ecclesiam damnatæ, eique vel animo adhærere, quam Ecclesiæ Proceres de Mundo pulsam voluere? Non inscite proin laudatus *Gonzalez* sub finem *citatæ Sect.* 2. quanquam vetitum sit *asserere* peccatum *Mortale* illos incurrere; *saltem* (ait) *hoc videtur constare, non eum acturum contra Constitutiones Pontificum, qui ASSERERET, eos qui nunc* (vel in intimis præcordiis) *tenerent Virginem contraxisse Originalem maculam, peccaturos VENIALITER, ob nimiam tenacitatem sui judicii contra omne judicium totius fere Orbis Christiani, & contra favores exhibitos ab Ecclesia in Sententiam Piam.* Id quod ad institutum nostrum abunde est satis: nec opus est, ut illos (si etiam liceret, quemadmodum plane non licet) *Mortali* quoque Peccato obnoxios esse *asseramus*. Quin vero placet nobis maxime *Judoci Clichtovei* responsum, non diu post *Sixtum IV.* scribentis: „ Quis „ nos ipsos constituit Judices super Fratres & Proximos nostros, „ ut eos nostra auctoritate censeamus, aut Hæreseos, aut „ Mortis æternæ crimen incurrere? Id plane ex nostro non „ pendet judicio, sed Universalis solum Ecclesiæ, quæ non„ dum id definivit atque decidit.... Viderint tamen ipsi (*addit* „ *Auctor sapientissimus, quocum & ego*) viderint tamen ipsi, „ ne pertinaciam & pervicaciæ studium adjungentes suæ Posi„ tioni observandæ, illud apud Deum, tacentibus Homini„ bus, incurrant, quod ad mutuam pacem, & caritatem „ fraternam conservandam, non debet ab Hominibus eis im„ pingi: non enim aliorum verba reddunt Hominem Hæreti„ cum apud DEUM, aut Mortalis peccati reum, sed pro„ priæ perversitas voluntatis. „

Lib. I. de Puritate Concept. B. Mariæ Cap. 16. fol. 24. & seq.

Certus jam, quid tibi cum Tyranno agendum sit, districto in jugulum gladio lanienam minitante (hæc autem alia est quæstio, a præcedenti sane distincta) ni Piam de Virginea *Immunitate* Sententiam improbes, aut *hæreseos* damnes, vel *peccati Mortalis*. Non hercle otium est nunc latiori, accuratiorique examine

mine id pertractandi. Sat fuerit ex dictis conficere, sermonem heic esse de re non ideo mala, quia ab Ecclesia prohibita, sed potius ideo prohibita, quia mala; adeoque de re *intrinsece* mala, a qua cuique vel cum vitæ discrimine perpetuo & ubique cavendum erit. Qui enim allatis supra rationibus, mihi plane solidissimis, persuasum habet cum *Parisiensium* Schola, Opinionem, *Præservationi* adversam, *Falsitatis* atque *Erroris* vitio laborare, eamque inter propositiones *piarum aurium* offensivas, seu *male sonantes* merito accenseri; qui etiam censet creditque, istiusmodi Opinionem tenere vel in *intimis* tantum *cordibus*, non omni culpa vacare: ei profecto fas erit nunquam, etiamsi mors certo immineat, Piam Ecclesiasticam Sententiam, huic notatæ Opinioni e regione oppositam, *improbare* seu Falsam dicere, multoque minus *hæreseos* aut *peccati Mortalis* unquam insimulare. Nam quis, amabo, ut vitam servet, sibi licere putet e duabus Opinionibus illam *improbare*, itemque præfata seu *hæreseos*, seu *peccati* censura afficere, cujus altera, sibi contraria, ne sentiri quidem animo, nedum lingua efferri fas est, nec sine peccato potest? Qui enim unam improbat & *Falsam* dicit, quique etiam *hæreseos* damnat ac *peccati Mortalis*, alteram tacite saltem ex vi contrariorum probet, ac Veram credat, immunemque sentiat ab omni censura, necesse est.

Præterea, ut initio diximus, usque adeo vetitum est a *Sixto IV.*, a *Concilio Tridentino*, atque ab insequutis Romanis Pontificibus *Peccati* dicam, eoque magis *Hæreseos*, inurere piæ id genus Sententiæ, ut etiam hujusce furfuris assertum, tanquam *falsum*, *&* *erroneum*, *atque a veritate penitus alienum* disertissimis verbis damnatum plane fuerit, atque Apostolica auctoritate reprobatum. Quis autem non videat, præstare millies mori, quam id unquam asserere, aut sentire tanquam Verum, quod Sanctæ Romanæ Sedis Decreto, per Tridentinos quoque Patres innovato, uti *falsum*, *erroneum*, *& a veritate penitus alienum* aperte explosum est? Atque adeo manifeste apparet, assertionem hanc nostram de nunquam improbanda, arguendaque ceu *Falsa*, *Hæretica*, aut *Impia* Conceptionis *Immaculatæ* Sententia, non solo inniti Præcepto (ut *Lampridius* innuit Cap. 17.) Summorum Pontificum, vetantium sub *Anathematis* pœna, ne quis illam quoquo modo impugnet, seu *hæresis* nota taxet, seu *peccati Mortalis*. Id quippe commune habet & altera contraria Opinio, quæ eripit

Virgini Immunitatem originalem. Nam *simili pœna ac censura* Sixtus IV. subjecit *eos*, *qui ausi fuerint asserere contrariam Opinionem tenentes*, *videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam*, *Hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale*: ea addita ratione, quia *nondum id est a Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum*. Sic quidem Sixtus Papa IV. Proinde ad præceptum istud quod attinet, *nihil* revera *discriminis*, ut *Lampridius* habet loc. cit. pag. 133., *inter utriusque sententiæ patronos ac censores Ecclesia statuit*. Utrisque enim ex æquo illa vetuit, alterutram Opinionem ejusmodi censura notare, quanquam ratione & caussa omnino diversa. Etenim posteriorem hanc de *Conceptione polluta* Sententiam (si tamen Sententia dici potest) damnari vetuit ex eo, quod *nondum id esset ab Apostolica Sede decisum*; alteram vero, seu Piam de *Præservatione* Sententiam, non hac duntaxat ex caussa noluit proscindi, sed insuper, quia illam ita proscindere, & *Falsum* & *Erroneum*, & *a veritate penitus alienum* esse judicavit. Adeoque priorem Opinionem *hæresis* arguere, aut *peccati mortalis* (scilicet *asserendo*), malum duntaxat est, quia ab Ecclesia prohibitum; posteriorem vero eadem censura incessere atque onerare prohibitum, quia de sese malum. De se enim, atque *intrinsece*, ut ajunt, malum est, *falsitatem* atque *Errorem*, a Sancta Sede reprobatum, amplecti ac postliminio revocare.

Hæc rite secum si *Lampridius* reputasset, ut sane poterat, quin etiam debebat, statim deprehendisset, non eodem gradu collocandam esse damnationem utriusque oppositæ Sententiæ de *Conceptione* Virginis, hoc est sive affirmantium, sive negantium Deiparæ *Immunitatem* a peccato Originis. Deprehendisset quoque quam facillimo negotio, non plus virtutis ac momenti, quam cassam nucem, habere rationes dubitationesque, quas huc ille proponit, atque in campum educit. Qua enim facilitate ipse affirmat, eadem & nos, ceu falsissimum, negamus, quod ait pag. 134.; scilicet *ideo TANTUM damnare hanc vel illam e propositis duabus Opinionibus malum esse, quia ab Ecclesia prohibitum*. Simul æque negamus, utpote a vero perquam absonum, quod paulo post addit de Ecclesiæ mente in hæc verba: *Ipsa* (id est Ecclesia) *in eum tantummodo finem interdixit ambarum Opinionum censuram*, *ut finem faceret jurgiis publicis & scandalis*, *inter disputantes Theologos jamdiu vigentibus* (aut potius, olim obortis, nunc feliciter extinctis)

non

non vero ut immunem intrinsece a censura præstaret alterutram ex illis sententiis. Quum enim (rursus dico) id Censuræ genus, in solam *Piam Sententiam* jactum, non etiam in ejus oppositam, eatenus damnetur ab Ecclesia, quatenus plane *Falsum, Erroneum, & a Veritate penitus alienum*: hoc ipso illa tantum, non simul ista, immunis præstatur *intrinsece* ab tam *falsa* atque *erronea* Censura; itemque *damnare* istam, non illam, *malum duntaxat est, quia ab Ecclesia prohibitum:* ideoque alteram tantummodo, hoc est *Piam* damnare *Sententiam* procul dubio *intrinsece* malum est. Non ergo unum idemque de ambabus ejusmodi Opinionibus judicium *Lampridio* ferendum erat, si quidem ille paullo accuratius, ut oportebat, rem expendisset, paulloque rectius rationem heic supputasset. Inquirat ille autem, ut lubet, copiosius atque exactius, *an mens Ecclesiæ, interdicentis censuram*, non quidem *utriusque* (quanquam alias & utriusque), sed ejus solum *Opinionis*, quæ Virginem habet *Originis* macula contaminatam, *eo usque feratur, ut in conspectu eculeorum & carnificis mors potius subeunda sit, ne illa improbetur.* Inquirat etiam (per nos quidem licet), an Ecclesiæ Præceptum de non inurenda *hæresis*, aut *Impietatis* censura Opinioni, neganti in Virgine *Immunitatem* a peccato Adæ, obliget nos, an non, ad parendum cum vitæ discrimine. Immo etiam dicat explicate, nobis non invitis admodum nec repugnantibus, *præcepta Ecclesiæ* hoc in casu *nos minime obligare, quum mortis periculum instat: tunc enim cessat* (ut ipse inquit cit. pag. 133.) *voluntas Dei, aut Ecclesiæ ad nos obligandum.* Insuper non ægre ei subscribimus asserenti, *interdum non solum cessare Obligationem illius* (Ecclesiastici) *Præcepti, sed etiam vigere obligationem conservandæ Vitæ (seclusо semper gravi scandalo, & contemptu Ecclesiæ, sive Religionis) ita ut peccati expers non foret, qui pervicaciter tunc occumbere vellet, ne Præceptum transgrederetur.* Quæ quidem omnia *Lampridio* ultro concedimus, ubi quæstionem versat: liceat ne, an non, quum Tyrannus certam minatur mortem, contra præceptum Ecclesiasticum damnare, non alterutram, sed eam solummodo Opinionem, quæ Divam Virginem affirmat in *Originali contagio* conceptam. Attamen assentiri nullo pacto possumus, quum effata hæc sua generalia ad Piam quoque *Præservationis* Sententiam extendi ex æquo voluit. Hanc quippe, ut dictum, damnare, non tam est interdictum ab Ecclesia, quam etiam *intrinsece* malum:

ac proinde quæ sit hac in re Ecclesiæ mens, immo & Dei; luculenter patet; videlicet ut non peccemus, ac vel Vita ipsa peccatum evitemus. Sic enim præclusus est aditus spectaculo illi inaudito, a quo mirum, quantum sibi timet *Lampridius* sub finem laudati Capitis XVII., videlicet *quod pro contrariis de una eademque re sententiis homines ejusdem Religionis ævo nostro mortem subeant*, Carnificique abscindendum caput inflectant.

Nolo heic longius disputationis filum producere. Quod enim diximus de Pia *Immunitatis* Sententia adversus *Lampridium*, idem & de Festo ac Cultu, *Deiparæ Immunitati* exhibendo, adversus *Valdesium* dicendum est. Is enim *Epist. XV. pag.* 210. non attendens, nisi ad unum Ecclesiæ Præceptum de celebrando ab omnibus *Virgineæ Conceptionis* Festo, statuit in hunc modum: *Si Tyrannus secures minetur, nisi improbes Cultum ex Fidei decretis debitum Deiparæ, aut neges tributam Ecclesiæ a Deo auctoritatem indicendi Festivitates sacras: tunc tibi mors potius eligenda*. In hoc quidem nihil vitii in *Valdesio*. At ille non æque immunis est in iis, quæ subdit: *Sin vero Tyrannus hoc tantum velit, non celebrandum esse Festum Conceptionis, quia Sententiam Piam ille improbat, & a te APERTE aut tacite improbandam jubet: tunc violentiæ cedendum est, & Prudentia exposcit, ut a Festo illo celebrando abstineas, servesque Vitam tuam*. Admirandus hercle Theologus, qui obvias quasque, tametsi omnium maxime difficiles Quæstiones tam paucis tamque feliciter, veluti de Cœlo lapsus, solvit atque definit! Nescio autem, annon ille & *Eleazaro* (si eodem secum ævo floruisset) iniqua miseratione commotus persuasisset pro sua virili, *violentiæ tunc ut cederet*, *Prudentiamque* a Viro sene *postulare*, ut aut vescatur, aut vesci saltem se simulet carne, Judæis vetita 2. *Machab. VI.* 18.: scilicet ne sit vitæ prodigus, servetque Vitam suam. At vero Eleazaro, *secundum Sanctæ & a Deo conditæ legis constituta* excipienti, *ætatis suæ non esse fingere*, ne cui Adolescentium *simulatione sua* sit scandalo, & *propter modicum corruptibilis vitæ tempus* eorum aliqui *decipiantur*, atque adeo *maculam atque execrationem suæ Senectuti* (ibidem vers. 24. & 25.) *conquirat*: rogo, quei *Valdesius* occurreret? Repeteret ne, *Prudentiam exposcere*, ut sibi vitæque suæ parcat, ac *cedens violentiæ*, suillam carnem aut comedat, aut fingat se comedere, quo nimirum sese a certo interitu eripiat, capitisque discrimen evadat? Sed fortissimus Athle-

Athleta surdus omnino ad hæc; *gloriosissimamque mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie praivit ad supplicium,* ut patet eodem loci *vers.* 19.

Nec prodest *Valdesio* quicquam, sui in rem si dicas: *Antiochum* hanc in *Judæos* sævissimam, omniumque sceleſtiſſimam tyrannidem exercuisse, suæ ipsorum Religionis odio adactum, atque ut eos a *patriis & Dei sui legibus* devocatos, ad Idolorum cultum pertraheret. Etenim & Tyrannus ille, de quo ipse *Valdesius*, non dira quæque minatur, nisi *Piæ Sententiæ* odio simul & *Cultus* seu *Festi*; quod plane in contemptum vergit, sin minus Fidei ac Religionis Catholicæ, certe Romanæ ac universalis Ecclesiæ, inque ejusdem legum irrisionem. Quæ enim alia eum caussa ad tantum flagitium posset perducere, modo non sit furore prorsus abreptus, ac mente penitus destitutus? Porro concors est Theologorum Sententia asserentium, inter alia signa, e quibus cognosci potest Legem positivam, tum *Divinam*, tum humanam *Ecclesiasticam*, obligare etiam cum capitis discrimine, non infimum id esse; videlicet quum illa nequit violari absque *contemptione Dei*, *Religionis*, *Fidei*, *Ecclesiæ*, *aut Potestatis legislativæ*. Lege *Prælectionum Tournelianarum* Continuatorem Tract. *de Legibus Cap. V. Art.* I. *Puncto* 4. Sed quorsum ego extra orbitas excurro citra ullam prorsus necessitatem? Videamus potius, quid Ecclesia, quid Romana Sedes de iis decreverit, qui non modo *Sententiam*, sed *Festum* etiam aut *Cultum* damnare audent *Præservationis* Deiparæ. En integrum *Sixtinæ Constitutionis* textum, mihi sæpe numero laudatæ: „ Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, ac perversis assertionibus ac scandalosis, obviare volentes, motu proprio .... hujusmodi Assertiones prædictorum & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent aut tenerent Dei Genitricem Mariam ab *Originalis peccati* macula in sua Conceptione *præservatam* fuisse, propterea alicujus *Hæresis* labe pollutos fore, vel *mortaliter peccare*; aut hujusmodi OFFICIUM *Conceptionis* celebrantes &c. *alicujus peccati* reatum incurrere, utpote FALSAS & ERRONEAS, & a *Veritate* penitus ALIENAS, editosque desuper Libros id continentes, quoad hoc AUCTORITATE APOSTOLICA tenore præsentium reprobamus & damnamus. „ Hactenus Papa *Sixtus* in sæpe sæpius citata Bulla, *Grave nimis*. Ex quibus conficitur, non tam *Sententiam*, quam *Cultum* Conceptionis *Intemeratæ* alie-

num

num *intrinsece* esse ab omni censura, damnare autem alterutrum semper & *intrinsece* Malum: ideoque non tantum posse, verum etiam debere sanguinem potius fundi, quam alterutrum aperte saltem taxare. Si istud *Apostolicæ Sedis* judicium, a *Concilio Tridentino* confirmatum, ignoravit *Valdesius*, aut non satis ad illud attendit; non levis incuriæ & oscitantiæ arguendus plane erit. Sin vero noverat; gravioris illum criminis reum esse, nemo, ut opinor, unus inficiabitur.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Virgineæ Conceptionis Quæstione: mere ne Speculativa ea sit, an simul etiam Moralis? Mere Speculativam esse contendit Theologus noster, sed omnino perperam. In rebus Moralibus, in quibus agitur de Peccato vitando, dare Vitam, ne pecces (etiamsi non Certo constet, ibi adesse Peccatum) non solum omni vacat culpa, sed etiam in merito computatur. Pulchro id exemplo illustratur, ab Augustino desumto. Ruit hinc prorsus decantatum Lampridii Argumentum, quo uno instructus Votum impetiit Sanguinarium, ac Superstitionis prædamnavit. Ubinam illud quid habeat roboris? In Moralibus certe Quæstionibus nunquam, tametsi, utcunque lubet, Incertis. An sine Lampridianis Fraudibus Sanguinarium Votum oppugnari potuerit? Valdesio respondetur Lampridium suum purgare conanti. Alvari Pelagii locus, a Lampridio adductus, additamentum esse cum Raynaudo ostenditur. Amentur ne, an non, ab Ecclesia, qui in Opinione vel hodiedum sunt, Præservationi Virginis contraria: & cur?

JUvat nunc vero ad pleniorem ejus rei illustrationem videre, ac speciatim inquirere; utrum Quæstio de *Conceptione B. Mariæ Virginis*, tanto olim studio partium agitata, non tam hodie *Speculativa* sit, quam etiam *Moralis*? Absurdam quis forte putabit quæstionem hanc, perinde ac si quis quæreret, an Virtus sit quadrata? præsertim ex quo *Capite præcedenti* docuimus, rem heic esse de peccato. Quoniam vero *Theologo Mutinensi* non absurda est visa ejusmodi Quæstio: immo rescribens Franciscano cuidam, mihi sane intime noto, ac vel sanguine quam arctissime conjuncto, ipse quia totus est, ut discrimen adstruat inter quæstiones *Morales* incertas, & *spe-*

& *speculativas* item incertas; istarumque duntaxat numero illam accenseat, quam modo versamus, de *Conceptu Deiparæ*: abs re non erit, si ei nunc quæstioni, explanandæ verius, quam pertractandæ, data opera paullulum immoremur.

Principio igitur illud statuo, Sanctorum Cultum, ideoque & Virginis omnium longe Sanctissimæ ad communes Ecclesiæ mores pertinere, hoc est, id, quod colitur, ac colendum ab Ecclesia præcipitur, non *speculativis* solum, sed *Moralibus* etiam quæstionibus esse adnumerandum. Patet id locupletissimo *Melchioris Cani* testimonio, ad rem inquientis: *Multum refert ad communes Ecclesiæ mores, scire, quos debeas religione colere: quare si in illis erraret Ecclesia* (quemadmodum *Cano* fatente plane non errat) *in MORIBUS quoque graviter falleretur*. Et paullo infra: *Turpiter errabit* Ecclesia *in doctrina MORUM, si legem ferat de colendo Divo, quem colere, si Divus non est, & cum ratione & cum Evangelio pugnat*. Si ergo in Divis seu consecrandis, seu religione colendis erroris expers est Ecclesia; sique illa ubi semel fallatur hac in re (quod sane fieri non potest), graviter turpiterque erraret *in doctrina morum*: quis, rogo, ambiget, Divorum Cultum non ad *mores Ecclesiæ*, atque adeo ad Quæstiones *Morales* referri non oportere? Enimvero, qui in ejusmodi *Morum* judiciis aut Ecclesiam falli credit, aut non illud ipsum colit, seu non eo modo, neque ea sub significatione, qua ab universis Christi Fidelibus coli jubet Ecclesia: profecto non ille procul a crimine, non a culpa tutus, non securus ille, non liber a Peccato. Ac proinde, ex quo Deiparæ *Immunitas* ab Adami contagio in Ecclesiasticum Cultum, luculentissimo Ecclesiæ Præcepto, immigravit; plane consequitur, *Mariani Conceptus* controversiam e *Speculativa* in *Moralem* jam evasisse, seu non mere *Speculativam* eam esse, sed simul etiam *Moralem*. Quibus si addas ea, quæ nuperrime uberius sumus persequuti, scilicet nunc temporis licere nemini Piæ id genus Sententiæ refragari citra *Peccatum*, seu aliter de ea sentire, ac sentit Ecclesia; res plane confecta est, ita ut supervacaneum prorsus sit de illa pluribus dicere. Appositum ad persuasionem valde est exemplum, a Quæstione Virgineæ seu *Nativitatis* seu *Assumptionis* petitum. Ubi quæras utrum Virgini collata a Deo fuerit Sanctitas, antequam in lucem ederetur? vel utrum Anima simul & Corpore eadem Beata Virgo Cœlestia Regna petierit? duas habes Quæstiones mere

Lib. V. de locis Theol. Cap. 5. Concl. 3.

Specu-

Speculativas: Quum autem inquiris; nullus ne *Peccati* metus in eo, qui secus sentiret, atque ejus generis Privilegia, post tam solennem Cultum iisdem ab Ecclesia decretum, invideret Deiparæ? habes de una eademque re Quæstionem quoque *Moralem*, utpote in qua de *Peccato vitando* sermo aut disputatio instituitur. Eodem modo & de *Mariana Conceptione* disserendum. Duplex namque de illa quoque instituenda est Quæstio, altera *Speculativa*, *Moralis* altera. *Speculativa*, quam Ecclesia nondum diremit, ejusmodi est: fuerit ne, an non Diva Virgo præservata ab Originali delicto? *Moralis* vero, in quam jamdiu illa transiit, ex quo scilicet solemnem *Præservationi* Cultum Ecclesia indixit, ita concipitur: sit ne peccati cujusque immunis, nec ne, qui *Conceptionem* ex præscripto Ecclesiæ colendo, apud se negaret, non crederet fuisse *Immaculatam*? Diximus autem, probavimusque etiam supra pluribus (*sentiendo* quidem, non *asserendo*) eum peccaturum, qui posthabito Ecclesiæ judicio atque mandato, existimat creditque Virginem in Peccato conceptam: atque ideo, quin *Conceptus Mariani* Quæstio non *Speculativarum* tantum, sed in *Moralium* etiam quæstionum numero ponenda sit, nemo plane, præter unum *Doctorem Mutinensem*, jure dubitaverit.

In confesso est autem apud omnes, in Quæstionibus *Moralibus*, ubi scilicet de *vitando* agitur *Peccato*, præstare millies mori, quam Deum lædere, ac vel levissime offendere. Cujus veritatis ea quidem est ratio firmissima atque manifesta, quod *Peccatum*, quantumvis levissimum, tam grave malum sit, ut ejus comparatione reliqua omnia Mala, ut vocant, *pœnæ*, utcunque atrocissima, nullo sane in pretio sint, aut haberi a quoquam possint: proindeque ad unum istud *culpæ* Malum vitandum non modo mortem optare licet, sed Vita etiam ipsa quam rectissime impendenda est. Quam in rem *S. Ambrosius* ad illud *Ecclesiaste* IV. 2. & 3. *Et laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est*; ita scitissime subdit dicens: *Mortuus præfertur viventi, quia PECCARE destitit* (aut ut habet alia lectio, *desivit*). *Mortuo præfertur qui natus non est, quia PECCARE nescivit*. Idem & *Christus Dominus* significavit illis de *Juda Iscariote* verbis *Matth.* XXVI. 24. = *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Quid multa? Hanc veritatem agnovit & ipse *Lampridius*, qui & idcirco *pag.* 28. ultro fatetur perspicuis hisce: *Christianæ Legis dogma est, mortem potius subeundam, quam*

in Observ. 18. super Ps. CXVIII.

Peccato vel levi in Deum consentire. Idem & *pag.* 21. aliis verbis, ibidem videndis. Immo, non tantum evitandi *Peccati* caussa sanguinem licite potes fundere, verum etiam debes: ac si quidem citius, quam pecces, corporalem Vitam impendas, non tam in laude id tibi ponitur, quam ingens quoque tibi in Cœlis paratum esse præmium nemo unus negat.

Quemadmodum vero exploratum est inter Catholicos, fortiter sanćteque eligendam nobis esse mortem, ne in Deum peccemus; sic & in omni æternitate cunćtis maxime est ratum, in id rei necessum non esse, ut *certo* constet ibi adesse Peccatum. Innumera ferme ejus rei exempla habemus in *Morali Theologia*, cujus Scita plerumque non *Certitudine*, sed sola, partim minori, majore partim *Probabilitate* nituntur. Unum commemorasse ad rem sat esto: id scilicet, quod nobis commodum subministrat *S. Augustinus*, ubi adversus *Officiosum mendacium* totis ingenii viribus calamum stringit. Magnus enim ille Pater & Ecclesiæ Doćtor, *Veritatis* semper & ubique servandæ, ita patrocinium suscepit, ut pene omnium primus inter Patres veteres quodvis *Mendacium*, vel utcunque *Officiosum* profligaverit, atque illicitum, seu *Peccatum* esse congestis plurimis Ecclesiasticæ eruditionis monumentis senserit, demonstraveritque. Legesis duos ejus Libros, hac de re elucubratos, quorum titulus *de Mendacio*, & *contra Mendacium*, ab se se *Consentio* nuncupatos. Dixi, *pene omnium primum* e Veteribus adversus *quodlibet Mendacium*, vel illud etiam, quod *Officiosum* dicitur, *S. Augustinum* insurrexisse. Nam reliquos *pene omnes*, seu eo antiquiores seu etiam ætate suppares Patres, secus hac in re sensisse, vel ipsemet *Augustinus* alio in loco non obscure testatur: *De mendacio PENE OMNIBUS videtur, quod ubi nemo læditur, pro Salute mentiendum est*. Et sane, Clementem Alexandrinum, Origenem, S. Johannem Chrysostomum, S. Hilarium, Cassianum & alios ab hac non abfuisse opinione cuivis est manifestissimum. Illorum heic ego loca non allegabo, quia notiora sunt, neque ulla, ut allegentur, necessitas cogit. A referendo tamen *Hilarii* loco, cujus libros *inoffenso pede decurri* a quoquam posse aućtor est *S. Hieronymus* in Epist. *ad Latam*, olim. 7., nunc 57. aut 107. num. 11. temperare mihi non possum. Audi, quibus in id rei verbis suam nobis mentem ille reseravit. Traćtatu quippe *in Psalmum XIV.* num. 10. ita *S. Hilarius* scribit: „ Est enim „ necessarium plerumque *Mendacium* (puta *Officiosum*), &

Quæst. 68. Super Leviticum Cap. 19.

„ non-

„ nonnunquam falsitas utilis est, cum aut percussuro de la-
„ tente mentimur, aut testimonium pro periclitante frustra-
„ mur, aut fallimus de difficultate curationis ægrotum; &
„ oportet secundum Apostoli doctrinam (*ad Colos. IV. 6.*)
„ sermonem nostrum sale esse conditum. Idcirco nunc Spiri-
„ tus Sanctus Fassitatis affectum Mendacii conditionibus tem-
„ peravit dicens: *Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit*
„ *proximo suo malum;* ut crimen Mendacii in incommodo ha-
„ beretur alieno.„ Nihilo tamen secius, ex quo *Innocentius XI.* die 2. Martii 1679. propositiones 26. 27. & 28. confixit, ac carbone notavit; longeque etiam antea, ex quo in *Gregorii* Decretalibus Lib. V. *de usuris* Tit. 19. Cap. 4. *Super eo,* cautum legimus, *Scripturam Sacram prohibere pro alterius vita mentiri*: non video, quei amplius liceat, *Augustino* relicto, cum *Hilario* aliisque Patribus *Officiosi mendacii* defensionem instruere, aut ejusdem arripere patrocinium.

Nusquam vero fuit adeo sibi sententiæ certus *Augustinus*, ut crediderit aut rem hanc indubitanter ad *Fidei divinæ* dogmata pertinere, aut esse ejusmodi, cui sine crimine, sine flagitio nemo unus possit adversari. Quam enim ibi copiose strenueque admodum tuetur Sententiam, hoc est, vel *Officiosum* quodvis mendacium *Peccatum esse*, ita quidem tuetur, ut non tam pro incerto id *Augustinus* habeat, (si *Fidei* certitudo spectetur), quam etiam liberum unicuique permittat æstimare hac de re, quod quisque voluerit. En sole clariora ipsius *Augustini* verba: *In hoc magna quæstio est, sit ne aliquando mentiri viri boni, immo viri Christiani, qualibus dictum est; sit in ore vestro, est est, non non,* &c. &c. *Sed hæc, ut dixi* (ait S. Augustinus) *alia & magna quæstio est: ELIGAT quod VOLUERIT, qui hoc existimat ubi mentiatur; dum tamen a scribentibus Auctoribus Sanctarum Scripturarum, & maxime Canonicarum, inconcusse credatur, & defendatur omnino abesse Mendacium.* Etsi ergo *Augustino* non *Certo* constiterit, Certitudine scilicet *Fidei*, in Mendacio *Officioso* adesse *Peccatum*; nihilo tamen minus, postquam multis magnisque rationibus non inde *Peccatum* omne procul esse sibi ipse persuaserat, docere minime dubitavit (ac rectissime quidem), citius Christiano moriendum esse, quam vel *officiosissime* mentiri, hoc est Vitam potius dandam, quam vel levissime in Deum peccare. Propterea enim de *Hebræorum Obstetricibus*, deque Jericontina Meretrice, *Rahab* nomine (quas omnes *Exodi I. 19.*, & *Josue II. 4.*

Epist. ad Hieronym. olim 19. nunc autem 82. num. 21 & seq.

II. 4. & seqq. mentitas fuisse constat, adeoque, *Augustino* judice, a *Peccati* macula minime alienas) ait Lib. *contra Mendac.* Cap. 17., quod si, ne *mentirentur*, id est ne *peccarent*, illæ reapse mortem obirent atque enecarentur; ait, inquam, citato loco ipse *S. Augustinus* in hunc modum: primum quidem de *Obstetricibus*, quod nempe *morerentur futura in æterna felicitate, mortem perpessa pro innocentissima veritate*: de *Rahab* vero postea, videlicet quod *vitam istam finiendam pretiosa in conspectu Domini morte finisset*. Igitur *Augustino* duce, rectaque Ratione omnino suadente ac compellente, in quæstionibus Moralibus, ubi res est de *peccato vitando*, securibus offerre caput præcidendum, ne pecces (tametsi non undequaque Certum sit, in iis inesse *Peccatum*) non modo non criminosum, non culpabile, sed laude ac præmio etiam quam dignissimum judicatur. Neque vero hac in re diffidentem habemus, immo prorsus consentientem *Theologum Mutinensem*. Is enim prælaudati Franciscani (quocum ego vel a teneris unguiculis quam familiarissime vixi, vivamque quoad spirabo) prælaudati, inquam, Franciscani Litteris id ipsum ex *Augustino* exemplum in se urgeri videns, *Kalend. Januarias MDCCXLIV.* in hæc verba respondit: *Quotiescumque agitur de PECCATO vitando, quamquam non sit Certum de FIDE illud esse Peccatum, CERTUM, ut dixi, futurum est PRÆMIUM in Cœlo. Ideoque si tunc potius homo Mortem eligeret, quam in actionem illam consentire, quam ob justas rationes Malam esse credit, Bonum CERTUM, & Vita præsentis Sæculi MAJUS eligeret*. Pulchra hæc sunt, simul atque veritati maxime consona: nobis autem vel eo nomine pretiosiora, quod ab ipsiusmet sint Adversarii calamo exarata.

Atque hinc pronum est intelligere, quam inermis ac nudus jam sit *Lampridius* in ea parte, qua oppido præfidenter *Votum* est insectatus, abs se *Sanguinarium* vocitatum, Votum scilicet fundendi (quum opus fuerit) sanguinis, vitæque impendendæ in rem *Immunitatis* seu *Præservationis* Deiparæ. Audiamus, quid ille in id rei protulerit in medium. Palladium, seu Achilleum *Lampridii* argumentum isthuc est ad Dialecticæ leges ita edolatum: *Bonum Certum* fundi haudquaquam potest citra peccatum pro *Incerto*. Atqui Vita hominis est Bonum *Certum*, cujus nos non Domini, sed custodes duntaxat sumus; Virginis autem *Immunitas* a primigenii Peccati sordibus est Bonum adhuc *Incertum*, quippe de qua ad hunc us-

que

que diem nihil de Fide *Certi* Ecclesia pronuntiavit: Ergo pro istius tutela vovere Vitam, & Sanguinem fundere quis (conficiebat ille) quis sine Peccato licere unquam dicet? In hunc quidem modum *Lampridius*; qui hac una ratione, veluti insuperabili armatorum agmine stipatus, in scenam, in aciem prosiliit, invisum sibi Votum non tam oppugnaturus, quam expugnaturus etiam certo, facilique negotio funditus deleturus. At videamus, quam mirum in modum sua eum, hac in re æstimanda, seu opinio seu fiducia fefellerit sane immodica. Profecto adeo infirmum, evanidum, atque imbecille est in rem præsentem Lampridianum illud argumentum, quod tanto studio, ubique, ac semper ab ipso intorquetur, inque omnes facies a *Lampridio* vertitur, ut plane nesciam, an debilius ullum atque illaudatius produci huc ab eo potuerit, possitque ab alio unquam. Ut ejus argumenti tenuitatem exilitatemque cognoscas, & quasi manu tangas, lubet ad easdem leges quam simillimum argumentum efformare, in re scilicet *Mendacii Officiosi*, sequentibus verbis: Bonum *Certum* commutari minime licet cum *Incerto*. Bonum *Vita* est Bonum *Certum*; contra puritas ab *Officioso* Mendacio est Bonum *Incertum*, quippe quod super illo ejusque controversia [ætate nimirum *S. Augustini*, ac multis etiam Sæculis post] nullum Ecclesia tulit decretorium judicium. Nemo igitur tam imprudens, ut contendat vel tum quoque sibi potius licuisse mori, quam utiliter proque periclitantis Salute unquam mentiri. Quæso, an non ejusmodi nugatori respondisset *Augustinus*, ne teruncii quidem valere tam ridiculum argumentum? Sane, in hoc Syllogismo tota ratiocinatio, omnisque vis abest prorsus, qui intendit. Si quid enim valet propositio *Major* in eo assumta, in Quæstionibus duntaxat valet *Speculativis Incertis*, neutiquam vero in *Incertis Moralibus*, ut ante indicavimus. Quodque est ineluctabilius, confitentem jam vidimus hac in re ipsummet Adversarium *Mutinensem*, verbis omnium clarissimis, non ita pridem ex illo recitatis. Hanc enim confessionem ab eo extorserat Veritas semper victrix, de qua graphice Augustinus: *Ipsa vincat necesse est, sive negantem, sive confitentem.* Ipsissima autem hæc responsio nonne & in præfatum *Lampridii* Syllogismum, contra *Votum Sanguinis* vibratum, apprime quadrat? Certe utrobique par omnino est ratio; tamque in re *Officiosi mendacii*, quam *Marianæ Puritatis* a noxa Originali agitur ex dictis de fugiendo pellendoque Pec-

Epist. ad Pascent. olim 174., nunc autem 238. n. 39.

Peccato. Igitur in utrumque argumentum una eademque responsio congruit: pateque manifeste, neutrum habere quidquam ponderis, quicquam boni succi, utpote in rebus *Moralibus*, quantumlibet *Incertis*.

Patet hinc etiam oppido luculenter, Votum istud a *Lampridio* potuisse sine ullis, ut æquum erat, fraudibus impugnari. Inexpiabiles enim huc illum adtulisse fraudes, ex dictis supra recordaberis. Ac ne crimineris, id a nobis fuisse confictum sponte, relegas velim *Caput XIX.* nostræ istius qualiscunque industriæ, ubi hujusmodi callidas fraudulentasque artes in *Lampridio* ostendimus, quanquam non omnes, satis tamen ad institutum. Quis enim recensum inire omnium seu velit, seu possit? In eruendis profecto ex antiquitatis parietinis, congerendisque, quas potuit, auctoritatibus omnibus adversus Piam Sententiam, Cultumque *Immunitatis*, nihil sane reliqui fecit Theologus Mutinensis. Neglexit at vero ea omnia quæ utrique favent tam Cultui quam Sententiæ, quæque nominatim Virginem habent ab *Originis* labe omnino præservatam. Quinimmo non neglexit hæc solum, sed etiam nihil non egit, ut pro sua virili abscinderet, contereret, aut saltem debilitaret. An id viri probi? an boni Theologi? an viri eruditi riteque docti, ac Veritatem unice quærentis? Huc & *Alvari Pelagii* locum accenseas ex Lib. 2. *de Planctu Eccl.* Cap. 52., a *Lampridio* consulto exscriptum pag. 202., animo scilicet eidem Piæ Sententiæ, tum etiam Cultui, horumque Patronis atque Assertoribus invidiam creandi. Memorat quidem ille eodem loci *Theophilum Raynaudum* in Tract. *de Piet. Lugdun.* pag. 305. *dubitasse*, an hæc revera scripserit *Pelagius*. Verum *Raynaudi* mentem non est ille assecutus; aut verius noluit assequi, quia e re sua non erat. Sunt autem ista *Raynaudi* verba conceptissima in Opusc. de *retinen. Tit. Immac. Concept.* Tom. VII. Operum §. III. num. 8.: „ Sed hoc esse assumentum ad Opus Alvari, „ inde MONSTRATUR, quod omnia illa verba desiderentur in MSto perantiquo illius Operis, quod asservatur in Sfortiana Bibliotheca, & desiderentur quoque in ejusdem Operis „ exemplaribus Vaticanis. „ Eadem ille repetit Tom. VIII. in Tract. *de Piet. Lugdunen.* num. XXXII. per *Lampridium* laudato: ubi & addit ad augendam additamenti suspicionem, quod sermo de Deiparæ *Conceptione* ab proposito sibi scopo extraneus plane sit, aut esse videatur. Itemque superiore loco, *quod jussu Pauli V. conquisita sunt omnia antiqua Missalia & Libri Rituales ejus-*

ejusdem Ecclesiæ (hoc est, S. Mariæ Majoris Romæ), *neque usquam deprehensum est*, quod Pseudo-Alvarus testatur, scilicet ab ea Ecclesia *vocem SANCTIFICATIONIS adhibitam esse pro voce CONCEPTIONIS, cum de hoc Festo ageretur*. Hæc porro *Lampridius* ad interpolationem seu falsitatem istam retegendam adeo idonea, bona fide omnino præterivit. Utrum autem sint hæc hominis *dubitantis*, ut ille jactitat; an potius firme decernentis, Lectores judicabunt: qui & una addiscent, facile ne *Lampridio* credendum sit, quum caussæ, quam suscepit, ipse inserviens, Veterum aliorumve placita obtrudit nobis? Ast intrepide ille contendit, *Alvari Pelagii* verba, ab se producta, ipsius revera esse, nec aliunde in ejus Librum immissa: quod inde putat satis se probasse, quia & *ejus* (inquit) *stilum sapiunt*, & *illa alii Codices præferunt*. Tum ad Sfortianum, aliosque pervetustos Codices Vaticanos, in quibus nihil horum invenitur, reponit hoc modo: *Neque mirum, si quis contrariæ sententiæ postea deditus, in ejus libro describendo hæc pauca sibi ingrata expunxerit*. Quæso, an forsan mirum (ajo ego), aut inauditum, si quis *fœdatæ* addictus *Conceptioni* in hujusmodi libro describendo pauca isthæc, sibi perquam gratissima, de suo postea addiderit, injeceritque? Nam ad *stili* unformitatem quod attinet, infirmius id est, quam ut pluribus solvi debeat. *Mabilonium* hac de re confer, virum sane Cl., Tom. 2. *de Studiis Monast.* Cap. 13. pag. mihi 199. ac seq. Certe corruptionis notæ ac suppositionis indicia, a *Raynaudo* allata, multo præstant iis, quæ pro asserenda germanitate *Lampridius* eduxit; ut intelligas a nescio quo falsario omnia illa per Mutinensem Magistrum recitata verba *Alvaro Pelagio* assuta & afficta fuisse.

Sed quid, amabo, opus erat *Lampridio* ad id genus technas & fraudes semet convertere, ut Votum sibi intolerandum, minimeque ferendum, tanto conatu impugnaret? Equidem doleo, malam caussam ab eo fuisse susceptam, atque ita insuper defensam, ut in ipso doctus, cordatus & cautus quisque fidem etiam desideraret. Plane Theologo isti non erat cum iis confligendum, qui aut ignorarent, aut non etiam sponte faterentur Piam de *Præservatione* Sententiam ad *Fidei* Certitudinem necdum adscendisse. Ut quid ergo ille penetralia caussæ ingressus, omnem lapidem movit, ut fundamenta ejus omnia, quorum nullum sane intactum reliquerat, adhibitis machinis omnibus aut dejiceret (si posset), aut extenuaret? Frustra hinc est *Valdesius*, dum pag. 56. sui gratia *Lampridii* ab omni culpa vindicandi

di ait: *Non alia ratione Sanguinarii Voti vitium patefieri posse, nisi demonstrando, Certitudinem desiderari in Pia Sententia.* At obsecro, adeo ne *Valdesius* nos esse fungos existimat, ut qui illi crederemus? Ecquid enim necesse heic erat demonstrare quod nemo unquam negaverat, id est *Certitudinem* abesse a Pia Sententia, quam illi inesse ne somniabat quidem ullus? Loquor de una *Fidei* Certitudine, extra quam cuncta *Lampridio* sunt *Probabilia*, atque intra *Opinionum* Pomœria unice statuenda. Sed petit Valdesius: *quei ergo aliter* (hoc est *sine illis fraudibus*) *Votum illud oppugnari potuit?* Petenti faciam ego satis nullo hercle negotio. Recole hanc in rem proxime a nobis dicta: scilicet unicum in id rei argumentum fuisse a *Lampridio* exertum atque intortum integro suo Opere, ut vitium exaggeraret, a se quidem deprehensum aut verius somniatum in Voto Sanguinario. Argumentum autem istud nuperrime jam commemoravimus, quantique sit pretii, librando etiam palam fecimus. Stat vero prorsus immotum hujusmodi Lampridianum qualecunque argumentum, nihilque ab eo roboris abscedit, etiamsi *Lampridius* nullum omnino fecisset verbum cum de *Sententia*, tum etiam de *Cultu* Præservationis; quemadmodum plane oportebat. Semper enim verum esset, quod *Lampridius* ipse scribit pag. 104., nempe *revelatum a Deo fuisse, ejusque praeceptum nobis ab Ecclesia proponi & commendari: videlicet, curam habendam esse Vitæ nostræ, neque licere nobis arbitrio nostro eam prodigere, & præsertim nefas esse animam ponere pro tuendis Opinionibus nostris;* puta *Speculativis* tantum, non *Moralibus*, ut ante dicebam. Si autem id *a Deo revelatum* est, atque *ab Ecclesia propositum*, ut Lampridius asserit: Ergo illud ipsum non solum *Moraliter*, aut *Physice*, sed etiam de *Fide* est nobis Certissimum. Quum vero non ita Certum sit, omnibus omnino consentientibus, iisque præsertim, quibuscum *Lampridio* certamen erat; quum, inquam, non ita Certum sit [*Divinæ* scilicet *Fidei* Certitudine] Beatam Virginem a labe *Adamitica* exemptam prorsus fuisse: conficitur plane, decantatum *Lampridii* argumentum de *non fundendo Certo Vitæ Bono pro Bono Incerto*, totum atque integrum in suo quantulocunque robore permanere; ideoque illo argumento Sanguinarium Votum oppugnari quidem sine Lampridianis iis fraudibus, at neutiquam, ne cum illis quidem, expugnari potuisse. Prætextu igitur amovendæ nescio cujus *Certitudinis* a Pia Sententia, non pepercit *Lampridius* ipsimet Sententiæ *Conceptionis Innoxiæ*, non ipsi Festo & Cultui, non Pontificum Bullis, quas & interpolare aut obtrun-

truncare; ac pessime etiam interpretari religioni ille minime habuit. Dicam verbo: *Lampridii* Opus, totum quantum est, tot scatet rebus fraude plenis, simul una & a scopo maxime abludentibus, ut, quicquid agat *Valdesius* seu alius quisque, nullus plane sit, aut esse possit justæ unquam defensioni aut excusationi locus. Adfectus enim nonne migrare solet in calamum?

Has porro inter fraudes non postremum obtinent locum & illa *Lampridii* verba, pag. 35. ajentis de adversæ Opinionis fautoribus, quod scilicet *eos non Apostolica tantum Sedes, sed & Ecclesia universa ut pios & orthodoxos Catholicos habet, amat, atque honorat*. Idem innuit & pag. 123. dicendo: *Neque Ecclesia improbat, minusque caros habet, qui opposita sententia adhærent*, id est, qui sentiunt Virginem *Adæ peccato* non caruisse. Quorsum autem isthæc, nisi ut istorum Opinionem, perinde ac alteram eorum, qui nobiscum, immo cum Ecclesia censent Deiparam extitisse in sua Conceptione prorsus Immaculatam, seu quoad *Pietatem*, seu etiam quoad *Probabilitatem* omnino pares esse, suos *Lampridius* Lectores ad credendum inducat? Ita sane ille pag. 97. mentem suam patefecit perspicuis hisce: *Neque enim & hæc altera Opinio* (scilicet de Conceptu fœdato) *definit esse PIA, atque PROBABILIS; quod inde manifeste elucet, dum Ecclesia illius sectatores, æque ac alterius patronos* (ejus nempe, quæ omnem a concepta Virgine maculam removet), *caros habet; neque solum non aversatur, nec damnat, sed honoribus auget, non secus atque ante eis indictum silentium*. Sed fallitur, aut potius fallit nos *Theologus Mutinensis*; neque ejus queo satis mirari rationem.

Primum a *Lampridio* quæro; itemque a *Valdesio* pag. 51. & pag. 131. non absimilia venditante; videlicet quei *Sedes Apostolica*, nec non & ipsa *Ecclesia universa* vel unum agnoscat, possitve agnoscere eorum, qui in Opinione reapse sunt *Præservationi* Virginis ex diametro adversa, postea quam apertissimo Ecclesiæ Præcepto nemini amplius est liberum, id genus Opinionem ullo pacto ad vitam revocare, nec proferre quidquam aut hiscere, quod Piæ de *Præservatione* Sententiæ adversetur quoquo modo. Si enim Ecclesia, cui datum non est hominum corda intueri, rescire non potest, quam quisque hac de *Mariana Conceptionis* controversia sententiam foveat, alatque in sinu suo: quomo

Rr

modo, quæso, de *Apostolica Sede*, deque *Ecclesia universa* dici sine temeritate a *Lampridio* potest, quod ipsa & *amorem* & *honores suos* conferat in eos quoque, qui Deiparæ invident, eripiuntque *Immunitatem?* An ii fortasse ab Ecclesia, ab Petri Sede, *ut Pii* dici & haberi possunt, *amari* etiam atque *honoribus augeri*, quos ipsa, nisi voce aut scriptis se prodant, omnino non novit? E contrario, statim atque Ecclesiæ innotescit illorum sensus, *Immaculato Conceptui* contrarius, nonne eos, potius quam Filiorum loco, quos *caros* habeat, uti *Anathemate* jam perculsos, adeoque vitandos haberi Ecclesia ipsa præcipit ab omnibus? Relege in rem istam *Gregorii XV.* decretum, nec non Bullam *Alexandri VII.*, superius exhibitam, simul etiam omnium sane locupletissimam.

Deinde, amet illos Ecclesia non minus, quam ceteros; favoribus item honoribusque prosequatur, ut libet: quid postea? Amat eos Matris, Patrisve affectu, non morigeros solum filios, sed etiam inobsequentes, quos & corripit interdum atque castigat. Perquam apposite *S. Ambrosius*: „ Non „ osculatur semper Pater filium, sed & aliquando castigat. „ Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & *Amor* plagas suas, quæ „ dulciores sunt, cum amarius inferuntur: Dulcior enim est „ religiosa castigatio, quam blanda remissio. „ Sed demus a ferulis, a plagis Ecclesiam sibi temperare; simul etiam concedamus, æque sibi caros esse, æque a se diligi, æque honorari, tam qui a *Præservatione* stant, quam qui pro *Expiatione* militant. Fingas tibi quoque, omnes id genus Pugiles atque oppositarum Sententiarum Patronos laudari æqualiter ab Ecclesia, verbisque in cœlum extolli. An idcirco æque *Pia*, æque etiam *Probabilis* utrorumque Sententia? Verum, Ecclesiæ OEconomiam, plane sapientissimam ignoret necesse est, qui tali modo ratiocinatur. Laudavit etenim *Pyrrhum* aliquando, Constantinopolitanum Patriarcham, ac *Monothelitica hæreseos* hominem, Sanctus *Maximus* Abbas, gloriosus *Monothelitarum* debellator & Martyr; suaviterque cum illo egit, ac reverebatur ut Patrem, quoad usque ille ad vomitum canis instar reversus est, atque a *Theodoro* Pontifice Summo sub annum 647. anathemate confixus. Si ex me quæris: cur secum illo ita se gesserit Sanctissimus Abbas, cur eum laudarit

Concion aut Serm. VI. ad Populum.

darit

darit aliquando? audi ipsissimum re & nomine *Maximum* in Epist. *ad Monachos Siciliæ*, sic apud *Pagium* respondentem: *Illius mea ad Pyrrhum LAUDATIONIS hæc fuit ratio ac modus, cum vellem sensim eum & a contraria opinione abducere, & ad rectam intentionem Fidei transferre.* Haud dissimili modo & in osores *Innocui Conceptus* Ecclesia procedit. Illos amore, illos honore, illos, si velis, & laudibus ornat. Quis non ejus Prudentiam miretur & laudet, in re præsertim illa, quæ needum ad *Fidei* certitudinem assurrexit? Interim vero prostant in id rei Ecclesiæ Leges, in Maximorum Pontificum Bullis constitutas. Qui eas parvi pendit, qui despicit & violat; ipse sibi pœnas in iis latas, ipse damnationem sibi acquirit. Attamen, ut vere sapienterque de *Ecclesiæ Præpositis* S. Augustinus: *Ne nomen Christi per horribilia Schismata blasphemetur, pro bono unitatis ii TOLERANT, quod pro bono æquitatis ODERUNT.* Cui & illud affine est, quod idem Sanctus Ecclesiæ Doctor alibi tradit, hoc est *Epist.* 87. *num.* 2., olim autem *Epist.* 164., in hæc verba: *Quamquam & illud non est tacendum, etiam cognitos malos bonis non obesse in Ecclesia, si eos a communione prohibendi aut potestas desit, aut aliqua ratio conservandæ PACIS impediat.*

in *Annal. Baron.* Tom. 2. ad ann. 648. n. 5. fol. 816.

Epist. 43. Cap. 8. n. 21. *alias* Epist. 162.

Igitur, si blande cum *Marianæ Immunitatis* hostibus agit Ecclesia (modo ullus id ævi sit super, qui hoc in numero computetur), si amorem illis & honores defert, quamlibet amplissimos: quæ sit istius OEconomiæ ratio & caussa, ab *Augustino* didicimus & pro comperto jam habemus. Scilicet id agit, si tamen id agat (jamdiu enim multumque est, ex quo nullum penitus agnovit viditque Ecclesia contra *Piam Sententiam* in aciem venire, præter unum *Theologum Mutinensem*) id, dico, agit Ecclesia, hacque erga illos prudentis OEconomiæ aut dispensationis lege utitur quibusdam quasi lenociniis, ut non ferro & igne eorum vulnera curando, sed honoris & amoris oleo fovendo ac medendo, ad meliorem frugem & sanitatem valeat illos suavius revocare. Uno verbo; *pro bono pacis* (ut cum *Augustino* loquar) *pro bono pacis & unitatis* Ecclesia in illis *tolerat*, *quod pro bono æquitatis odit* sane, nec approbat ipsa nec facit; immo neque reor ipsam id unquam in aliquo approbaturam. Proindeque ista Ecclesiæ taciturnitas, hæc amoris & honoris, si qua est, in illos collatio, dispensatio est aut tolerantia, quæ sua quidem non caret laude; non consensus, non

approbatio, non judicium, quod iis faveat, qui tam male de Virginis *Præservatione* sentiunt. Sed fortassis veniet tempus, quo idem, quod olim de Theophilo *Hieronymus*, de Romano etiam Pontifice exultim dicet aliquis ex *Intemerati* Deiparæ *Conceptus* Cultoribus: *Exaltasti manum diu, & suspendisti plagam, ut ferires fortius.*

Epist. 14. ad Theophilum, alias 70. vel 39.

CAPUT XXII.

Dictorum conclusio: hoc est non solum Piam de Mariana Immunitate Sententiam, sed Votum etiam (ut Lampridius vocat) Sanguinarium, pro ejusdem tutela emissum in tuto jam esse. In id genus Votum propendent admodum Viri cum doctrina, tum pietate insignes: immo & illud suscepit ante annos centum & amplius, Academia Granatensis. An qui pro hac re tutanda Sanguinem funderet, Veris sit Martyribus accensendus? Ad Lampridii Lectores monitum, ne sinant sibi imponi, neve heic trepident timore, ubi nullus est timor.

SEd jam vela colligamus: Ex iis, quæ nos hactenus in id rei disseruimus, copiosius etiam multo, quam forte oportebat (*Lampridius* autem in caussa fuit), internoscere quisque poterit, non modo Sententiam Piam, Cultumque *Præservationis* Dei Genitricis Mariæ a parentali contagio, sed etiam *Votum* præcipue Sanguinarium, qua de re hæc a nobis dicta sunt, ab captiosis immoderatisque seu *Lampridii* seu *Valdesii* oppugnationibus in tuto jam esse. Nam ad Sententiam & Cultum quod attinet Virgineæ *Immunitatis*, seu *Præservationis*, ego quidem de Catholicis jure miror, mirandumque puto, inter eos vel unum hac ætate reperiri *Theologum Mutinensem*, qui post lucem tantam in totius Orbis Ecclesiis Gymnasiisque fulgentem, tam ægre concedat, ut Dei Matrem omni peccato semper *Immunem* ac prorsus *Immaculatam*, clam palam cum *universa Ecclesia* salutare, sentire ac dicere, etsi permittat posse

posse, debere tamen Fideles ad unum omnes minime fateatur: Tanta est autem *Ecclesiæ* id præcipientis auctoritas, ut ei non obtemperare, seu, ut *S. Augustini* verba usurpem, *nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis sit, vel præcipitis arrogantiæ*. Ubi & alia ejusdem *S. Augustini* verba probe spectant: *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissima insania est*. Quas vero in rem istam quæsivit invenitque rimas *Lampridius*, ita omnes suis locis explevimus supra, ut illæ nihil jam ei prosint, nec habeat amplius, quo ipse elabatur. Nisi enim cum rationis ac simul Christianæ observantiæ clara luce pugnemus, sic nos docet, sic pie credere jubet Ecclesia, dum nobis Cultum ipsa præcipit *Præservationis*. Præterea, hunc in Cultum ab Ecclesia præscriptum, seu potius in Sententiam hanc Piam de *Innoxia* Virginis *Conceptione*, quæ ejus Cultus unicum Objectum est, insigne admodum & palmarium pondus emanat ex antiqua Traditione, sive ex plurium vetustissimorum Patrum luculentissimis testimoniis, ut propria in sede demonstravimus: hoc est dictu vel ex illis antiquis Patribus *sex priorum Ecclesiæ Sæculorum*, quos solos, quoties agitur de rite haurienda *Traditione* Dogmatum Christianorum, consulendos atque audiendos esse *Valdesius* ipse contendit Epist. III. pag. 40.; quo loco & de reliquis, qui deinceps floruerunt, Patribus post Sanctos *Gregorium* Magnum, & *Isidorum* Hispalensem Antistitem, satis intrepide subjicit, *Sanctos* quidem & istos dicendos esse, at *Theologos* potius, quam *Sanctos Patres*: quod si quis velit & hos simul *Sanctos Patres* dicere (quod nemo facere prohibetur) *certe*, inquit ille, *eorum auctoritas, etiamsi non levis pretii & usus sit in Theologia, in comparatione tamen priorum Patrum minor est; eorumque Traditio, utpote ab Apostolorum temporibus remotior, non ejus est ponderis, atque Patrum Antiquorum; & NULLA etiam foret, si forte veterum dictis ADVERSARETUR*. Ex quibus verbis, quam suimet *Mutinensis Theologus* asciam illidat cruribus, liquido constat. Ut nihil dicam de cœnoso, unde *Valdesiana* hæc doctrina hausta est, fonte: Sanctos *Amphilochium*, *Ambrosium* & *Augustinum* a Deipara Virgine Originis noxam expressis verbis excludere jam vidimus antea suo loco. Ex longo autem Patrum cœtu, quos ordine coacervavit *Lampridius* a pag. 181. allegari jam nullus potest (scilicet eorum, a quibus *Valdesii* sententia *Traditio* est deducenda) qui nominatim & expresse affingat adjudicetque Virgini *Originale* Peccatum. Generales enim,

Lib. de utilit. credendi Cap. 17.

Epist. olim 118 nunc autem 54. ad Januar. Cap. V. num. 6.

enim, quas ipse *Lampridius* huc affert, *antiquorum Patrum* sententiæ non plus habent momenti, quam in id rei habeant loca generalia, ex *Scripturis Sacris*, seu *Divinis Eloquiis* decerpta, de quibus nimirum *S. Fulgentius* Ruspensis Episcopus: *Est autem famigliare divinis eloquiis, ut OMNES nonnumquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis OMNIBUS semper intelligi debere commoveant*: id, quod & multis confirmat exemplis, ibidem a se subductis, ac si cui est otium, sane perlustrandis. Unus ergo *S. Bernardus*, qui Patrum omnium Chorum claudit, quique vel solus, vel certe ferme solus, Divam Virginem in Peccato *Adæ* videtur conclusisse, utpote ab Apostolorum temporibus maxime omnium remotissimus, non ea sane auctoritate pollet, ut cum Sanctis *Augustino*, *Ambrosio* & *Amphilochio*, contrarium tradentibus, comparari unquam possit: immo, si *Valdesianam* amplectamur doctrinam, pridem indicatam, illius etiam auctoritas *nulla* heic prorsus est, quippe quod vetustissimorum Patrum sententiis unus ille, atque omnium novissimus hac in re aperte *adverstetur*. Demum, ut omittam reliqua, summopere etiam congruisse dubium non est, ut quæ sola totius gratiæ Fontem & Auctorem Orbi erat exhibitura, præstantioris gratiæ donis ac prærogativis supra omnes in terris alios, quamlibet Sanctissimos, divinitus illustraretur. Tantum abest, ut Mater Domini in peccati fæcibus jaceret tempore, quo primum *concepta* est, ut potius innocentia puram & Sanctitate præventam fuisse nemo jam, nisi per summam injuriam, valeat inficiari. Nihil est itaque, quod eo donatam privilegio negemus Virginem, sive *Rationem* spectes ex congruenti ductam, sive *Patrum dicta antiquissimorum*, a quibus nempe *Valdesio* judice omnis pendet *Traditio*; sive ipsum denique consideres solennem Ecclesiæ Cultum, omnibus Christi Fidelibus jamdiu præceptum, ac longævo plane usu consecratum. In ea autem opinione fallitur, quam qui maxime, *Theologus Mutinensis*, quod existimet *Cultum*, ab Ecclesia decretum & constitutum, non uni esse *Immunitati* deferendum; id quod satque superque nuper confutavimus.

de Incarn. & Grat. ad Petrum Diacon. seu Epist. 17. Cap. 31. n. 62.

Quod est vero ad Votum *Sanguinis*, pro tutela *Piæ* ejusmodi *Sententiæ* profundendi; si paullo ante dicta rite conferantur, spero fore neminem, qui non videat & fateatur, illud jam esse ab *Lampridiana* præcipiti censura, seu alterius cujusque, planissime vindicatum. Adeo verum & inconcus-

sum

sum est, quod posuimus non ita pridem, fundamentum; nempe quum diximus, in Quæstionibus *Morum*, utcunque licet *Incertis* (modo in iis de fugiendo agatur Peccato quamvis levissimo) mortem potius obire corporis, quam animæ detrimentum ullum pati, non solum esse ab omni vitio alienum, sed laudabile etiam valde, atque in merito simul computandum; nemo ut jam sit aut esse possit, qui, nisi dementissimus habeatur, tam stabili fundamento fidere nolit, illique convellendo incassum ausit incumbere atque desudare. In hoc autem firmissimo fundamento universum *Sanguinarii Voti* ædificium, defensionemve inædificavimus satis ineluctabiliter: tum etiam palmare & unicum *Lampridii* fundamentum, ex adverso jactum, ita destruximus subvertimusque facillime, ut spes sit, in posterum a nullo unquam instauratum iri. Heic enim rem esse de *Peccato*, seu Marianæ *Præservationis* controversiam non tam hodie *Speculativam* esse, quam simul etiam *Moralem*, satis supra probatum est. In ejus autem generis Quæstionibus inane prorsus esse *Lampridianum* argumentum, tantopere ostentatum, res est cuilibet, vel mediocriter docto, manifestissima. Tum vero etiam uno eodemque tempore criminationem omnem a *Sanguinario Voto* ita propulsavimus, ut ejus etiam probitatem dignitatemque palam nos ostendisse videamur. Quis enim ultra præ indignatione cum *Lampridio* frontem heic corrugabit? quis non laudi potius, quam vitio vertet ei, qui edito Voto suum impendit sanguinem vitamque profundit pro ejus defensione Sententiæ, cui citra Peccatum obluctari aut dissentire ex antea dictis minime fas est, nullique amplius est liberum? Quin autem Opus, cum divina, tum humana etiam Lege præceptum, materia esse Voti possit, sive cadere sub Votum; nemo unus ambigit. Videatur, si lubet, *S. Thomas* 2. 2. Quæst. 88. Art. 2., & in eum locum *Cajetanus* Commentator gravissimus cum aliis passim. Quemadmodum ergo qui *Continentiam* vovet, etiamsi alias extra legitimum Matrimonium omnibus a Deo præceptam, & laude & coronis dignus censetur, si modo, quod vovit, rite & persolvat vel cum vitæ discrimine; ita & magno in Cœlis præmio donandus, qui *Præservationem* Deiparæ, quam nullus hodieque negare sine *peccato* potest, defensurum se vovet, juratque usque ad sanguinem: utque actus *Castitatis* laudabilior est, magisque meritorius, si ex Voto fiat ob rationes a *S. Thoma* indicatas; sic quoque major illum & laus & merces consequitur,

2. 2. Quæst. cit. 88. Art. 6. §. *Respond. Dicendum &c.*

tur, qui ad tuendum Marianum id genus Privilegium cum sanguinis etiam (ubi opus erit) profusione Voto se se obstringit, quam si vitæ idcirco non parceret, sed sine Voto. Lege & *S. Augustini* Epistolam olim 45., nunc 127. de Continentiæ Voto ad *Armentarium* datam.

Porro, quam id genus Votum defendendæ ad extremum usque spiritum, ad usque ipsam mortem Piæ de *Praeservatione* Sententiæ probetur Viris summis, omnique tum pietatis, tum eruditionis laude cumulatis, ac scriptis etiam editis celeberrimis; ex illo ipso *Johanne Caramuele*, quem *Lampridius* obtorto collo pag. 65. pro se citat, nullo negotio possumus intelligere. Is enim *Carolo Thomasio*, ex Duce Palmæ in Sicilia, Clerico regulari scribens, sui in id animi propensionem disertis hisce profitetur: „ Non solum quamdiu vixero, sed quamdiu fuero, non jam illam (hoc est, *Dei Genitricem Mariam*) bene *natam*, quod Jeremiæ, & Baptistæ, aut forte aliis *commune* fuit; sed etiam bene fuisse *conceptam*, quod in ipsa singulare fuit, etiam TOTO PROFUSO, si occasio detur, SANGUINE propugnabo: „ In hæc si casu aliquo incidit *Lampridius*, quis non eum ad ly *profuso Sanguine* horruisse totum existimabit? Sed qua voluntatis inclinatione in id quoque ipsum propendeat alter vir Summus & spectatissimus, nempe *Henricus Spondanus*, Appamiensis in Gallia Narbonensi Episcopus; jam alibi observavimus. Abs re vero non erit illum heic iterum audire. Postquam enim repentinam cujusdam Monachi, *Paulli* nomine, qui Cracoviæ in suggestum adscendit, orationem ad Populum habiturus adversus Piam Sententiam, mortem meminisset, continuo addit Scriptor piissimus, uti & doctissimus, in hæc verba: *Nos sane pro assertione Immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ Virginis, ejusque propugnatione, paratissimi essemus toties VITAM* (Lampridio tantopere caram & pretiosam) *profundere, quoties contingeret eam in dubium revocari: Idque ex TOTO ANIMO scribimus & profitemur, in ipsissima ejus Festivitate, anno Redemptionis* 1632. An tantus Vir *Fanaticismi*, *Superstitionis*, *Temeritatis*, *Peccati*, ac *Facinoris intolerandi* ad Lampridii mentem & morem arguendus? an ille forsan ipse (si placet Superis) sub crassiore est Cœlo natus? aut nimio devotionis æstu abreptus, studioque partium in transversum actus? Fateor tamen in relatis verbis *Contestationem* potius, quam *Votum*; profundendi Sanguinis contineri; qualem ediderunt plerique alii insignis notæ Theologi, quos nihil attinet commemora-

Tom. 2. *Theol. Regul.* Epist. 43. pag. 255. edit. *Lugdun.* an. 1655.

Tom. I. *Continuat. Annal. Baronii* ad an. 1350. n. 24.

morare; Verum enimvero, ubi nulli est censuræ obnoxia, ubi Pia & Honesta est ejus generis *Contestatio*; Pium quoque & Honestum esse hujusmodi *Votum*, immune item ab omni prorsus invidia, nemo sane non confitebitur.

Inter eos autem bene multos, qui non propositum, non *Contestationem* tantum prodiderunt Piam id genus Sententiam usque ad Sanguinem propugnandi, sed etiam verbis omnium luculentissimis *Vota* Deo in rem istam religiose nuncuparunt, eminet profecto ab humero & sursum, hoc est supra homines ceteros singulatim sumtos, quantumvis doctissimos, ipsa Theologica Facultas Granatensis. Quid sint Christianorum Academiæ, quibus constent viris, doctrina omnino præstantibus, quantoque in honore semper habitæ sint ab justis rerum æstimatoribus; nemo tam rudis, qui id ignoret. *Granatensis* itaque *Academia* annis abhinc centum amplius & triginta, seu jam ab anno 1618. interposita expressi *Voti* religione se feturam spopondit *Immunitatem* Virginis ab macula originali vel cum propriæ etiam vitæ dispendio atque jactura, si occasio quidem se se obtulerit, ac necessitas postulaverit. En Voti, seu Juramenti formulam, ex *Latio* apud *Parthenotimum* Differt. II. *de Piet. in Deiparam* Cap. 5. prostantem. *Insuper VOVEO* (ait Universitas prælaudata) *me perpetuo defensurum Illibatæ Deiparæ Virginis Conceptionem ab originalis peccati labe divinitus præservatam, JURO, solemniterque in manus Rectoris, Domini mei, promitto; & pro hac piissima Veritate SANGUINEM, si oportuerit, profundere, & MORTEM subire non recusabo.* Hoc autem illustri plane Sacramento illigare se se debent, quotquot ea in Academia seu Doctoris seu Magistri laurea donari deinceps avent. Sunt tamen & alii quam plurimi, non minus doctrina, quam pietate insignes Viri, qui tam magnanimo Voto jamdudum subscripserunt, subscribuntque quam libentissime in dies. Nempe Ordo *Equitum de Calatrava* sub annum 1652., alter item *Equitum Sancti Jacobi*, nec non Capitulum ipsum *Metropoliticæ Ecclesiæ Panormitanæ* de anno 1698., de quibus videndus *Parthenotimus* loco citato. Addi huc etiam possunt Regia Civitas *Matriti*, Confraternitas *Jesu Nazareni* Palentiæ, *Tudelæ* Civitas, Equites *Montesiæ*, ac Confraternitas altera *Immaculatæ Conceptionis* nomine, Hispali erecta in Conventu *Sacri Ordinis Prædicatorum*: itemque ex *Lusitanis* anno 1648. Rex ipse *Johannes IV.*, qui in Comitiis Generalibus tam strenuum, ac Rege dignum *Votum* suscepit, omnibus *Lusitaniæ* Magnatibus,

Episcopis & Archiepiscopis omnibus, omnibus Religiosorum Ordinum Superioribus, ac proinde doctioribus præstantioribusque Theologis, summe plaudentibus atque in id consentientibus. Vide sis laudatum *Parthenotimum* Cap. 13. Dissert. 2. num. 248. & seqq. Ego enim ab his copiosius persequendis abstineo, quod mihi animus non sit aut catalogum conficere, aut ex suffragantium numero ullum in rem hanc patrocinium derivare. Quanquam alias & hos ad unum omnes subsannationibus cum *Lampridio* excipere velle, ac vix dupondio æstimare, nescio cujus sit spiritus: certe mortalium audacissimi est. Istorum autem omnium *Votum*, hac de re editum aut in posterum edendum, hoc est ad mortem usque, seu usque ad *Sanguinis* effusionem, tam suapte natura immotum, firmum fixumque perstat, ut nulla hominum suffragatione, alieno nullo indigeat præsidio.

Quod si ex me tandem scire cupis: an qui pro Pia ejusmodi Ecclesiastica Sententia, sane tuenda, vitam daret ac Sanguinem funderet, inter veros, proprieque dictos sit *Martyres* enumerandus? paucis respondeo. Neque enim necesse habeo, te heic detinere multis, quum nihil ego morer, nec me ad arma excitabis, sive tu id affirmes, sive etiam negare malis. Primum ingenue fateor, hac super re Theologos gravissimos, si alicubi unquam, inter se se ordine toto discrepare, nec sane in unam omnes, sed in alias ac diversas pro diverso cujusque palato & affectu abire Sententias: ut videre est apud Emin. *Prosperum Lambertinum*, nunc Christi in terris Vicarium, ac Supremum Sacrorum Antistitem sub BENEDICTI nomine XIV., feliciter in Petri Solio sedentis:

Lib. 3. de Beatif. & Canonizat. SS. Cap. 19. n. 12. & seqq.

Sunt namque *plurimi* (ut testatur Cardinalis *Nidhardus* alias citatus in *Exam. Theol.* Part. 2. §. 8. pag. 453.), *qui cum doctissimo P. Didaeo Granado, & Ægidio Lusitano affirmant, verum fore Martyrem, qui in tormentis moreretur ob protestationem Cultus, ac Sententiæ Immaculatam Conceptionem adstruentis.* Didaco huic, *Nidhardi* sententia *doctissimo*, alter est *Granado* jungendus, *Jacobus* nomine, loco mihi mox citando. Ac ne *Jacobum* istum *Granadum* ullo vix loco numerandum esse cum *Lampridio* existimes; audi *Philippum Alegambe* in Bibliotheca *Scriptorum Societatis Jesu* hæc de illo perhibentem: *Vir fuit omnium, quibus convixit, opinione, Prudentia, Doctrina, Sanctitate maximus, & merito inter prima Societatis Columina numerandus.*

Dein-

Deinde neque illud heic tacebo aut diſſimulabo unquam, recte quidem *Lampridium* pag. 127. monuiſſe, confixam olim fuiſſe ab Apoſtolica Sede, aut verius a *S. Congregatione Indicis* anno 1646. veri ſpem *Martyrii*, a Theophilo Raynaudo factam in Lib. *de Martyrio per Peſtem*, occumbentibus pro tutela Piæ de *Mariana Immunitate* Sententiæ. Tomo enim vigeſimo ejuſdem *Raynaudi* Operum *edit. Lugdun.* de ann. 1665. pag. 156. exſtat re vera *Correctio facta a Congregatione Indicis Libri inſcripti de Martyrio per Peſtem*, hiſce concepta verbis: „ Expungatur id, „ quod author ſcribit: eum futurum *Martyrem*, cui mors „ intentaretur, ni Piam Sententiam de Conceptione B. M. V. „ Immaculata improbaret, iſque mallet mortem potius accep- „ tare eam ob cauſam, & re ipſa eam acciperet. „ Paruit quidem, ut par erat, *Raynaudus*. Ac proinde poſt aliquot annos is curans, ut rurſus typis commendaretur idem Liber, ea prompte expunxit, quæ expungenda voluit Cong. Romana. Scilicet nunc ita habet permiſſu ejuſdem S. Congregationis, ut expreſſe ibidem notatur: *Quamvis certum eſſet, Propoſitionem aliquam non eſſe Eccleſiæ ſuffragio firmatam; eum tamen pro Martyre plurimi habent Doctores* (olim vero ita legebatur; *eum tamen ego pro Martyre haberem*), *qui renueret talem Propoſitionem ſuffigere, ne vel contra conſcientiam ageret, qua cenſeret Propoſitionem illam veritate ſubniti, vel Pietati, quam aſſertione illius Propoſitionis promovendam arbitraretur, quoquo modo incommodaret; & ſic renuens, mortem ex ea cauſa exciperet, mallens de vita, quam de Pietate periclitari. Tradunt expreſſe hanc doctrinam, & qui moreretur ad eum modum fore VERUM MARTYREM, agnoſcunt Suarez &c. Jacobus Granado Lib. de Concept. Immacul. Cap. 31., Ægidius a Præſentatione, nec non Alvarus Piſana de Palacios* &c. &c. Nihil autem inſignium iſtorum opinioni Theologorum nocet, quod *Raynaudus* laudatæ Congregationis Decreto ſuum continere judicium juſſus fuerit: immo nec aliis nocere poteſt, qui nunc idem cum illis ſentirent. Recole ſortem (proderit unum e multis hoc loco exemplum memoraſſe), quæ obtigit elapſo Sæculo XVII. illuſtri Scriptori Florentino, Patavii olim Matheſeos Profeſſori celeberrimo, nimirum *Galilæo Galilæi*. Quem enim fugit, Mathematicum adeo doctum, tantaque famæ celebratione notiſſimum, ob aſſertam a ſe, typiſque traditam *Nicolai Copernici* hypotheſin de diurno annuoque circa Solem immobilem Telluris motu, a Fidei Quæſitoribus Romam olim evocatum, ac palinodiam pu- Tom. XVIII. *de Martyr. per Peſt.* Part. 1. Cap. 3. n. 13. pag. 431.

blicitus canere jussum fuisse? Tantundem autem *Raynaudo* sane non accidit. Attamen hæc *Galilæi* sors nunquid *Copernicanæ hypothesi* ita nocuit, ut deterritus *Lampridius* aut non conscriberet, aut quam pro illa conscripsit Apologiam, in vulgus ipse non emitteret? Certe apud ipsum sub *Lamindi Pritanii* nomine inter alia bene multa, quæ eo loci videri possunt, hæc leguntur:

Lib. I de Ingenior. moderat. Cap. 22. sub init.

„ Quamquam neque in Physica, neque in Astronomia quidquam „ certi habeamus de Telluris motu, attamen eam Sententiam „ NONDUM Ecclesia, aut Apostolica Sedes DAMNAVIT, „ neque pro hæreticis reapse habet tot eruditos viros, aut „ clam aut aperte eam amplexos, sive olim, sive duobus „ proxime præteritis Sæculis. „ Si *Ecclesia aut Apostolica Sedes* Copernici Sententiam, *Pritanio* judice, *nondum damnavit*, etiamsi illam *Galilæus* publice ejurare Romæ coactus fuerit: qua nunc fronte idem ipse mutato in *Lampridium* nomine, ex *Raynaudi* forte pag. 128. ac seq. colligit, scribitque *Martyrii tam proprii, quam improprii nomen pro hac caussa occumbentibus NEGASSE sacram Congregationem*, immo etiam *profusionem Vitæ in casu isto IMPROBASSE*? Caussidicorum, seu rabularum hæc non imitanda ars est, ut caussæ serviant, quam suscepissent, omnia vel tegere vel negare, quæ noxia sunt, falsa venditare pro veris, multa Legibus, multaque monumentis vel addere vel detrahere, uti libitum fuerit. Alioqui *Raynaudo* imperare, ut quam ipse fecit, *Martyrii* sponsionem morientibus pro Immunitate Mariana eraderet suo ex opere nuper relato, intactis interim nec deletis aliorum Doctorum placitis, quos ipse hac in re sequutus est, quique idem omnino antea pollicebantur: an, quæso, isthuc argumento est, *Apostolicam Sedem* illos omnes in uno *Raynaudo* silere jussisse, aut illorum hac de re doctrinam ullo modo damnasse?

Sed est & aliud, antequam hinc ego abeam, sedulo heic a Lectoribus animadvertendum. Nempe quam immerito *Lampridius* ea, quæ in *Raynaudum* de solo *Martyrio* Romana statuit Congregatio, ad ipsum quoque transferat *Votum*; contra aut præter ejusdem Congregationis mentem, plane dissertissimam. Id enim aperte *Lampridius* indicat cit. pag. 128., ubi ita loquitur: *Quod si ita sensit sacra Congregatio de secundo casu* (hoc est, quum quis ad mortem usque depugnat, ne Piam damnet de *Præservatione* Sententiam), *quanto magis eadem improbarit Voto Sanguinario devotos*? Eadem aliis verbis confirmat

firmat

firmat & paulo post: *Immo* (inquit) *ipsa Congregatio profusionem Vitæ in casu isto improbasse videtur*, ubi scilicet non modo pro non *damnanda*, sed pro *defendenda* etiam Pia id genus Sententia, uti Vera, Vitam quis vovet se daturum aut Sanguinem. Ast multo pejora *Pritanius*. Is enim non de *Martyrio*, sed de *Voto* agens, dicere non dubitavit: „ Non unus autem ego in hoc VOTO profundendæ Vitæ pro Immaculata Conceptione Virginis Superstitionem timeo. Timuit & timet Apostolica Sedes, quæ quamvis eamdem Opinionem maxime verisimilem & Piam ducat; nihilominus hujusmodi VOTUM in Theophilo Raynaudo olim non probavit, ipsumque affirmantem pro ea caussa PIUM esse MORI, silere jussit. „ Verum, si in utroque, cum in *Pritanio*, tum etiam in *Lampridio*, fidem ego heic desiderem; quis me culpabit, rogo? Ecquando enim *sacra Romana Congregatio* (ut contendit *Lampridius*) suo illo in *Raynaudum* Decreto lato, seu quovis altero ejus generis, aut *Vitæ profusionem improbavit* aut *Vota Sanguinaria Devotos*, pro Conceptu videlicet Deiparæ asserendo, nullo labis afflatu unquam temerato? Ecquando (ut *Pritanius* quidem somniat) ecquando in ejusmodi Voto *Sedes Apostolica* Superstitionem aut timuit unquam, aut nunc quoque timet? Nunquid, quia id genus *Votum in Theophilo Raynaudo* ipsa *non probavit*? aut quia *Raynaudum* affirmantem, pro hac caussa *pium esse mori*, silere ipsa jussit? Ita quidem *Pritanius* mox laudatus. At meminisse oportebat, *Raynaudum* neque toto illo Opere *de Martyr. per Pestem*, neque usquam alibi verbum fecisse ullum de ejuscemodi *Voto*. Quei ergo istud *non probare* in illo potuit *Apostolica Sedes*? Deinde, quæ Sacra Congregatio in eo *non probavit*, pauca hæc verba sunt: *Eum tamen ego pro Martyre haberem*. Hæc Congregatio jussit expungi: in quorum locum, ejusdem permissu, ista suffecta sunt: *Eum tamen pro Martyre plurimi habent Doctores*, ut jam supra innuimus. Non probavit igitur *Martyrii* nomen aut rem, uti a *Raynaudo* sponsore ingestam; non vero *Votum* reprobavit unquam, quod ne attigit quidem: immo nec eandem *Martyrii* fiduciam reprobavit, uti ex aliis Doctoribus, & plurimis & gravissimis, derivatam. Ubinam ergo *Apostolicæ Sedi* in mentem venire potuit, in *Raynaudo* ejusmodi *Votum* non probare? vel quibus tabulis, quibus, rogo, rationum momentis comprobari potest, ipsi *Raynaudo* affirmanti, hanc ob caussam *Pium* & honestum *esse mori* (ut est sane), silentium ab eadem *Petri* Sede indictum fuisse?

Lib. II. de Ingen. modr. Cap. 6. pag. mihi 138 col. 2.

Præ-

Præterea *Lampridius* (quod prætereundum non est) non solum pag. 129. falso ait Sacram Indicis Congregationem in uno Raynaudo *profusionem Vitæ improbasse*, verum etiam eandem & ipsum (quis crederet ?) *Raynaudum* jam *damnasse* præfidenter dicit. Quam in rem sequentia ex illo verba describit loc. a nobis non semel cit., id est ex Lib. *de Martyr. per Pestem* Part. 2. Cap. 3. num. 18., ubi Eximius Auctor inquit : *In posteriore dubio statuendum est : Vitam temere, nec absque SCELERE, atque adeo sine Martyrii fructibus abjiciendam pro assertione alicujus Propositionis, cujus Veritas non sit in Ecclesia prorsus rata, ita ut non sit exploratum, quod ejus assensus a FIDE edicatur*. Heic quidem *Lampridius* substitit, ac reliqua *Raynaudi* verba, quæ ibidem mox sequuntur, de industria occultavit. Tum ad *Parthenotimum* conversus, ita nectit : „ Nisi *Parthenotimus*, aut „ quisquam alius evincat, Scotisticæ (dixisset verius, *Piæ* „ *atque Ecclesiasticæ*) Sententiæ *Veritatem* esse in Ecclesia Dei „ adeo *ratam & exploratam, ut ejus assensus a Fide exigatur* : habet ille tandem tum a *Sacra Congregatione*, tum a Raymundo (seu potius ut legendum censeo) a *Raynaudo* ipso non „ solum *Martyrii* spem Sanguinario Voto ereptam, sed etiam „ ipsius Sanguinarii Voti damnationem. „ Mirum, quanta confidentia *Lampridius* in cassum laboret, atque ædificet in nubibus! Nam ad *Sacram* quod spectat *Congregationem* ; satis abunde dictum est supra. Quod vero est ad *Raynaudum* ; tantum abest, ut ipse Votum Sanguinarium *damnasse* dicendus sit, ut potius ne ipsam quidem *Martyrii* coronam Sanguinario Voto unquam denegaverit. Audiamus integram *Raynaudi* Sententiam. Post illa enim ex *Lampridio* superius recitata verba, ita statim *Raynaudus*, nullis aliis interpositis, subjungit : *Optime tamen faceret, qui Sanguinem profundere decerneret potius, quam in animum induceret, damnare Propositionem, de qua ambigeret, sit ne ex Fide tenenda : & mors eam ob causam acceptata, verum ac proprium MARTYRIUM censenda esset. Imo quamvis certum esset, Propositionem aliquam non esse Ecclesiæ suffragio firmatam, eum tamen pro MARTYRE plurimi habent Doctores, qui renueret* & cetera, quæ pridem ex illo Lectorum oculis jam fideliter subjecimus. Paria idem *Raynaudus* & in Opusc. *de retinendo titulo Immac. Concept.* Tom. VII. Operum pag. 313., cujus hæc sunt verba : „ Veritas Conceptionis *Immaculatæ*, & nitoris ejus a labe „ parentali, ubi quamvis *non* sit *Certa* ex FIDE, tamen apud „ Viros perdoctos eo est in loco, ut non dubitaverint af-

„ fir-

„ firmare, qui pro ejus Veritatis Pietate mortem oppetie-
„ rit, contestatus malle se vita excedere, quam negare
„ Piam esse assertionem Conceptionis *Immaculatæ*, veris MAR-
„ TYRIBUS esse annumerandum. „ Qui talia de iis scribit,
qui vel sine *Voto* (de quo ne mentio quidem) pro *ejus Veritatis Pietate*, hoc est pro non damnanda, non neganda, non suffigenda Pia de Virgineo *Intemerato* Conceptu Sententia, vitam darent & sanguinem: quæso, jure ne, an injuria, non solum ille *Martyrii* laudem ita morientibus eripuisse, sed ipsam etiam Vitæ profusionem aut ipsum *Votum* fundendi hac de caussa sanguinis jam damnasse improbasseque dicendus est? Profecto *Lampridius* si locum *Raynandi* integrum dedisset, si nihil mutilasset, nihil pro suo ingenio suppressisset, tam turpiter nunquam fuisset lapsus, ut inter *Martyrii* simul ac *Voti Sanguinolenti* irrisores damnatoresque *Raynaudum* & ipsum per summam injuriam recenseret. In re tam obvia non eum falli potuisse, sed Lectores fallere voluisse quis non merito suspicabitur?

Ad propositam *Martyrii* quæstionem jam redeo: in qua equidem ita versor, ut ego homuncio in hac controversia assidere tanquam judex non ausim, de alterutra parte nihil statuam, nihil ego definiam. Unum mihi ex dictis pro certo est, nec *Raynaudum* a sua Sententia, qua *Martyrio* olim maxime est suffragatus (quod constet saltem), recessisse unquam, nec *Sacram Congregationem* aut *Sedem Apostolicam* memorato nuper Decreto adfirmantium Opinionem aut reprobasse, aut ullum omnino damnum eidem adtulisse. Alterum præterea est, cuivis haud minus compertissimum atque extra dubitationem positum, videlicet quæstionem de *Sanguinario Voto* non ita esse cum *Martyrii* quæstione colligatam, ut alteram ab altera separare nequeas, aut *Martyrio* ruente *Votum* pariter ruere arbitrari jure possis. Palam id fassus est vel ipse *Laurentius de Portel* Lusitanus, ex Ordine Seraphici *D. Francisci* Theologus haud ignobilis, qui etsi *Martyrii* laureolam deneget mortem subeuntibus pro nitela seu candore *Conceptionis Deiparæ*, eos tamen aperte affirmat non modo non culpabiles, sed etiam præmio ac laude fore quam dignissimos; quippe quod ii (inquit) morerentur *pro actu pio, religioso, & actu, qui alias esset actus Virtutis*. Quid plura? *Lampridius* & ipse huic veritati subscripsit, quum loco cit. pag. 128. ait: *In postremo casu* (nempe quum agitur de non improbanda ac damnanda *Immu-*

In dubiis Regularium verb. Conceptio, num. 7.

Immunitatis Marianæ Sententia), *ut infra dicam* (Capite scilicet sui Operis XVII. immediate sequenti) *HONESTUM fuerit mortem potius tolerare, quam notam Impietatis aut Falsitatis impingere eidem Sententiæ.* Qui autem sit *Lampridius*, quamque a *Martyrio* iis concedendo, qui hac de caussa Vitam impenderent, alieno; latere potest neminem, modo vel de nomine *Lampridium* noverit, ejusque Librum vel summis, ut dicitur, labris degustaverit. [Propterea eodem loci haud cunctanter subdit, *Martyrii tam proprii, quam improprii nomen pro hac caussa occumbentibus* eripiendum esse: *Neque*, ut addit, *immerito*. Et sane, quod sufficit ad effusionem sanguinis cohonestandam, non continuo & ad *Martyrium* deferendum sat est. Exemplo sit mendacium *Officiosum*: ad quod vitandum procul dubio *Pium* & *Honestum* est Vitam profundere. At necdum, quod ego sciam, plene constat, eum, qui ne *officiose* mentiatur, mortem obiret, *Martyrum* esse catalogo inscribendum. Lege *Cajetanum* in 2. 2. Quæst. 124. Art. 5. Tum vero & illud hoc loco adtexendum, riteque ab omnibus observandum velim, perperam omnino *Valdesium* facere, dum pag. 209. in eandem rem Eminentissimum quoque *Lambertinum* effert, ac inter suos annumerare minime timet. Quæ enim ibidem *Valdesius* ex inclyto Auctore descripsit verba, non ejus profecto sunt, sed *Hurtadi*, *Capisucci* & aliorum, neganti de *Martyrio* Opinioni adstipulantium, quorum & argumenta omnia eo loco percensct Scriptor vere Eminentissimus; sicut ante fecerat, quum & Auctores laudaret & illorum momenta perpenderet, qui ex adverso stant ac pro affirmante pugnant. Relatis itaque cum Auctoribus, tum rationum momentis, pro utraque parte militantibus, hanc tandem doctissimus Cardinalis Sententiam dixit, plane sapientissimam: *Veruntamen quidquid sit de hac controversia* (sit ne, an non, dicendus *Martyr*, qui Sanguinem funderet pro tuenda Deiparæ *Immunitate* a peccato Originali), *quam Sapientiorum JUDICIO definiendam relinquimus, tutam omnino dicimus in aliis casibus regulam, quod moriens pro quæstione adhuc ab Ecclesia non definita, non moritur pro causa, quæ ad Martyrium sufficiat.* Hæc *Lambertinus*, nunc Pontifex Maximus, dum Sacra adhuc erat Purpura insignitus, ac scientia Divinarum rerum nemini plane secundus. Is autem tanta eruditione, tantaque seu dignitate seu auctoritate Vir, non modo verbum nullum protulit adversus obitæ mortis *Honestatem* pro primævo Virginis Candore asserendo; verum etiam, an inter

cit. Lib. 1. de *Servor. Dei* C. canonizat. Cap. 19. n. 15.

Mar-

Martyres numerandus sit, qui eam ob caussam mortem oppeteret, *Sapientiorum judicio definiendum reliquit*; raro utique exemplo, nec laudando unquam satis. Ejus si ego judicium amplexer, si deosculer, si Prudentiam imiter, ut sane oportet: an non ego, rei difficultate deterritus, atque in tanto constitutus discrimine aut prodendæ aut amittendæ Veritatis, eum saltem (utcunque in posterum cesserit alea) fructum colligo quam certissimum, Prudentiæ scilicet non violatæ, nec conculcatæ unquam justæ Christianæque Moderationis? O utinam eandem animi moderationem, non a me, qui homo sum nihili, sed a tanto Viro, cujusmodi *Lambertinus* plane est, sive *Lampridius*, sive *Valdesius* [ille olim præclarus *Ingeniorum* Moderator] didicisset! Nunquam enim, arrepta Magistrali Virga, tam præcipitanter, tam contumeliose hoc in argumento versatus fuisset, ut suæ eum audaciæ non solum pigere, sed pudere etiam debuisset, nedum potuisset.

Sed nos tempus est hujusce Dissertationis, in *Theologum Mutinensem* susceptæ, facere finem, & cum Apostolo ad *Rom.* XIV. 19. ingeminare: *Quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus*. Primo igitur, (ut summatim complectar omnia) *Mutinensi Theologo* libentissime concedimus, Viro alioqui cum primis docto & erudito, ac magni etiam nominis & famæ, Piam de *Immaculata Conceptione* Sententiam necdum esse Veritatibus *Fidei Divinæ* æquiparandam, seu reapse nondum esse inter *Fidei* Dogmata, creditu ad Salutem necessaria, connumeratam. Neque enim me fugit, modum heic quoque, ut ubique ac semper, servandum esse; nimirum ne unquam excedamus mensuram Fidei. *Quæ quidem mensura* (ut recte *Durandus a Sancto Porciano* Meldensis Episcopus in *Prologo* Sententiarum) *in duobus consistit, videlicet, ut non subtrahatur Fidei, quod sub Fide est, nec attribuatur Fidei illud, quod sub Fide non est: Utroque enim modo mensura Fidei exceditur, & a continentia Sacræ Scripturæ, quæ Fidei mensuram exprimit, deviatur*. Hinc, quia etiamnum hac de re pendet decretorium Ecclesiæ Judicium, absit, ut qui oppositæ adhærescunt Opinioni, tametsi ex hominum cœtu jam ejectæ, *hæreseos* unquam insimulentur a nobis. Plane in eos, qui id auderent facere, illa *S. Gregorii M.* verba non convenire non possunt ajentis: Qui *imperito zelo succenduntur, & homines Catholicissimos quasi hæreticos insequuntur, Hæreses ipsi faciunt*. Sententias namque suas, quæ certissime de *Fide* non

Lib. XI. *Registri* Epist. 45. *ad Theoctistam Patriciam*, alias Epist. 30. Lib. 5. *sub fin.*

T t sunt,

sunt, pertinaciter volunt esse de *Fide*. Atqui *non minus* (aliquo sensu) *est Hæresis asserere* pertinaciter *aliquid esse de Fide, quod non est de Fide, quam negare aliquid esse de Fide, quod est de Fide*, ut non inscite *Major* in 3. Sent. Dist. 37. Quæst. 26.

Secundo: demonstravi etiam hactenus oppido evidenter, id genus Sententiam de *Intemerato* Virginis *Conceptu* tam hodie Veram esse Certamque, quam sunt Veræ Certæque ejus generis aliæ, hoc est illæ Ecclesiasticæ Piæque Sententiæ tum *Nativitatis Sanctæ*, tum *Corporalis* ejusdem Divæ Matris in Cœlum *Assumtionis*. *Quis* enim (ut cum *Augustino* loquar) *quis huic evidentiæ contradicet, nisi quem plus delectat defensare quod sentit, quam quid sentiendum sit, invenire?* Non modici hercle est scandali, post illatam Piæ huic de *Præservatione* Sententiæ tantam lucem, iterum eandem a *Mutinensi Theologo* in dubium verti, quæri ab se offucias, ac tentari ab eo *per meram Logomachiam* (ut vere concinneque *Raynaudus* in Tract. *de Piet. Lugdunen.* pag. 309.) *Hiericunthem*, *Sacerdotalibus* tubis jam eversam, instaurare. Tertio: Ecclesia non modo non repugnat, sed etiam ad Pium hunc Sensum, quod scilicet B. Virgo sine omni fuerit *Originis* labe concepta, collatis ex Christi ærario Indulgentiis sane invitat, nullumque esse in Pio hoc Sensu erroris practici periculum jam dudum admonet: immo & contrarium *asserentes* Ecclesiastico percellit fulmine; ut ex Decreto *Sixti IV.* liquet, & aliorum Pontificum, qui *Sixto* successerant. Certe *non video*, ut scitissime idem *Raynaudus* (locum non recordor) *non video, qua pateat effugium, vel quo munimento impetus moralis istius demonstrationis declinari a quoquam sufficienter possit*. Quarto: non solum Ecclesia invitat, verum etiam jamdiu præcipit, ut idem sentiamus omnes, dum ipsa diserte præcipit, ut unam colamus omnes *Immunitatem*, seu ut omnes celebremus *Conceptionem* Virginis, uti *Immaculatam*. Qua de re jam omnia *Lampridii* & *Valdesii* effugia præoccupavimus suis locis; nulla ut amplius quæstio redire mihi posse videatur. Taceo, Adversarios ab eadem Ecclesia omnino silere jussos fuisse, illorumque Opinionem seu publicis, seu privatis hominum sermonibus quibuslibet exulare coactam, ut intelligas, quo loco ea Opinio habenda sit, cui ejusmodi silentium Ecclesia imposuit. Postremo: ex hoc *Immunitatis* Cultu, omnibus Christi Fidelibus ab Ecclesia præcepto, conficitur sane, eum, qui non paret, qui *Marianæ Conceptionis* Festum alia sub intentione celebrat, quam *Præservatio-*

Lib. 2. de peccator. merit. & remiss. Cap. 10.

vatio-

vationis, sine dubitatione peccaturum. Nam violat Ecclesiæ præceptum, idque ille facit, quod & moribus & Ecclesiæ legibus plane non licet. Ac proinde simul conficitur (argumentando scilicet, aut potius *sentiendo*, non *asserendo*; ut Ecclesiæ vetanti obtemperem) conficitur, inquam, ne illum quidem *Peccati* expertem fore, qui nunc vel intimis cordibus teneret Virginem in Peccato conceptam. Ex quo demum & illud consequitur, Quæstionem de *Immoxio* ejusdem Virginis *Conceptu* non tam hodie *Speculativam esse*, quam in *Moralem* etiam transiisse: atque ideo nihil prorsus esse, quo Votum Sanguinarium, tantopere *Doctori Mutinensi* exosum, aut injucundum, *imprudentiæ*, *stultitiæ*, *Superstitionis* cum illo insimulari jure possit.

Hæc a me perstricta sunt breviter, quæ longius supra in *Lampridium* differendo confeci, ut uno ferme intuitu facilique negotio intelligeres, non modo quam inconsiderate & indecore Auctor iste *Sanguinarium Votum* insectatus fuerit, sed etiam quam veris firmisque rationibus hujusmodi Voti *Honestas* innixa plane sit, atque extra omnem deinceps vitilitigationem asserta. Hujus de *honestate* satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat inficias, nempe *Lampridium* in eo præposteře scrupulosum aut suspiciosum extitisse, quod existimet ac præfidenter scribat, id genus Votum *Temeritatis*, *Peccati*, *Sceleris*, *Fanaticismi*, *Superstitionis* esse redarguendum. Sed profecto toto cœlo aberrat. Quam enim ille *Superstitionem* heic timet, immo quam sibi visus est jam deprehendisse ac demonstrasse omnibus, rectius ego *Superstitiosam Timiditatem* dixero, scilicet cum *S. Augustino*, in Tituli fronte istarum Vindiciarum jam laudato, quum ad rem ipse ait perquam apposite: „ Sensi sæpe dolens & gemens, „ multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam Fratrum *contentiosam* obstinationem, vel *Superstitiosam Timiditatem*, „ qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ Traditione .... ad „ certum possunt terminum pervenire (tantum quia subest „ *qualiscumque ratiocinatio* cogitantis, aut quia in sua Patria „ *sic ipse consuevit* ....) tam *litigiosas* excitant *quæstiones*, ut nisi quod ipsi faciunt, *nihil rectum* existiment. „ Quis non hanc *Augustino* dignam sententiam quam optime in *Lampridium* ejusque Opus congruere, de *Superstitione vitanda* nuncupatum, simul & Titulum, quem illi e regione opponam, quam aptissimum mihi revincenti suppeditasse dicet? Atque hinc non aliis sane est opus, ut constet, quam inepte, (quam abso-

Epist. ad Januar. olim 119. nunc 54. Cap. 2. num. 3.

ne *Lampridius* pag. 211. de *Joanne Baptista Thiercio*, Doctore Gallico, miratus sit, quod in spisso suo Opere, duobus Tomis comprehenso, deque *Superstitionibus* inscripto, ac Parisiis edito ann. 1679., insalutatum prorsus dimiserit argumentum istud, nullamque ejus rei mentionem uspiam ingesserit. Plane, ideo nusquam ejus meminit Vir, ut erat, summa ingenii & eruditionis praeditus gloria, quia nullam omnino *Superstitionis* labem ipse praesensit, memoraturus utique, si praesensisset. Forte etiam ipse, ab *Augustino* praelaudato edoctus, inter *Superstitiones* accensere Votum istud prudentissime renuit, ne quis par pari referens, *Superstitiosa* & ipsum (ut nunc *Lampridio* evenit) *Timiditatis* incusaret. Certe gloriosum istud munus *Theologo Mutinensi* servabatur, qui omnium primus & unicus id genus Votum tanta confidentia tantoque impetu ac fragore tanto, ceu ferale, *Superstitiosum*, minimeque inter Christianos ferendum audacissime suggillavit.

Monitos hinc ego volo *Lampridii* Lectores, qua illos, ad quorum manus nondum fortasse ejus Opus pervenit, qua etiam illos, qui jandudum illud evolverunt, ne sinant sibi imponi tum claritate nominis, tum ejusdem grandiloquentia. Quid enim favor non possit, quid dicentis dignitas, quid ars seu vis eloquentiae; nemo mediocriter doctus ignorat. Utrosque igitur moneo & obsecro, sive qui *Lampridium* legerunt, sive qui lecturi sunt, ut diligenter adtendant, ut singulare genus fraudis, & novam rationem insidiarum, ad quas ille hoc in argumento suam versavit mentem, & nos jam supra recensuimus, cognoscere possint. Omnia pene in *Lampridio* sunt ejusmodi, quivis ut perspicere possit (si modo velit) in hac caussa improbitatem & gratiam cum inopia & veritate contendere. Sed quid ajo? Nunquid omnia in eloquentia sunt, in nominis claritate, in improbitate & gratia? non puto. Est quaedam enim ita perspicua veritas, cujusmodi illa est, de qua nunc egimus, ut eam infirmare nulla res possit. Monendos tamen mihi esse Lectores operae pretium duxi, ut sepositis praejudiciis hisce nihil gratiae, nihil dignitati, nihil amicitiae, nihil denique aut eloquentiae aut caecae aemulationi tribuant; modo quam optant, veritatem (ut unice optare debent) velint invenire. Ceterum, quisquis es, qui lecto *Lampridio*, in ejus jam partes convolasti; inficiare, si potes (modo ista uno Veritatis amore ductus tranquille & placide legeris) inficiare, inquam, si potes, quin ille tibi verba dederit, fucum egregie fece-

fecerit, teque longius abduxerit a Veritate. Hanc a te unice diligi, hanc quæri, hanc anteferri debere omnibus, sane dabis. Quid igitur? Rogatum te velim, ut præconceptam tantisper opinionem seponas, ut rectius & accuratius rem expendas, ac præclarum illud tecum repetes *S. Hieronymi* monitum, ad *Ruffinum* scribentis: *Melius est te pœnitere facti tui, quam semel deceptum in errore persistere. Nec erubescas de commutatione sententiæ: non es tantæ authoritatis & famæ, ut errasse te pudeat.* Qui sic monet, qui *Hieronymi* verbis supplex te orat; non comparat se cum *Lampridio* dicendi copia, non ingenii opibus, non eruditione, non claritate, non gloria: omnes id genus artes, quibus is vere Magnus est, libenter illi concedit. Fatetur nullius se nominis esse, non se belle dicere, non ad ejus suique similium voluntatem loqui posse: contra, sibi officium, fidem, veritatem semper cordi fuisse. Quid ergo est? An ille dominetur pacifice, qui relicta bonorum ac doctiorum omnium disciplina eos sequi maluit, qui in versandis Ecclesiæ Opinionibus, summe Piis & quam optime constitutis, audacia, ne dicam perfidia, concedunt nemini? Sane cogor rursus dicere: ex dictis, factis cogitatisque *Lampridii*, superius a nobis summa fide collectis & patefactis, non potes non intelligere, istum nihil aliud egisse, nisi ut obtentu *Sanguinarii Voti*, ex hominum communitate exterminandi, per vim, per injuriam, per iniquitatem judicii *Marianæ Præservationis* Privilegium, ab Ecclesia jamdiu agnitum atque receptum, de loco trudere atque evertere possit. Sed omnino frustra. Nunquam enim hæc Sententia de possessione deturbabitur, e loco nunquam dejicietur, aut ullius judicio, dummodo is sit aliquid, nunquam revincetur. Heic tu tabulas desideras. At quas, rogo, tabulas? Est ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere; quærere quæ habere non possumus. Habes disertissima veterum Patrum testimonia, habes Conciliorum suffragia, habes consensum Populorum, doctissimos quosque habes Theologos, Academias quoque habes ad unam omnes, habes Episcopos Sanctissimos, habes Romanos Pontifices, habes verbo Ecclesiam universam: & adhuc tabulas desideras? adhuc de Virginis *Præservatione* dubitas? Nihil dico amplius: caussa jam dicta est.

Lib. 1. Apologiæ contra Ruffinum, num. 10.

Unum restat, quod ob pacis amorem commemorari arbitror oportere. Videlicet, si qui sunt, qui de *honestate* Voti,

ti, hucusque a me propugnati, non de ipsa Deiparæ *Immunitate*, etiamnum dubitant; eos in suo sensu abundare plane sino, neque ullum iis idcirco facesso negotium. Sentiant illi aliter, si velint: nobis quidem videtur magnopere in eo laborandum non esse, ut omnes in nostram concedant sententiam. Quis enim laboret, ut consequatur, quod sperare non licet? Interea vero necessum est, ut a quavis acriori censura, quam alioqui ejusmodi *Voto* & præfidenter & abundanter inflixit *Theologus Mutinensis*, illi abstineant, atque a consimili in posterum ferenda sibi omnino temperent. Sic salva inter dissidentes caritate, res erit omnis composita, simul atque ingrediemur utrique veritatis viam, quin unus in alterum præcipiti (quod absit) judicio excandescens, aut caritatem lædat unquam, aut deflectat a veritate. Sapientissime proin *S. Augustinus* de id genus caussis, ad *Mores* spectantibus, nec de *Fide* certis: *Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipue in Christi pace permaneant: faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum*. Reliquum porro est, ut quæ scripsi hactenus, aut deinceps scribam, omnia a me Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque Judicio submissa esse profitear. Sinceram hanc animi testationem, ut decet, sane obsequentissime, non meis, sed *S. Bernardi* verbis consignabo: „ Quæ autem dixi; absque præjudicio sane „ dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ au„ thoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ „ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sa„ pio, paratus judicio emendare. „ Sic Doctor mellifluus, primusque *Claraevallensis Cœnobii* Abbas Sanctissimus, suam claudit Epistolam 174. hac ipsa de re olim datam; quocum & ego, finem & huic Capiti, & toti lucubrationi nostræ imponens, idem prorsus, totidemque verbis ex intimo cordis assero, confirmo atque pronuntio, ad laudem OMNIPOTENTIS DEI, ac Beatissimæ MARIÆ Virginis SINE LABE CONCEPTÆ. Pro qua quidem singulari *Divæ Matris* prærogativa tuenda, uti ab omni *Originis* nævo sane Immunis, si etiam mihi Vita ponenda esset, præclare mecum actum putarem: quandoquidem in eam gloriosissimam Virginem, ac Genitricem Dei, *quidquid honoris* (ut vere Serry *Exercit. 66. n. 8.*, de *Mariana Assumtione* loquens) *quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid demum est gloriæ, cumulatissime a CHRISTO DOMINO profusum est*. Atque propius rectiusque ad rem, qua de nunc sa-

tis

cit. Epist. ad Januar. seu Cap. 3. n. 4.

tis est actum: cum *Petro* Abbate Cellensi *Epist.* 23. *Libri VI.*, de ipsamet Deiparæ *Conceptione* differente, ac *D. Bernardum* ab obtrectationibus *Nicolai Monachi S. Albani* strenue vindicante, paucis hisce extremam apponam manum, sic universa concludendo: *Cataractas cœli, & fontes abyssi libentius in obsequium VIRGINIS solverem, quam clauderem. Et si Filius ejus JESUS aliquid omisisset in prærogativa exaltationis suæ MATRIS, ego servus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem. Mallem certe non habere linguam, quam aliquid dicere contra DOMINAM nostram. Ante eligerem, non habere animam, quam vellem ejus extenuare gloriam.* Ita plane ex animi sententia, intimisque præcordiis dixi *Calendis Februarii* Anno Reparationis nostræ Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Primo.

in Bibl. vet. Max. Patrum Tom. 23. fol. 879.

APPEN-

APPENDICULA.

I. DIctum a nobis est supra *Cap. IV.* pag. 35. *Pothonem Trumiensem* Presbyterum, *S. Bernardo* coævum, Lib. 3. *de Statu Domus Dei* adversus Monachos quosdam declamasse, quod privata nec sat prudenti pietate novas aliquot Celebritates, antiquis non compertas Patribus, instituerint; ut puta *SS. Trinitatis*, *Transfigurationis Domini*, nec non *Conceptionis S. Mariæ* Virginis. Ejus Presbyteri & Monachi verba quam fideliter transcribit *Natalis Alexander* in *Hist. Eccl.* Sæcul. XI & XII. Cap. 6. Art. X. §. 2. *in fine*, ubi a Lectore, illorum cupido, videri possunt. Ne quis autem hinc ansam arripiat calumniandi ac dicendi, *Trumiensem* Monachum eatenus contra *Marianæ Conceptionis* Festum declamasse, quatenus animo ipse remotus quam longissime erat a *Virgineæ* Sententia *Præservationis*; lubet heic ob oculos sistere id ipsum, quod statim post recitata *Pothonis* verba scitissime ad rem subdit ipsissimus *Natalis ab Alexandro* loco mox relato. Inquit enim ibidem: *Non negabat vir pius & eruditus, Festa S. Trinitati, Christo transfigurato, Virgini Deiparæ CONCEPTÆ, ab Ecclesia posse institui* (multo minus inficiabatur religioso ea Cultu digna esse unquam); *sed expectandam censebat Romani Pontificis aut Concilii jussionem ac Decretum* (quale profecto a *Sixti IV.* temporibus illuxit nobis); *idque Monachos*, utpote Pontificum & Conciliorum decreta antevertentes, *imprudenti ac præcipiti devotione usurpare*. Ex quibus patet, *Trumiensem* hunc Monachum, teste *Natali Alex.*, illorum numero, qui olim *Immaculato* Virginis *Conceptui* impune sunt refragati, neutiquam esse accensendum.

II. *Pag.* 84. in *Nota Cap. VIII.* ex *Theologi Mutinensis* Opere: *Della regolata Divozione de Cristiani*, audivimus obtrudi nobis, quoddam de *Immaculata Conceptione* Officium nuperrime a *Benedicto XIV.* fuisse proscriptum. Quod ibi omissum, heic suppleo. Videlicet, Officium, quod hodiernus SS. Pontifex, seu potius *S. Romana & Universalis Inquisitio* prohibendum nuper censuit, illud est, quod *Neapoli* recusum anno 1742., ex novis Hymnis, Orationibus & Psalmis, hactenus incognitis & nusquam antehac visis, totum compactum est. Jure proin id Officii genus de Fidelium manibus dejecit *Sacra Congregatio Romana*; quin tamen ullum ei sit damnum illatum (hoc est, alte-

alteri illi Officio de eadem Virginis *Conceptione Immaculata*), quod ab *Innocentio XI.* in citata *Nota* aperte probatum ostendimus. Videsis eodem loci jam in id rei sat dicta a nobis.

III. Iis præterea bene multis, quæ *Cap. X. a pag.* 120. adversus *Lampridium* congessimus, ex *Bellarmino* & *Gotti* contendentem, Deiparæ *Immunitatem* non esse unicum Objectum *Festi Conceptionis*, addi ad cumulum potest cum viro apprime docto *Gabriele Vasquez*. Tom. 2. in III. Part. Quæst. 27. Art. 2. Disp. 117. Cap. V. num. 64., videlicet: *Cum Officium hujus Festi, tam antiquum & approbatum a Sixto IV., quam recens confirmatum per Pium V. nullam de hac caussa celebrandi* Conceptionem alio, quam *Immunitatis* intellectu, *mentionem faciat, sed ipsam Conceptionis solemnitatem votivam* & Sanctam *appellet; negari certe non potest, ratione SANCTITATIS Conceptionem Virginis celebrari Pontifices voluisse.* Idque ille sequenti insuper ratione confirmat. *Et sane*, inquit, *si eam solum ob causam* (id est, in gratiarum actionem, aut ejus etiam generis aliam) *celebraretur, nullum omnino argumentum ex celebratione NATIVITATIS desumi posset ad probandum B. Virginem sine peccato natam fuisse. Præsertim cum eodem omnino Officio nunc in Ecclesia utamur, mutato solo nomine* Conceptionis *in nomen* Nativitatis; *siquidem eadem ratione* Nativitas *Virginis in peccato celebrari posset. Atqui* (pergit) *Idelphonsus* (ni potius *Paschasius Ratbertus*) *& Bernardus locis citatis ex celebratione NATIVITATIS B. Virginis SANCTIFICATIONEM ejus in utero indubitanter colligunt*. Hæc *Vasquius* in Joannem de Neapoli, Paludanum, Capreolum, & Antoninum initio elapsi Sæculi; quæ nunc quoque, & rectius pressiusque in *Lampridium* quadrant.

IV. Tandem *Cap. XVIII. pag.* 231. Mutinensem, in quem scripsi, Theologum die 3. & 11. *Decemb.* anni 1749. ambos perdidisse oculos ex complurium, nec ignobilium renuntiatione *Mutinensium* ipse ego dicebam: Res paulo aliter narratur in *Historia litteraria Italiæ*, Venetiis labente hoc anno 1751. italice edita, Tom. II. pag. 545., in quam modo incidi: hoc est, miseram hanc oculorum orbitatem sibi obvenisse non jam 3. & 11. die, ut ego *Mutinæ* a fide quam dignissimis accepi, sed potius memorati Mensis die IV. & VII. scribit ejus Auctor *Historiæ*. Utri ergo credas, illi ne citius, an mihi? ignoro. Alterutrum certe renuntiatores inculpatim fefellerunt: Satisque ad rem est, me inter & illum de *facti* substantia nihil discrepare. Qua vero id acciderit die, utrum 4. & 7., an III. potius ac XI. ejusdem Mensis & anni; scrupulosius inquirere, aut scire curiosius nihil heic plane refert.

V v

EPISTOLÆ V.

CUM

TYPOGRAPHI PRÆFATIONE
AD LECTOREM.

LECTORI BENEVOLO
TYPOGRAPHUS.

ETsi diu multumque rogatus ab Amicis Auctor , *ut Epistolarem , quam primus iniit , subiitque cum* Mutinensi Theologo , *hac de re Concertationem ipse evulgaret ; nunquam tamen induci potuit , ut illorum Votis annueret , satisfaceretque . Eccur petis ? Non est opus , ut ego dicam : res enim de se sat ipsa loquitur . Nunc autem , eo Vita jam functo , hortationi alterius , cujus vel nutus imperia sunt , non parere* Auctor *omnino non potuit ; cessitque , quod nequiret obsistere diutius . Hinc prodeunt Epistolæ illæ , numero quinque , vicissim datæ : tres scilicet ab hujusce* Auctore *Dissertationis ad* Doctorem Mutinensem ; *duæ autem reliquæ ab isto ad illum missæ responsi loco : suo quæque ordine dispositæ .*

Peroptaret quidem Auctor *sub eo , quod semel sibi sumsit , adscititio nomine deinceps etiam delitescere . Sed suas ille jussus litteras in lucem proferre una cum responsionibus desuper acceptis , de sententia cogitur decedere , larvamque iis non appingere ; ne scilicet , fictitio aut nullo si exeant nomine , eas ad unam omnes confictas quis esse arbitretur . Hæcque una sane est caussa , eaque præcipua , quamobrem id genus Epistolæ non nisi verum , dum eduntur , nomen postulant , ac larvalem omnino formam defugiunt .*

Dedit porro suas Auctor *litteras , quin de ulla tunc dissertatione elucubranda quicquam cogitaret : quod postea duntaxat (ut fere fit) ei venit in mentem . Ansam*

tamen

tamen ad id audendum, aggrediendumque hæ ipsæ Epistolæ sibi dederunt. Quas proin ubi legeris, abunde in promptu habebis, Benevole Lector, *quid iis respondeas pro merito, quos calumniari fortasse offendes, ac Vitio* Auctori *dare, quod Dissertationem is suam, obtentu quidem rerum nescio quarum, re autem vera consulto & cogitato post adversarii duntaxat mortem edere curaverit.*

Cæterum, vivit adhuc Theologus Mutinensis *in Operibus post se relictis, quæ ipsemet in vulgus emiserat; teruntur que doctorum simul manibus, & indoctorum. Si illi parcendum, utpote jam extincto, nec respondere valenti: an sui pariter ingenii fœtibus (sicubi nec modicæ, nec timide lapsus est) parcas, in quibus est ille superstes? Interest plane Reipublicæ, cujusvis errata hominis, falsasque opiniones (salva personæ dignitate) consectari verbis, atque in aperto poni, seu vivat ipse adhuc, seu ex numero vivorum jam exturbatus sit: nimisque felix error esset, ac falsitas, si, Auctore e vivis sublato, ne retegi quidem impune liceret, nedum a nobis id refutari. Lege, & si quid heic boni, Deo tribue, fruere; ac bene vale.*

EPISTO-

EPISTOLA PRIMA

Fr. Victorii a Cavalesio strict. Observant. *S. Francisci* Provinciæ Tridentinæ *Divi Vigilii* nuncupatæ, ad V. Clariss. *Ludovicum Antonium Muratorium*, Bibliothecæ *Serenissimi Ducis Mutinæ* Præfectum.

QUod ignotus ego prorsum, atque homo fane nihili, dare tamen ad te ausim litteras, importunisque vocibus interpellare te, omnium probe occupatissimum; veniam, quæso, dabis, Vir humanissime ac longe lateque celeberrime: quippe ut auderem, nupera, quæ exarsit, ac plus forsan nimio recruduit controversia, nimirum de *Voto*, ut vocas, *Sanguinario*, in caussa fuit. Nolim at vero, me hinc existimes classicum illico canere, aut hostilem in te animum idcirco adferre, quod ex eo sim hominum coetu, qui pro Immaculato Virginis Conceptu depugnare,

quasi

quasi pro aris & focis, summo semper honori duxerunt. Equidem fateor me & ejus esse vitæ generis, atque ejusdem propositi, ubi de Virgine agitur Gloriosa, vix ac ne vix quidem satis laudanda. Non tamen is ego sum, qui cœco quodam impetu in id me rapi sinam, aut immodico quodam in sodales meos adfectu, quidquid illorum est seu dictum, seu cogitatum, statim ipse probem, atque defensem. Longe ego aliter natura sum comparatus, probeque novi nefas esse rem aliorum semper, proprio nunquam judicio metiri, tantumque deferre hominum auctoritati, quamlibet doctissimorum, quantum ipsi est rationi ac veritati unice tribuendum. Quocirca, ut ingenue dicam quod sentio, vel in meis quoque Commilitonibus hac ipsa in re non omnia mihi arrident; quin illos etiam damno, ac reprehendo in multis, quæ tamen non hujus est loci commemorare.

Ad te quod attinet Vir Cl., ego citius quam improbem, laudo sane, ac plurimi facio conatum, operam atque institutum tuum, te hercle tali tantoque Viro perquam dignissimum. Quanquam non desunt (quod salva dignitate tua dictum esto) non desunt vel ex tui amantissimis, qui minus a te prudenter factum arbitrantur, quod opus illud tuum, de *Superstitione Vitanda* nuncupatum, tot rebus referseris jam diu obsoletis, feliciterque oblivioni traditis, alienis quoque a scopo; certe in id neutiquam necessariis. Quid multa? Id unum optarint omnes, quotquot mecum sincere te demirantur, & colunt, ut aut ab tam molesta supervacaneaque cura tute tibi temperasses, aut id quidem temporis temet in ejusmodi periculi genus nunquam conjecisses. Sed hæc hactenus. Nunc venio ad id, quod rei caput est, quodque, ut hanc ad te Epistolam mitterem, movit me potissimum atque adegit.

Non

Non sane me fugit Vir Cl., quam tu docte; quam eleganter ac nitide, quamque ut nunquam non soles, nervose in *Votum Sanguinarium* calamum strinxeris; quo scilicet evincas, nec *Imprudentiæ* ab eo labem abesse, neque *Superstitionis*. Quid porro ad hæc regesserint, reposuerintque Adversarii tui, *Voti hujusce* Assertores ac Vindices; ne istud quidem me plane latet, commodum tum Romæ agentem: quo autem successu, prospero ne, an infelici? non est meum dijudicare. Nam præ ingenii tarditate usque adeo veritas latere mihi videtur, ut ab quibus illa stet partibus, tui ne, an illorum, necdum satis internoscere queam. Prope est tamen, ut in tuam ego Sententiam descendam, motus illa quidem ratione longe validissima, quam tu unam ingenti studio, plurimisque verbis, strictum veluti in hostes gladium, ubique ac semper intorques: Bonum, inquiens, *certum* (qualis sine dubio est vita) fundi haudquaquam posse citra piaculum pro *Incerto*, cujusmodi est Virginea ab primigenio peccato *Immunitas*, de qua quippe nihil adhuc *Certi*, quod quidem spectet ad Fidem, Ecclesia pronuntiavit. Profecto hæc una apud me ratio tanti est ponderis ac momenti, ut consensum pene extorqueat; saltem in adversum abire plane non sinit. Quin autem tibi prorsus adhærescam, ac præfatæ tandem rationi sine dubitatione subscribam, unus in caussa est *S. Augustinus* duobus ad Consentium Libris de *Mendacio*, & *contra Mendacium*. Quæris: quid ita? Accipe.

Vulgo compertum est atque exploratum maxime, *Augustini* Ævo plerosque omnes vel ex Ecclesiæ Patribus, ab Mendacio, ut ajunt, *officioso* contra Verum stetisse, auctore eodem S. Augustino *Quæst. 68. super Levit. Cap. 19.* disertis hisce: *De Mendacio pene omnibus videtur, quod ubi nemo læditur, pro salute mentiendum*

 est.

est. Plane, ut de aliis taceam, Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Hilarius, S. Johannes Chrysostomus in hanc videntur Opinionem delapsi. Contra *Augustinus*. Is enim Magnus Ecclesiæ Doctor, omnium primus *Veritatis* caussam quam strenue vehementerque oravit contra *Mendacium* integris ad *Consentium* Libris, mox supra laudatis; contendens probansque pluribus, mentiri non licere unquam, vel ubi de propria cujusque salute agitur, sive de aliena. Non est autem, ut suspicemur, *S. Augustinum* adeo fuisse inscium, tamque sui insigniter oblitum, ut putaret tum, quum in id tantopere desudabat, rem omnino agi aut *de Fide* certam, aut talem, ut secus sentire nemini foret integrum. Ab se se namque dissidere quia præcessores, qua coævos Patres, ad unum *pene omnes*, aperte, ut visum, ille ipse testatur: neque etiam ullius usquam meminit decretorii Judicii, quod controversiam dirimeret; adducturus utique, si Ecclesia tulisset. Pugnavit igitur iis in locis *Augustinus*, non pro *Fidei* dogmate aut *bono* aliquo *Certo*, sed pro re tum admodum *Incerta*, difficili quoque, atque ipsomet teste, sane *latebrosissima*: verbo, pro re non nisi *Opinionum* limitibus undique circumscripta.

Ita quidem, me judice res habet, ni me fallant omnia. Nihilo tamen secius, quid a nabo *Augustinus*? Sane eodem loci non solum omni judicat vacare culpa, sed eum etiam summis dignum laudibus censet, qui pro id genus bono, quamvis *Incerto*, Certum prodigere non dubitaret; hoc est dictu, qui mori mavult, quam reapse cum illis sentire, qui vitæ servandæ caussa quid falsi (etiamsi id obsit nemini, immo & prosit alicui) fallendi animo enuntiari posse pertendunt. Enimvero, posteaquam cum *Obstetrices Hebræas*, tum Jericontinam Meretricem *Rahab* nomine,

acerri-

acerrimus is Veritatis Defensor de *mendacio* haud obscure postulavit, modumque edocuit, quo ab hac se se peste servare immunes non potuissent modo, sed etiam debuissent; objicienti sibi, quod *hoc audito illas perimerent*, quod *morerentur*: reponit *Cap.* 17. *contra mendacium* ad hæc conceptissima: *Morerentur enim cælestis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quam domus illæ, quas sibi fecerunt, in terra esse potuerunt. Morerentur futuræ in æterna felicitate, mortem perpessæ pro innocentissima veritate.* Hæc Augustinus de *Ægyptiis Obstetricibus*. De *Rahab* vero (si quidem hæc esset enecta) *Vitam*, ait paucis interjectis, *Vitam istam finiendam pretiosa in conspectu Domini morte finisset*.

Habes jam vero, Vir Præclarissime, quid me propensum licet admodum, ac quasi sponte currentem, in tuam tamen concedere sententiam retardaverit. Tua quippe illiæc Ratio, qua una ædificii tui, ut ita loquar, universa moles innititur, *Augustino* non tam est firma, ut mihi quidem esse videbatur. Quod vero *Augustinus* non perviderit, aut rite illam, quanta quanta est, minime expenderit, permeaveritque; tantum abest, ut ego asseram, ut ne suspicari quidem ausim, non tam ex jam dictis antea, quam etiam præcipue quia Adversarios ipse suos *Lib. de Mend. Cap.* 13. ita palam differentes inducit: *Paratus esse possum* (inquiunt) *ad qualibet ferenda tormenta, vel etiam mortem subeundam ne peccem. Cum autem peccatum non sit ita mentiri, ut neque cuiquam obsis, neque falsum testimonium dicas & prosis alicui: stultum est & grave peccatum, voluntaria frustra sustinere tormenta, & fortassis utilem salutem, ac vitam in cassum sævientibus projicere*. Ut dicam obiter: an non tu eadem illo integro tuo Opere *de Superstitione vitanda*, altero item posteriore, cui titulus = *Ferdinandi Valdesii Epistolæ*; aut certe pro re, quam versas, haud

multo dissimilia? Attamen *Augustinus* ne pilum quidem unum a sententia discessit; imo mansit in eadem, quoad nempe vixit. Ipse igitur, loco proxime citato, non solum Episcopi Tagastensis, nomine *Firmi*, egregie fortiterque factum, quod imitemur, ante oculos ponit (hunc enim *multa* perhibet *tormenta corporis passum*, quod nec mentiri vellet, nec hominem prodere, quem ad se confugientem diligentia, quanta poterat, occultarat), sed etiam ne quis ad aliena castra colore isto deficeret posthac, ita inibi sub finem Aquilinus Doctor impavide cohortatur & claudit: *Pro qua fide atque humanitate quicquid fortiter tuleris non solum non culpabile, sed etiam laudabile judicatur*. Ita *Augustinus*, neque pro Decreto *Fidei*, ut præjactum est, neque pro re adeo *Certa*, ut non adsentiri scelus sit, sed pro Opinione tum *dubia* admodum atque *Incerta*, cujusque ipse ille erat præcipuus & propugnator & Auctor.

Quibus ita constitutis, peto jam abs te Vir humanissime, nec satis unquam laudande; numne censes, eodem minimum loco esse (nostra saltem hac ætate) Piam de *innoxia Conceptione* Sententiam, ac illa fuerit Ævo *Augustini*, de nunquam mentiendo? Omnino. Quei ergo stare potest, ut ab hac ne desciscas latum unquem, dare queas sanguinem, judice *Augustino*, citra ullum crimen; immo si dederis, coronis etiam dignus censeare; pro illa vero omnino non possis? Profecto si pro Sententia nondum *definita* aut plane *Certa*, vitam, ut ipse dicis, vovere, seu præbere jugulum nunquam licet, ne scilicet pro *Incerto* Certi Boni jactura fiat: imprudens fuerit admodum *Rabab* illa meretrix, imprudentes quoque *Hebrææ Obstetrices*, de quibus supra *Augustinus*, si hac quidem de caussa fuissent occisæ; imprudens etiam maxime, neque expers culpæ *Firmus*, *Tagastensis Episcopus*, qui eandem ob

rem

rem tot probra sustinuit, tot pertulit supplicia, ac ipsa quidem morte de sententia decessurus; omnium autem imprudentissimus flagitiosissimusque *Augustinus*, qui tantis verbis talibusque exemplis in tantum facinus sua nos cohortatione incitavit.

Plura non lubet addere; ne aut Epistolæ modum excedam, aut plus æquo tibi, Vir eruditissime, molestus sim; omnemque hinc jam tenes caussam, quæ & me vel invitum compulit, ut ad te isthæc perscriberem, & cohibuit, ne super *Voto Sanguinario* tecum mihi continuo conveniret. Etenim, quum ego, quæ hucusque ex *Augustino* ducta sunt, ex me enodare nequeam, atque dissolvere (adeo quippe hebes sum, atque imbecilli ingenio), suspenso me id esse animo jubet, dum hunc tu mihi, qualem qualem, nodum perspicue & liquido, ut spero ac rogo, excusseris expedierisque. Audacter id quidem te oro atque obsecro: si qua tamen in hoc culpa, tota, quanta est, in sciendi ardorem amoremque veritatis conferenda. Bene itaque vale, Vir Clarissime; ac si tu quidem meis annuens votis ac precibus præstiteris, ut quod ego præ mea imbecillitate non adsequor, ex tua humanitate cognoscam; maximi beneficii gratiæque loco me id habiturum certo scias velim. Iterum vale.

Tridenti ex Conventu S. Bernardini XV. Kalend. Decemb. MDCCXLIV.

EPISTO-

EPISTOLA II.,

seu *Ludovici Antonii Muratorii* responsio ad præcedentem Epistolam data.

ANtequam ad quæstionem, quam mihi proposuisti, Doctissime Pater, respondeam, habeo quod tibi gratuler, nempe elegantiam Latini sermonis, quam in litteris tuis deprehendi. Hanc laudem, quia sæpe negligunt homines Scholasticæ Theologiæ addicti, tu vero eximiæ Doctrinæ tuæ ut superadderes, enixe curasti; in te propterea uti nobile ornamentum suspicio. Te hactenus fateris ab improbando voto sanguinario cohibitum, quod animadverteris, *Sanctum Augustinum* sensisse, non licere mentiri vel quum de propria seu alterius salute agitur. Obstetricibus vero Judæis mortem potius fuisse tolerandam quam in mendacium incurrere, easque, si hanc ob caussam vitam dedissent, præmium in Cœlo fuisse expectaturas. Atqui incertum est, an *officiosum* mendacium, ubi nemo læditur, aut salus alicujus quæritur, sit peccatum; quam in rem Patres quosdam commemoras. Ergo *Augustinus* laudabile censuit mortem oppetere pro re minime *Certa* ad Religionem spectante. Hæc si bene mentem tuam sum assequutus, mihi visa est sententia tua. Paucis respondeo. Non Incertum, sed *certum*, immo *Certissimum* fuit S. Augustino, quodlibet mendacium, si jocos excipias, esse peccatum grave, aut saltem veniale: quam in rem ipse Divinas scripturas adferebat, & adferri etiam

tiam

tiam possunt Rationes *Theologiæ Naturalis*, atque *Moralis*, quibus mendacium fallendi caussa adhibitum, uti ex *sua natura* Malum, & Virtuti Veracitatis oppositum, damnatur. Hoc posito, consequens erat, ne pro salute quidem propria, aut alicujus licere mentiri, & qui ne mentiretur, hoc est ne *peccaret*, mortem sustineret, Cœlo esse donandum. Verum ais, minime hoc visum nonnullis Patribus. Poteras & addere complures Theologos, qui peccatum nullum agnoscunt in euntibus contra mentem propriam in quibusdam circumstantiis; neque enim censent, tunc *proprium* occurrere mendacium. Sed quid inde? Nunquam consequitur, *Augustinum* censuisse laudabile aut licitum pro re *Incerta* mori. Immo id adeo Certum ei videbatur, ut quemadmodum in tot aliis casibus, ubi agitur de peccato, non solum laudabile, sed necesse est dare vitam, ne peccemus: ita & mortem eligendam crediderit ad evitandum mendacium. Qui vero secus sentiebant, credendo ex impropriis Mendaciis nullum exurgere *Peccatum*, ii certe non tam hebetes fuere, ut vitam putarent esse in iis casibus dandam, quam *officioso* Mendacio servare poterant.

Quid autem hæc ad *Votum Sanguinarium* faciant, plane non video. Nullus heic *Peccati* metus, quum nemo peccet, sive hanc sive illam amplectatur Sententiam, ac propterea nemini de evitando peccato restat sollicitudo. Rursus *S. Augustino*, ut alia præteream, loca sacrarum litterarum aderant, quibus sine ullo discrimine Mendacium uti *Malum* damnabatur, & e quibus is *Certitudinem* suæ sententiæ deducebat. At in casu nostro quamnam mihi *Certitudinem* ostendas? Nulla e Divinis Scripturis rite petitur; Immo Apostolus contrarium tradere videtur. Nulla ex traditione Patrum; *Immo hæc*

ex

ex adverso pugnat. (*) Quid plura? Incertam utramque Sententiam hactenus agnoverunt *Summorum Pontificum* Decreta, ut optime nosti, quanquam uni potius quam alteri favorem impertiant. Sublata autem adeo evidenter *Certitudine* Sententiæ, hoc unum superest, non licere pro *Incerto Bono* commutare *Certum* vitæ nostræ Bonum. Hanc servare & non prodigere, a Deo jubemur, non autem præfracte sequi hanc aut illam *Incertam* Sententiam. Denique animadvertas velim, multum discriminis intercedere inter Sententias mere *Speculativas Incertas*, & *Morales Incertas*. Quamcunque e primis eligas *Peccati* immunis es. At *Morales* Actionem sæpe exigunt. Si tutior ac probabilior nobis creditur Sententia, in ea actione *Peccatum* agnoscens; tunc certe ab ea abstinendum. *Augustinus* autem non solum probabiliorem, sed *Certam* arbitratus est Sententiam suam; ac proinde cogebatur Mendacia illa improbare, & mortem potius in necessitate eligendam statuere.

Hæc habui amantissime Pater, quæ ad tuas difficultates tanta modestia propositas, reponerem. Tuum nunc erit decernere, an in iis sit satis roboris. Restat igitur, ut quando me amare cœpisti, amare nunquam me desinas. Hoc te etiam atque etiam rogo; meo enim erga te amori & obsequio nunquam finis erit. Vale.

Mutinæ VI. Kalend. Decemb. MDCCXLIV.

EPISTO-

(*) Confer, quæ dixi supra ejusmodi Dissertationis *Cap. XV. a pag.* 195., ubi tam audax dictum satis confutatum habes.

✕ XI ✕
EPISTOLA III.

eiusdem F. Victorii dicto Dn. *Muratorio* post acceptum praefatum responsum.

NOn tam ego legi, quam voravi etiam tuas ad me, Vir Cl., quam humanissimas litteras, tantumque inde delectationis cepi, ut quibus id promam verbis, non inveniam. Habeo igitur gratias, quas possum, maximas, non modo quia & me ferre patienter, & perhumaniter rescribere maluisti Vir, ut es, tantus & talis; sed etiam quia minime detrectasti ab gravissimis, quibus distineris, curis tantumdem tibi in rem meam temporis surripere, ut nodulo demum me eximeres, solveresque, quo ego implicabar. Verum in id tu quamvis more tuo egregie admodum operam contuleris, me tamen, pro dolor! aut omnino, aut magna ex parte implexum adhuc vinctumque praesentio: scilicet *Non est in Medico semper, relevetur ut aeger*. Ais etenim toto distare coelo, quae tu in *Votum* urges *Sanguinarium*, ac quae ego ex *Augustino* derivavi indicatis Libris *de Mend. & contra Mendacium*. Idque ut obtineas, non alio uteris argumenti genere, quam quod instituto apprime est adcommodatum, quodque ex ipsa rerum diversitate caussarumque penetralibus, ceu ex fonte, fluit. Nam, inquis, eo loci *Certum*, ut cum maxime, *Augustino* est, citra *Peccatum* homini nunquam fas esse quacunque de caussa mentiri: aut minimum, ni absit a Mendacio, ab *peccandi* periculo neu-

tiquam abesse. Quam ergo *Augustinus* ibidem versat quæstionem, ejus esse generis, ut de *vitando peccato* agatur, aut saltem de peccati *periculo* fugiendo depellendoque: proin jure quam meritissimo S. Doctorem inde deduxisse, hominem nedum posse, sed etiam debere æquo fortique animo citius mortem oppetere, quam ullo unquam mendacio vitam redimere. Secus autem multo (pergis) in controversia *Voti Sanguinarii*. Quum enim *Immunitas Beatissimæ Virginis* ab originali labe, in cujus tutamen tale votum emittitur, ejusmodi non sit, ut aut Peccatum, aut peccandi *periculum* in quæstionem veniant; quin vero hac super re liberum cuique sit ac sane integrum sentire quod lubet, dum quis tamen ab iis sibi caveat omnibus, quæ prorsus vetita voluere Romani *Pontifices*: quid (tacitus inclamas) absurdum magis atque alienum a Christianæ prudentiæ legibus, quam pro tuenda id genus Opinione præbere caput, sanguinemque & vitam voto projicere? Hactenus longiorem Epistolam tuam, Vir Sapientissime, ita ego in pauca contuli, atque ut Iliadem, quod est in proverbio, nuce conclusi, ut nihil tamen eorum, quæ huc pertineant, deesse mihi ullo pacto videatur. Cætera, si quidem opus, in aliud ego tempus rejicio.

Age jam vero, mi *humanissime Ludovice*, Patronos Sanguinarii voti (e quorum tamen numero non ego sum) ita respondentes, tecumque colluctantes fingas, velim. Accipimus primum (inquient), & rata habemus quæ modo dixisti atque exarasti, omnia: neque enim tam inepti atque absurdi sumus, ut nonnihil discriminis intercedere *Augustinianam quæstionem* inter & alteram *Conceptionis Innoxiæ*, non longe antea & ipsi nos perspexerimus. Quid postea? Non quærimus hoc loco, differant hæc inter se, an non? quod obvium cuique est atque in oculos statim incurrit: Sed solum inquiritur liceatne

ceatne

ceatne pro re etiamnum *Incerta*, seu in *Fidei* Canonas nondum evecta, dare jugulum, vitamque citra noxam prodigere? Negas id tu, Vir Eximie, quo inde colligas, non eos carere *culpa*, qui pro asserenda Deiparæ *Immunitate* profusuros se sanguinem vovent. At vero *Augustinus* in controversia *Mendacii officiosi*, hoc est, in re æqualiter, ut minimum, dubia, neque definita, neque plane *Certa*, palam, ut non negaveris, a te ipse dissentit, nedum id licere adserens, sed & laudibus ac coronis dignum esse quam disertissime adfirmans. Alterutra ergo pars erret, oportet; Utra sit, quis cordatus possit ambigere? Certe *Augustino* hac ipsa in re suffragatur & *Schola universa*, quæ haud docet aliud, quam quod ille, dum viveret, & probavit & senserat. Nutat proin admodum, immo & ruit penitus fundamentum illud, quo tu uno innixus *Votum* improbas *Sanguinarium*, falsumque est prorsus, quod in hanc rem sicut indubitatum usurpas, *Bonum* videlicet *Certum* commutari cum incerto haudquaquam posse: ideoque & id, quod tam ruinoso nititur fundamento, ruere una, planeque jacere omnino necessum est. In hoc summa controversiæ, in hoc cardo litis. Nam quoad stabit, *Augustini* Sententiam de nunquam mentiendo, vel ubi quis capite periclitatur, ejus, de qua nunc, *Certitudinis* apicem non attigisse (stabit autem opinor, semper) cum fundamentum, quod jecisti, tum quod extruxisti opificium reliquum, ne sint in lubrico, impedies nunquam; sive dein de *Peccato* certetur, sive non, quod est alienum prorsus a præsenti instituto.

Sed reclamas: potissimum *Augustiniana Sententiæ* momentum in *Peccato* est situm. Itane? (ajunt qui pro *Voto* pugnant) an tantopere in hoc places tibi? At quæso te; an ideo forsan minus Incerta *Augustini* sententia? aut qua saltem ipse floruit ætate, extra omnem

(si superis placet) controversiam posita? Non, inquies. At vero ex arte inde *Augustinus* intulit, præstare mori, quam vel *officiosissime* mentiri. De nulla quippe re nobis in vita laborandum magis, quam de *culpa vitanda* vel cum vitæ dispendio. Equidem adsentior. Sed quæro iterum ex te: nunquid *Certum* (certitudine *Fidei* scilicet) in hoc Mendacii genere inveniri *Peccatum*? At dices, ita saltem visum *Augustino*. Non abnuo. Aperte enim *Enchiridii Cap.* 18. hæc habet: *Mihi autem videtur peccatum esse omne Mendacium*. Sed nunquid tanquam *Certum*, *Certissimumque*, ut ne hilum quidem dubitaverit? Verum, ut nosti, ille ipse citata nuper *Quæst.* 68. *super Levit. Cap.* 19. haud dissimulat, quin vero & ingenue fatetur, reliquos *fere omnes* secus sentire. *De Mendacio* (ait) *pene OMNIBUS videtur, quod ubi nemo læditur, pro salute mentiendum est*. Et *Cap.* 10. *Lib contra Mendac.* ita in eandem sententiam: „ Et præcipue de mendaciis hoc in hominum opinione „ prævaluit, ut peccata non putentur illa mendacia, „ quin imo & recte facta esse credantur, quando quis„ quam pro ejus, cui falli expedit, utilitate menti„ tur; aut ne aliis noceat, qui nociturus videtur, ni„ si mendaciis evitetur. „ Deinde, *Augustinum* non sat sibi sententiæ certum fuisse, cum alibi patet, tum etiam potissimum ex ejus *Epist. LXXXII. ad Hieronymum* num. 21. & 22. (alias vero Epist. XIX.), ubi hac super re liberam cuique facultatem tribuit abeundi, in quam libuerit Opinionem. En ipsissima *Augustini* verba: „ In „ hoc magna quæstio est, sitne aliquando mentiri viri „ boni, immo viri Christiani, qualibus dictum est; „ *sit in ore vestro, est est, non non, ut non sub* „ *judicio decidatis*: Et qui cum fide audiunt; *perdes* „ *omnes qui loquuntur mendacium*. Sed hæc ut dixi, & „ alia & magna quæstio est: ELIGAT quod VOLUE„ RIT,

„ RIT, qui hoc existimat ubi mentiatur; dum tamen
„ a scribentibus Authoribus Sanctarum Scripturarum, &
„ maxime Canonicarum, inconcusse credatur, & de-
„ fendatur omnino abesse mendacium. „

Ut ut tamen sit; non in præsentia laboramus de mente, sensuque *Augustini*: sed quod illi videtur, petimus, verumne reipsa sit atque ita *Certum*, ut id prohibeamur omnino in dubium revocare? Ubi id non evincas (evinces autem nunquam), quidquid egeris, nihil proficies, sed ut dicitur, Sisyphi saxum volves, oleumque perdes & operam. Quo enim cumque te vertas, sive id *Augustino* revera visum, sive rite etiam id a se inde collectum (quod ego sane haud inficior, quin probo etiam maxime), manebit tamen semper immotum, *Augustinum* id intulisse ex re admodum *dubia*, seu *Opinionum* scopulos neutiquam prætervecta. Quumque, (ut ante diximus, nec tu quoque, arbitror, a nobis dissenties) non certo constet, quodlibet Mendacium in scelus esse imputandum, etsi *Augustino* ita esse videatur; illum sane egregium faceres argutatorem, ni quidem concesseris, licere aliquando vel pro re *Incerta* certum vitæ discrimen adire. Immo si hoc præfracte negas; quei, amabo te, fieri potest, ut recte *Augustinum* in eo ratiocinatum tueare?

Repones autem, bellum ferme instauraturus: tum demum Christiani Nominis Cultori inculpatam esse vitæ projectionem pro re licet non plane *Certa*, quum ejusmodi ea est, ut *Peccatum* subesse putes; alioqui vero nunquam. Ea (pergis) erat mente *Augustinus*, ubi contra Mendacium pugnavit. Quid ergo mirum, si probo Viro moriendum citius sentiat, quam ullum sibi *mendacium* proferendum? Verum si ita res habet; vide, quæso, quo te id perducat, quasque te in angustias plane projiciat. Cum primis itaque negare haud amplius

us poteris, quin præfatum tuum fundamentum, illud nimirum unicum de *Bono Certo* nunquam fundendo pro *Incerto* (quod hercle nimis latum ac generale est) negare, inquam, minime poteris, quin istiusmodi qualecunque fundamentum, quo sua illi stet veritas, a te jam contrahi, ac ne prorsum concidat, arctiori quodam oporteat termino coerceri. Deinde dic, sodes, quei tu probas rem ita esse, ut modo adseris? aut quid prohibet, quo minus, quod tu nunc ubi de *Peccato*, & nos ubi de *cultu Beatissimæ Virginis* controvertitur, idem omnino dixerimus? An quia forsan *Immaculatus* Virginis *Conceptus* nondum est de *Fide* Certus, ne quidem Certum fuerit in *ejus honorem* cedere, si quis eam ob caussam ultro vitam impendat? Atqui neque ita *Certum est*, vel *Officiosum Mendacium* inter peccata esse adnumerandum; ut antea, te non repugnante, dicebam. Postremo visne dicam, quid rei conferat *Peccatum*, de quo *Augustinus*, ubi de *Mendacio* disputavit? Certe ut quisque non modo possit, verum etiam debeat mori potius, quam ullo se mendacio commaculare. Peto jam abs te: an forte putas, similem inesse mentem *Voti Sanguinarii* Assertoribus? Nihil minus. Eccur autem, nisi quia id tibi (si lubet) illi concedunt de *Peccato* heic non agi, seu nullo nos præcepto adigi ad hunc usque diem, ut credamus Virginem ab *Originis* peccato fuisse reapse servatam? Atque hinc est, ut doceant, posse quidem qui volet, nolentem vero teneri neminem devovere caput in rem *Præservationis* Deiparæ. Ut autem quis possit, non equidem ex sententiæ *Certitudine*, quæ nulla est (si de illa *Fidei* loquamur) sed id unice repetunt vel ex *Pietate* vel *Cultu*, quem se tali putant opere Virgini exhibere, sane luculentissimum.

Neque dixeris, id genus seu *Pietatem*, seu *Cultum* non

non esse nisi Opinabilem. Nam, ut non semel dictum, & *Mendacii Officiosi* peccatum, de quo late *Augustinus*, sub judice est, aut erat; nec nisi in Opinione consistit. Quapropter si te concedente (neque enim improbare audes) ex re seu *Peccato* etiamsi dubio aut nullatenus *Certo*, quam rectissime tamen colligit *Augustinus*, Christianum hominem non tantum posse, sed & debere (quod multo est majus) Veritatem præ vita deligere, nunquamque, etsi *officiose* solum, mentiri; quidni & nobis dederis ex *Cultu*, sive *Pietate* erga Virginem, utcunque licet *Incerta*, ac solum Opinabili, inferri citra notam posse, quod est longe minus, videlicet facultatem vovendi sanguinem pro defensione Sententiæ Piæ, seu *Virgineæ Immunitatis?* Plane, eo nunc res est loco, ut aut *Augustinum* male, aut verius te pessime rationem subduxisse fatearis: neque tanti profecto est telum illud, quo instructus in aciem prodiisti, ut ni alia subsidio veniant validiora multo, *Votum Sanguinarium* ne infirmari quidem a te possit unquam, nedum dejici, atque expugnari.

Præterea, quid si Voti hujusce Vindices, ut *Augustinus* in controversia *Mendacii*, ita illi in hac quoque *Innoxii Conceptus* rem esse de *Peccato* contendant? An non idem de utraque ferendum judicium, quin obsit quicquam quod tu, ut invictum, intorquere nusquam definis, scilicet pro Incerto *Certi Boni* jacturam facere nefas esse maxumum? Ejusmodi porro sunt quotquot tali se *Voto* obstringunt, atque ab impacta *Superstitionis* calumnia quam honestissime se defendunt. Enimvero, non est, inquiunt, hujus loci proferre in medium momenta rationum, numero ac pondere sane maxima, quibus *Maria Virgo*, omnium Sanctissima, non ab *actuali* solum, sed ab *Originali* quoque macula Immunis adseritur, atque ab *Adversantium* cuniculis

culis

culis strenue oppido vindicatur. Nobis hoc otium fecerunt viri summi, ac prope innumeri omnium gentium & Ordinum, ut iis quid addere velle hominis sit otio & litteris turpiter abutentis. Quod in præsens sat est, haud ignorabit (pergunt) seu *Lampridius* seu *Valdesius*, non jam Vulgum, non homunciones de trivio, in quibus non est consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia; sed celeberrimas quasque Universitates in hanc velis remisque ivisse, jurasseque Sententiam: præsertim vero non eos latebit, omnium pene aliarum Matrem *Sorbonam* jam ab anno 1497. decrevisse, ne quis ad ullos in posterum admittatur Scholasticos gradus, quin prius Divæ Virginis *Immunitatem* a noxa Originaria sese defensurum juret.

Accedit & insignis vereque singularis favor *Romanorum Pontificum* in Conceptionem Innoxiam. Cum primis enim nemo, opinor, unus erit qui nesciat, Opinioni contrariæ silentium omnino indictum a *Gregorio XV.* anno 1622., districte cavente: *ne quisquam nedum in actibus publicis* (quod *Paulus V.* antea prohibuerat) *sed neque etiam in sermonibus & scriptis privatis audeat asserere, quod Sanctissima Virgo in peccato concepta sit, exceptis quibus a Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum*. Deinde, quod omnino summi est ponderis ac momenti, usque adeo *Pontifices* Piæ de *Præservatione* sententiæ se se addictos commonstrarunt, ut eandem etiam auxerint plurimum, propagaverintque, instituto in id rei, vel jam inde a *Sixti IV.* temporibus, peculiari Officio ac Cultu, Deiparæ exhibendo uti *Intemeratæ*, ac cujusque labis experti. Adeo id intuenti Decretum *Alexandri VII.*, anno 1661. editum, innotescit, ut nullus, nisi effrons, inficiari unquam possit. Non quod *Sixtus IV.* ejusmodi *Cultum* ab universo Clero Deiparæ impendendum esse ulla edita Sanctione mandaverit

verit

verit (ipse enim ad id Christi Fideles propositis tantum indulgentiis invitavit, non coegit; ut perspicue constat ex ejus Constitutione: *Cum praexcelsa*, relata inter Extrav. Commun. Lib. 3. tit. 12. *de reliquiis & Venerat. Sanctorum* cap. 1.); sed hanc suis reliquit Successoribus provinciam: qua quidem praeclare functus est *S. Pius V.* in Bulla, quae incipit = *Quod a Nobis* = data Romae *VII. Idus Julii* anno 1568. Namque is SS. Pontifex, ex inclyta *Praedicatorum* Familia assumptus, quod antea vel abstinere erat liberum, ut non intermittamus in posterum, primus omnium ipse constituit, ac suo nos Edicto adegit. Qua de re plura ex aliis, nec scitu injucunda, Thomas Strozzius *in Controverf. Concept. lib.* 8. *cap.* 10. omnino videndus. Tandem anno septingentesimo octavo supra millesimum *Clemens XI.*, Decessorum Suorum Religionem atque in Virginem studium aemulatus, eundem *Cultum* a Clero ad universum transtulit Christianum Populum: Accipe verba ejus disertissima: „ Sincera itaque nostra erga eandem Au-
„ gustissimam Coeli Reginam, Patronam, & Advo-
„ catam nostram devotione incitati, *Festum Conceptio-*
„ *nis* ipsius Beatae Mariae Virginis Immaculatae ubique
„ terrarum imposterum ab omnibus & singulis utriusque
„ sexus Christi Fidelibus, sicut alia festa de PRAE-
„ CEPTO servari, & celebrari, ac sub praecepto
„ Observationis Festorum comprehendi auctoritate Apo-
„ stolica, tenore praesentium decernimus, praecipimus,
„ & mandamus. „ Quo quidem Pontificio Decreto Deiparae *Immunitas* ad illud tandem fastigium conscendit, ut una excepta definitione, altius adsurgere nullo pacto possit.

Quae hactenus levi brachio indicavimus (ait illorum nonnullus, qui ad vindicandum *Votum Sanguinarium* toto pectore incumbunt), non eo quidem pertinent,

ut Myſterium *Immaculati Conceptus* eſſe jam verum Certumque theologica concluſione demonſtrem. Hanc Spartam ornarunt, & in dies ornant bene multi ac præſtantiſſimi Viri; ut plane iis, qui contra ſtant (pauci autem ſunt, neque magni nominis) ullum vix jam effugium pateat. Cæterum, his ego (pergit ille dicere) his ego armis in præſentia nequaquam indigeo: ſatque habeo ex dictis collegiſſe, quod nec a *Lampridio* negari poteſt, nec a *Valdeſio*, aut alio quovis, ſcilicet *Immunitatis* Sententiam, tametſi nondum in *Dogma Catholicum* plene tranſivit, eſſe tamen uſque adeo firmam, ut non ſolum Theologorum omnium atque Academiarum; ſed Romanæ etiam, aliarumque Eccleſiarum omnium jam Sententia evaſerit, nec non *in publicam tandem profeſſionem eruperit*, inquit Petavius, *lib.* 14. *de Incarn. Cap.* 2., auctor ſane nec *Lampridio*, nec *Valdeſio* ſuſpectus, quippe quem vel ipſimet inter ſuos accenſere non dubitarunt. Is porro Vir magnus, neque infimi plane ſubſellii inter Theologos, communi hoc *Fidelium omninum* ſenſu tam ſeſe ibidem moveri aſſerit, ut non modo in eam partem propenſior ſit, verum etiam *ad hunc modum revelaſſe Deum Immaculatæ Virginis Conceptum* & credat ipſe (quanquam non *Fidei* aſſenſione), & a quoquam credendum exiſtimet. Quæ cum ita ſint, de *peccato* heic rem eſſe quis, amabo, non videat?

Certe Auguſtinus *Peccatum eſſe* (ut ſibi quidem videtur) *omne Mendacium*, hiſce potiſſimum Scripturæ Sanctæ Oraculis elicit, illo nimirum *Sapient.* I. 11. *Os, quod mentitur, occidit animam*. Et altero *Pſalm.* V. 7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Nullum hinc ei Mendacii genus, ne illud quidem, quod *Officioſum* aut ſalutare dicitur, quin idem continuo & *Peccatum* ſit. Ita ille in ea, quam verſat, controverſia *Mendacii*

tacit. Nos vero in nostra *Marianæ Immunitatis*, cum peccato esse obnoxium, aut a peccato non admodum alienum, qui in tanta *Mysterii* celebritate negat Virginem sine labe conceptam, ex *Ecclesiæ* auctoritate opinando, non adserendo, deducimus. Nam ex quo *Ecclesia* publico ac solemni ritu colit & ab omnibus Christi Fidelibus colendam præcipit Virginis *Immunitatem*; Romani etiam Pontifices obloquentibus os sane obstruxere, ut præfatum est: ecquisnam tam excors ut dicat, licere adhuc Christiano obluctari ac secus sentire citra ullum crimen? Etenim Ecclesiæ vel ex cordis intimo & obsequium deberi & obedientiam, patet illis verbis Matth. XVIII. 17.: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Huc quoque referas *S. Pauli* verba Epist. *ad Hebr. XIII.* 17. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Quocirca & scitissime Augustinus *Lib. de utilit. credendi Cap.* 17. *Cui* (id est Ecclesiæ) *nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ*.

Ad hæc ex Decreto *Alexandri VII.*, cujus mentio paulo ante facta, liquido constat, *Ecclesiam Romanam*, omnium Matrem ac Magistram optimam, sapientissimamque, Cultum deferre Virgini, *uti primo creationis instanti atque infusionis animæ in corpus, speciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Christi ejus Filii, a macula peccati Originalis præservatæ immuni*; constituto in id rei speciali ac proprio Officio, a quibusque, qui in Clero sunt, qua Sæcularium, qua cujusque Ordinis & Instituti Regularium rite persolvendo. Quumque nonnulli, qui tale Virgini privilegium invidebant, ægerrimo id ferrent animo, quippe quod animadverterent hoc Officii Cultusque genere se suamque ipsorum opinionem premi admodum, ac fere profliga-

Z z 2

fligari; decrevere tandem ab eo Officio *Conceptionis* vocem expungere, alteramque *Sanctificationis* per summam fraudem in ejus locum subrogare. Quod ubi *Gregorio XV.* delatum est, confestim mandavit, ut *in sacrosancto Missæ Sacrificio ac Divino Officio celebrandis non alio, quam Conceptionis nomine uti quicunque debeant*; idque non nisi *in favorem ejusdem Sententiæ*, hoc est *Virgineæ Immunitatis*, inquit *Alexander VII.* in citata Bulla, cui initium: *Solicitudo omnium Ecclesiarum*, ubi & addit, Cultum hunc Deiparæ præstitum, *in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem* (quæ a *Sixto IV.* prodiit ann. 1477.) *nunquam fuisse immutatum*. Nunc ita necto. Qui *Ecclesiæ* jussu Mariæ colit *Conceptionem*, Officiumque Divinum ab Ecclesia constitutum ore persolvit; si quidem intus & in cute dissentiat, nonne is, sin minus conculcatæ obedientiæ, quæ summa *Ecclesiæ* debetur, aperti saltem reus erit mendacii? Quid enim mendacium, Doctore ac judice Augustino? *Ille mentitur* (ait Lib. *de Mendac.* Cap. 3.), *qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat*.

Scio equidem *Valdesium*, atque *Lampridium*, hostes conceptus *Immaculati*, aut parum saltem *Mysterio* faventes, suffugia quærere, ut se suosque, si qui sunt, omni de quo postulantur, crimine absolvant. Nempe ajunt, *Romanos Pontifices* reliquisse Objectum illius Festi in sua probabilitate, ita ut liceat celebrare sub alia intentione, quam *Præservationis*; Populoque Christiano optionem fecisse, utrum Virginis mallet *Immunitatem*, an a peccato *Expiationem* seu *Sanctificationem* colere: Item quæstionem de *Conceptione* dirimere noluisse, nec contrariæ Opinioni vires ademisse, immo ne *hæreseos*, *impietatis*, aut *peccati mortalis* a quoquam damnetur, vetuisse prorsus, atque id genus alia, quibus *Valdesius*

ns miscet falsa veris, ac mutat quadrata rotundis. Verum quam hisce commiscendis falsum atque absurdum se prodat *Valdesius*, ex dictis abunde fat liquet. Enimvero, eccur, quæso, *Gregorius XV.* Sanctificationis vocem, in Ecclesiasticum Officium a nonnullis per fraudem invectam, deleri mandavit, jussitque non aliud quam *Conceptionis* nomen in eo usurpatum iri? Plane si *Alexandro VII.* fides, fecit id *Gregorius in favorem ejus Sententiæ*, quæ Virginem adserit nulla unquam fuisse labe vitiatam. Ergo a vero abest quam longissime, quod *Valdesius* non in aurem, sed publicis etiam typis obgannit, nihil egisse Romanos Pontifices, nihil prout ad rem decrevisse, *tamque Præservationem, quam Sanctificationem esse Objectum Festi pro diversitate Opinionum, quas adbuc vigere sinit Ecclesia*. Deinde si, ut somniat *Valdesius*, hujusce Festi Objectum commune est utrique qua *affirmantium*, qua *negantium* Sententiæ, liceatque & Populo sub alterutra id celebrare: cur, amabo, idem *Alexander* aperte edicit, ejusmodi Festum ac Cultum *Immunitati* delatum, ex quo *Sixtus IV.* illum instituit, *in Ecclesia Romana nunquam fuisse immutatum*? Cur adtexit: „ Volentesque laudabili huic pietati & devotioni & Festo ac „ Cultui .... Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo favere, nec non tueri pietatem „ & devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam „ Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratia „ a peccato Originali præservatam? „ Ac demum cur ita claudit: *Constitutiones & Decreta a Romanis Pontificibus*, & præcipue *a Sixto IV.*, *Paulo V.*, *& Gregorio XV. edita in favorem Sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam & a peccato Originali præservatam fuisse, nec non & in favorem Festi & Cultus*,

Con-

Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam Sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis, observari mandamus? Hæc sunt conceptissima ac sole clariora *Alexandrini Decreti* verba; ut mirer fuisse, qui cæcus adhuc & stupens non adsequatur, quod tanto est, tamque optimo in lumine collocatum.

Denique si id genus miræ *Valdesii* strophæ tenendæ: quid aliud restat, quam ut dicamus, *Valdesium* cum Summis Pontificibus bellum innovare, illorum Constitutiones, hac de re editas, ita interpretari, ut plane *frustrentur*; negare etiam *Ecclesiam Romanam* huic *Immunitatis* Sententiæ & Cultui, juxta illam Deiparæ præstito, *favere*, aut *favisse* unquam, atque adeo conari *pios Christi Fideles e sua pacifica quasi possessione deturbare*? O hominem cavendum! O recentem Sapientiam! An non ipsissima hæc monstra mendacissimorum Hominum laudatæ Bullæ edendæ caussam (ut ibidem §. 3. videre est) *Alexandro* præbuere? Num lusit *Alexander*, dum tantæ ut audaciæ obviam iret, ea in istiusmodi turbarum, mendaciorumque Satores statuit, quæ summa nos Fide *ex* §§. 2. *&* 4. *ejusdem Bullæ* supra transcripsimus? Num & lusit, aut Orbi imposuit Pontifex, ubi §. 5. ne quis unquam simile quid audeat in posterum, censuris & pœnis Apostolica auctoritate compescuit? Juvat enimvero *Alexandri* verba, quæ ad rem spectant, heic exscribere. „ Et „ insuper (*ait Pontifex cit.* §. 5.) omnes & singu„ los, qui præfatas Constitutiones seu Decreta ita per„ gent interpretari, ut favorem per illas dictæ Sen„ tentiæ (*id est Innoxiæ Conceptioni*) & Festo seu „ Cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui „ hanc eandem Sententiam, Festum seu Cultum in „ disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo

„ di-

„ directe, vel indirecte, aut sub quovis prætextu ... „ scripto seu voce loqui, concionari, tractare, „ disputare, aut contra ea quidquam determinando, „ aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo „ & insoluta relinquendo (*id quod fecit* Lampridius *libro illo* de Superstitione vitanda *inscripto*), aut alio „ quovis excogitabili modo, disserendo, ausi fuerint, „ præter pœnas & Censuras in Constitutionibus Sixti „ IV. contentas, quibus &c. &c. etiam aliis pœnis „ nostro & eorumdem Romanorum Pontificum Success- „ sorum Nostrorum arbitrio infligendis pariter subja- „ cere volumus; prout subjicimus per præsentes, in- „ novantes Pauli V. & Gregorii XV. superius memo- „ ratas Constitutiones sive Decreta. „ Hucusque Summus Pontifex. Ex quibus proin efficitur atque in aperto est, non tam *Valdesium* hac parte, aut falli turpiter aut scientem fallere, quam in Legem etiam cum *Lampridio* una committere, ut qua se ratione peccatis liberent ac pœnis, plane non videam. Immo tam id fieri vetuit *Alexander VII.*, ut utriusque Libri, cum ille *Lampridii de Superstitione Vitanda*, tum alter, cui titulus = *Ferdinandi Valdesii Epistola*, statim ac lucem adspexere, Apostolico jam sint mucrone perculsi. Non id ego fingo, non mentior, non decipio; sed toties memoratus Pontifex ita sane cavit atque constituit. Vin' ejus tibi verba ante oculos sistam? Post illa enim, quæ modo retulimus, sic prout ad rem §. 6. habet: „ Ad libros in quibus præfata Sententia, Festum seu „ Cultus secundum illam, in dubium revocatur, aut „ contra ea quomodocunque, ut supra aliquid scribi- „ tur aut legitur ..... in posterum quomodolibet eden- „ dos prohibemus, sub pœnis & Censuris in Indi- „ ce librorum prohibitorum contentis, & ipso facto „ absque alia declaratione pro expresse prohibitis ha-

„ be-

„ beri volumus & mandamus. „ Sed hæc obiter, ac, quod dicitur, per transcennam.

Ut ad rem redeam; nihil Valdesio præsidii est ne in eo quidem, quod veri habet, quum ait, *Alexandrum VII.* haud voluisse unquam controversiam dirimere; immo & anathema in eos vibrasse, qui ausi fuerint asserere *contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen aut peccatum incurrere mortale; cum nondum id sit a Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum*. Sic ille quidem in sua satis celebri Constitutione §. 6., ubi & illud incunctanter adjungit: *prout nos nunc minime decidere volumus aut intendimus*. Damus quippe ultro, quod nec semel antea *Valdesio* dedimus, neutram partem qua eorum, qui affirmant, qua illorum, qui *Immunitatis* Mysterium negant, ullo hactenus *Ecclesiæ*, seu *Pontificum* Decreto revera fuisse definitam: ideoque sequi, ut Sententia innoxiæ Conceptionis in *Fidei* veritatem certitudinemque nondum immigraverit. Inde tamen nullatenus sequitur, Objectum Festi (ut vult *Valdesius*) sua in probabilitate esse relictum, aut Fideles minime jussos *Præservationem* præ *Sanctificatione* colere; quod est hercle vel mentiri de industria, vel meridiana in luce cæcutire. Quin etiam ex proxime dictis, atque ex eo quod *Romani Pontifices* silentium usquequaque indixere fautoribus contrariæ Opinionis, necessaria consecutione fluit, tam hodie afflictam eam esse, & viribus imminutam, ut nihil magis. Porro, etsi indubium sit, *Ecclesiam* colere *Immunitatem*, hancque unam esse Objectum Festi, atque adeo Ecclesiæ Filiis aliter sentire, aut sub alia intentione celebrare haud liceat, non ideo tamen consequitur, hunc Ecclesiæ Cultum solennem reipsa esse hujatis controversiæ Definitionem. Simile quid habes (ut alia mittam) in

Cul-

Cultu, quem *Ecclesia* defert *Assumptioni* Deiparæ. Objectum enim hujusce Festi adeo per Ecclesiam designatum est, ac definitum, ut qui mentis suæ sensum non accommodat ad judicium & ad Ecclesiæ mentem, plane peccet; at vero ex tali Cultu non conficitur, *Assumptionem* inter Fidei Dogmata relatam, aut Divina esse Fide credendam, cum hac super re non exstet ulla *Ecclesiæ* aperta definitio.

Damus & id quoque *Valdesio*, *Alexandrum* prohibuisse, ne quis *asserat*, eos, qui Virginem Adami labe fœdatam tenent, aut *hæreticos* esse, aut *impios*, aut *peccato lethali* infectos. Vetuit id nullo dubio Pontifex; qua vero de caussa, quove consilio, utique sapientissimo, dixerint alii. Nos Pontifici, ut par est, morem gerimus, ab istiusmodi censuris abstinentes plane. Nihil autem horum nos hcic *asserimus*: ac certe *hæreseos* damnari, etiamsi non foret vetitum, nulla ratione possunt, quum necdum *Immunitas* iverit in rem Fidei Catholicæ. Ad *peccatum* quod spectat, ne istud quidem *asserendo*, sed (ut initio dictum) opinando aut disputando colligimus, nempe ex auctoritate ac judicio *Ecclesiæ*, quæ & colit ipsa *Immunitatem*, & ab omnibus colendam præcipit. Vetamur autem *asserere*, non id *argumentando* colligere; quod est longe atque omnino diversum. Præterea non reos *peccati mortalis* edicimus: sat ad rem est, ut vel *veniali* non careant, de quo quippe nihil habet Pontifex. Quod si ex præjactis inferri dicas, illos non *veniali*, sed *mortali culpæ* obnoxios esse, quod in re gravissima *Ecclesiæ* judicium jussionemque contemnant; ipsi viderint. Nos sane *Pontifici* obtemperamus, vetanti id *asserere*: Utinam & *Lampridius* & *Valdesius* pariter obtemperassent! Ex eo autem quod *Alexander* sanxit, ne ulla vel *hæreseos*, seu *peccati mortalis* nota inuratur Opi-

 nio-

sioni, minus Virgini faventi, haud unquam concluditur, potestatem cuique fecisse eidem & adhærescendi sine omni peccato. Legimus quippe, Pontificem perspicue vetuisse, ne tali a nobis censura notetur; nusquam autem legere est, hanc ita sentiendi facultatem dedisse, aut ita sentientes *peccato* absolvisse. Immo contrarium non obscure probant quæ ex eodem Pontifice à nobis modo constituta sunt; ac insuper quia vel longe ante *Alexandrum* hujusce Assertores Opinionis *Gregorius XV.* omnino silere jussit, atque ab hominum cœtibus exulare coegit. Proinde operam sane ludit *Valdesius* suis portentosis cavillis: verumque est, eritque semper non minus quam in controversia *Augustini*, in hac quoque *Marianæ Conceptionis* de *peccato* agi; adeoque idem omnino & de utraque ferendum judicium?

Audisti hactenus, Vir Clarissime, verbis meis in te differentes Voti Sanguinarii Patronos, tuamque illam, quam ad me dedisti Epistolam, aut nihili facientes, aut non tanti, ut eos cogas de sententia decedere. *Augustinum* illi Magistrum & Ducem sequuntur. Tanto Duce quis illis bellum ausit indicere? quis culpare? quis *Imprudentiæ* aut *Superstitionis* arguere? Nobis, inquiunt, *Augustinum* nunquam eripies, sive etiam pueres à *peccato* vindicari posse, qui hoc tempore Divæ Virgini abjudicant *Immunitatem*, sive non. Putabant quippe & *Mendacii Officiosi* Defensores nihil in eo esse *culpæ*, neque eandem colligi unquam aut extundi ex iis Litterarum Sanctarum locis, quibus *Augustinus* hanc in rem utitur, quæque nos supra jam commemoravimus. Quid ii ad hæc reponant, videsis apud eundem S. Augustinum *cap. 5. & 13. Libri de Mendacio*. Profecto ea omnia ita interpretantur, ut de *damnoso* tantum, non etiam de *Officioso* aut salutari mendacio intelligenda esse contendant. Quid vero *Augustinus*? a sententia ne pilum unum;

unum; quin etiam sibi inde videri ait *peccatum* esse quodlibet mendacium. Dicit *Sibi ita videri*; neque enim tam Certus erat, ut non etiam cuique permiserit improbare & contra sentire. *Eligat* (inquit indicata Epistola ad Hieronymum) *eligat quod voluerit, qui hoc existimat ubi mentiatur*. Non aliter constituti & qui *præfati Voti* patrocinium suscipiunt. Quippe nihil morantur, quo minus id tibi assumas, ut quavis culpa illos exsolvas, qui tali Virginem privilegio hodieque haud ornatam censent. Hinc & sinunt in quam quisque malit, Sententiam abire. Nihilo tamen minus videtur id sibi sine *peccato* fieri neutiquam posse; proindeque si cum *Augustino* contuleris, eos reperies apprime concordes pergere, ac ne latum quidem unguem ab illo discrepare. Quamobrem in pari caussa (concludunt) par omnino sententia feratur oportet; ut si *Augustinus*, quod nemo negat, sapienter in sua; nos in nostra non inscite, non imprudenter, non prave rem confecisse videamur.

Heic mihi hæret aqua; vidésque, Vir Præstantissime, quam ego non immerenter initio dixerim, nihil minus ac antea, me nunc quoque anxio & suspenso animo esse, eodemque plane irretitum laqueo teneri, quo ante detinebar. Incuso tarditatem meam, mihique quasi ipse succenseo, quod aut tuam rite non adsequar mentem, aut nodum forsan, quod ajunt, in scirpo quæram. Utcunque autem res habeat; rogo te atque obsecro, præsto mihi sis, ut e vado tandem emergam, ac pro tua, qua es, humanitate tanta, eripias mihi hunc dolorem, aut minuas saltem.

Cæterum, quod est ad amorem erga te meum, immo rectius ad obsequium atque observantiam, non est profecto, ut ambigas, me unquam defuturum. De-

rga St. *Augustinus* Mendacium in se malum agnoscens in iis etiam, qui pro aliorum salute mentiuntur, necesse habuit, eadem consectaria admittere.

At, inquis, minime res certa erat, reos revera Mendacii eos fuisse, quum tot alii secus, quam *Augustinus*, crederent. Utique: sed quid inde? Ii certe non tam stulti erant, ut putarent, ea de caussa vitam esse dandam. Verum quod est ad *Augustinum*, certa sibi, si non aliis, erat diversa sententia; & quousque in hac stabilis erat, consectaria prædicta admittere cogebatur. Aliterne tu facias, postquam *Peccatum* in aliqua actione constitueris? Si *Augustinus* Sententiam mutasset, ea quoque Consectaria improbasset. Quod ergo solum ex hoc arguere posses, illud est, non opus esse certitudine *de Fide*, ut quis mortem eligat. Id sane dabo, sed in *Moralibus* tantum. Nam revera innumeris in casibus heic Morali Evidentia, aut majori Probabilitate ad agendum, aut non agendum ducimur. Certum est *de Fide* Parentes esse honorandos. Non est autem certum *de Fide*, hunc aut illum esse Parentem; & nihilominus cogitur Filius Parenti honorem habere; & vita danda potius Filio foret, ne hujusmodi Præceptum violaret. Quotiescunque vero agitur de *Peccato* vitando, quamquam non sit Certum *de Fide*; illud esse Peccatum, Certum, ut dixi, futurum est præmium in Cœlo. Ideoque si tunc potius homo mortem eligeret, quam in actionem illam consentire, quam ob justas rationes Malam esse credit, Bonum Certum, & vitæ præsentis sæculi majus, eligeret.

Alia autem ratio est quæstionum ad *meram Speculationem* spectantium. Tot nobis suppeditat Scholastica Theologia. Hanc illi Sententiam, oppositam alii sustinent. Nemo peccat, nemo peccare dicendus est, dum Ecclesia nihil decernit. Quum ergo hinc absit *peccandi* metus, nul-

nulloque *Ecclesiæ* præcepto adigatur Christi Fidelis ad hanc potius, quam illam Sententiam amplectendam: tunc subintrat Præceptum Divinum & naturale de vita servanda, de vita non temere prodigenda. Heic ais, nullo nos præcepto adigi ad *Immunitatem* Virginis tuendam, ac propterea neque ad mortem tolerandam. At potest quidem qui velit eandem tueri etiam morte sua. Ecquando? Num Domini nos sumus vitæ nostræ, ut eam pro arbitrio nostro dare possimus sine Peccato? Hanc pro *Fide*, pro *Pietate*, id est pro evitando Peccato dare opus est, non pro Opinionibus *mere Speculativis*, quæ certi non sumus, Veritatemne, an Errorem contineant. Ejusmodi est Sententia utraque de *Conceptione Deiparæ*, si quid *Ecclesia* hactenus decrevit, & *Valdesius* pluribus est prosequutus, rite perpendas. *Parthenotimo* ipsi adeo persuasum erat, sanguinem pro *Sententiis Speculativis* sine *Certitudine* non ficone effundere, ut *Voti Sanguinarii* Professores docuerit, antequam Votum emittant, persuadere sibi, Certam esse de *Præservatione* Virginis Sententiam. Sed hoc ei effugium præripuit *Lampridius*, si bene meinini, aut *Valdesius*. Innumeris fatuitatibus Sententia hæc aditum aperiret, ut quisque pro lubito suo vitam daret in tot quæstionibus ad credibilitatem, non ad *Peccatum* spectantibus. Quamobrem spero fore, ut accuratius expendens, quantum intersit inter *Moralia*, ubi agitur de Peccato vitando, & quæstiones *Speculativas*, quæ nullum involvunt Peccato, abstineas in posterum a tribuendo *Augustino* ad tutelam Voti Sanguinarii.

Quod si ne ista quidem, quæ currenti calamo ad te scripta volui, ne tuam contemnere eruditionem viderer, quam magni facio, minime judicio tuo faciunt satis: rogatum te velim, ne ultra mecum in hac pugna procedas. Neque enim studia mea patiuntur, ut alio

Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam Sententiam, uti præfertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis, observari mandamus? Hæc sunt conceptissima ac sole clariora *Alexandrini Decreti* verba; ut mirer fuisse, qui cæcus adhuc & stupens non adsequatur, quod tanto est, tamque optimo in lumine collocatum.

Denique si id genus miræ *Valdesii* strophæ tenendæ: quid aliud restat, quam ut dicamus, *Valdesium* cum Summis Pontificibus bellum innovare, illorum Constitutiones, hac de re editas, ita interpretari, ut plane *frustrentur*; negare etiam *Ecclesiam Romanam* huic *Immunitatis* Sententiæ & Cultui, juxta illam Deiparæ præstito, *favere*, aut *favisse* unquam, atque adeo conari *pios Christi Fideles e sua pacifica quasi possessione deturbare*? O hominem cavendum! O recentem Sapientiam! An non ipsissima hæc monstra mendacissimorum Hominum laudatæ Bullæ edendæ caussam (ut ibidem §. 3. videre est) *Alexandro* præbuere? Num lusit *Alexander*, dum tantæ ut audaciæ obviam iret, ea in istiusmodi turbarum, mendaciorumque Satores statuit, quæ summa nos Fide *ex* §§. 2. *&* 4. *ejusdem Bullæ* supra transcripsimus? Num & lusit, aut Orbi imposuit Pontifex, ubi §. 5. ne quis unquam simile quid audeat in posterum, censuris & pœnis Apostolica auctoritate compescuit? Juvat enimvero *Alexandri* verba, quæ ad rem spectant, heic exscribere. „ Et „ insuper (*ait Pontifex cit.* §. 5.) omnes & singu„ los, qui præfatas Constitutiones seu Decreta ita per„ gent interpretari, ut favorem per illas dictæ Sen„ tentiæ (*id est Innoxiæ Conceptioni*) & Festo seu „ Cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui „ hanc eandem Sententiam, Festum seu Cultum in „ disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo „ di-

„ directe, vel indirecte, aut, sub quovis prætextu..., „ scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, „ disputare, aut contra ea quidquam determinando, „ aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo „ & insoluta relinquendo (*id quod fecit* Lampridius „ *libro illo* de Superstitione vitanda *inscripto*), aut alio „ quovis excogitabili modo differendo, ausi fuerint, „ præter pœnas & Censuras in Constitutionibus Sixti „ IV. contentas, quibus &c. &c. etiam aliis pœnis „ nostro & eorumdem Romanorum Pontificum Succes„ sorum Nostrorum arbitrio infligendis pariter subja„ cere volumus, prout subjicimus per præsentes, in„ novantes Pauli V. & Gregorii XV. superius memo„ ratas Constitutiones sive Decreta. „ Hucusque Summus Pontifex. Ex quibus proin efficitur atque in aperto est, non tam *Valdesium* hac parte, aut falli turpiter aut scientem fallere, quam in Legem etiam cum *Lampridio* una committere, ut qua se ratione peccatis liberent ac pœnis, plane non videam. Immo tam id fieri vetuit *Alexander VII.*, ut utriusque Libri, cum ille *Lampridii de Superstitione Vitanda*, tum alter, cui titulus = *Ferdinandi Valdesii Epistolæ*, statim ac lucem adspexere, Apostolico jam sint mucrone perculsi. Non id ego fingo, non mentior, non decipio; sed toties memoratus Pontifex ita sane cavit atque constituit. Vin' ejus tibi verba ante oculos sistam? Post illa enim, quæ modo retulimus, sic prout ad rem §. *6.* habet: „ Ac libros in quibus præfata Sententia, Festum seu „ Cultus secundum illam, in dubium revocatur, aut „ contra ea quomodocunque, ut supra aliquid scribi„ tur aut legitur ..... in posterum quomodolibet eden„ dos prohibemus, sub pœnis & Censuris in Indi„ ce librorum prohibitorum contentis, & ipso facto „ absque alia declaratione pro expresse prohibitis ha-

„ be-

„ beri volumus & mandamus. „ Sed hæc obiter, ac, quod dicitur, per transcennam.

Ut ad rem redeam; nihil Valdesio præsidii est ne in eo quidem, quod veri habet, quum ait, *Alexandrum VII.* haud voluisse unquam controversiam dirimere; immo & anathema in eos vibrasse, qui ausi fuerint asserere *contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen aut peccatum incurrere mortale; cum nondum id sit a Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum*. Sic ille quidem in sua satis celebri Constitutione §. 6., ubi & illud incunctanter adjungit: *prout nos nunc minime decidere volumus aut intendimus*. Damus quippe ultro, quod nec semel antea *Valdesio* dedimus, neutram partem qua eorum, qui affirmant, qua illorum, qui *Immunitatis* Mysterium negant, ullo hactenus *Ecclesiæ*, seu *Pontificum* Decreto revera fuisse definitam: ideoque sequi, ut Sententia innoxiæ Conceptionis in *Fidei* veritatem certitudinemque nondum immigraverit. Inde tamen nullatenus sequitur, Objectum Festi (ut vult *Valdesius*) sua in probabilitate esse relictum, aut Fideles minime jussos *Præservationem* præ *Sanctificatione* colere; quod est hercle vel mentiri de industria, vel meridiana in luce cæcutire. Quin etiam ex proxime dictis, atque ex eo quod *Romani Pontifices* silentium usquequaque indixere fautoribus contrariæ Opinionis, necessaria consecutione fluit, tam hodie afflictam eam esse, & viribus imminutam, ut nihil magis. Porro, etsi indubium sit, *Ecclesiam* colere *Immunitatem*, hancque unam esse Objectum Festi, atque adeo Ecclesiæ Filiis aliter sentire, aut sub alia intentione celebrare haud liceat, non ideo tamen consequitur, hunc Ecclesiæ Cultum solennem reipsa esse hujatis controversiæ Definitionem. Simile quid habes (ut alia mittam) in

Cul-

Cultu, quem *Ecclesia* defert *Assumptioni* Deiparæ. Objectum enim hujusce Festi adeo per Ecclesiam designatum est ac definitum, ut qui mentis suæ sensum non accommodat ad judicium & ad Ecclesiæ mentem, plane peccet; at vero ex tali Cultu non conficitur, *Assumptionem* inter Fidei Dogmata relatam, aut Divina esse Fide credendam, cum hac super re non exstet ulla *Ecclesiæ* aperta definitio.

Damus & id quoque *Valdesio*, *Alexandrum* prohibuisse, ne quis *asserat*, eos, qui Virginem Adami labe fœdatam tenent, aut *hæreticos* esse, aut *impios*, aut *peccato lethali* infectos. Vetuit id nullo dubio Pontifex; qua vero de caussa, quove consilio, utique sapientissimo, dixerint alii. Nos Pontifici, ut par est, morem geramus, ab istiusmodi censuris abstinentes plane. Nihil autem horum nos heic *asserimus*: ac certe *hæreseos* damnari, etiamsi non foret vetitum, nulla ratione possunt, quum necdum *Immunitas* iverit in rem Fidei Catholicæ. Ad *peccatum* quod spectat, ne istud quidem *asserendo*, sed (ut initio dictum) opinando aut disputando colligimus; nempe ex auctoritate ac judicio *Ecclesiæ*, quæ & colit ipsa *Immunitatem*, & ab omnibus colendam præcipit. Vetamur autem *asserere*, non id *argumentando* colligere; quod est longe atque omnino diversum. Præterea non reos *peccati mortalis* edicimus: sat ad rem est, ut vel *veniali* non careant, de quo quippe nihil habet Pontifex. Quod si ex præjactis inferri dicas, illos non *veniali*, sed *mortali culpæ* obnoxios esse, quod in re gravissima *Ecclesiæ* judicium jussionemque contemnant; ipsi viderint. Nos sane *Pontifici* obtemperamus, vetanti id *asserere*: Utinam & *Lampridius* & *Valdesius* pariter obtemperassent! Ex eo autem quod *Alexander* sanxit, ne ulla vel *hæreseos*, seu *peccati mortalis* nota inuratur Opinio-

nioni, minus Virgini faventi, haud unquam concluditur, potestatem cuique fecisse eidem & adhærescendi sine omni peccato. Legimus quippe, Pontificem perspicue vetuisse, ne tali a nobis censura notetur; nusquam autem legere est, hanc ita sentiendi facultatem dedisse, aut ita sentientes *peccato* absolvisse. Immo contrarium non obscure probant quæ ex eodem Pontifice à nobis modo constituta sunt; ac insuper quia vel longe ante *Alexandrum* hujusce Assertores Opinionis *Gregorius XV.* omnino silere jussit, atque ab hominum coetibus exulare coegit. Proinde operam sane ludit *Vasdesius* suis portentosis cavillis: verumque est, eritque semper non minus quam in controversia *Augustini*, in hac quoque *Marianæ Conceptionis* de *peccato* agi; adeoque idem omnino & de utraque ferendum judicium.

Audisti hactenus, Vir Clarissime, verbis meis in te differentes Voti Sanguinarii Patronos, tuamque illam, quam ad me dedisti Epistolam, aut nihili facientes, aut non tanti, ut eos cogas de sententia decedere. *Augustinum* illi Magistrum & Ducem sequuntur. Tanto Duce quis illis bellum ausit indicere? quis culpare? quis *Imprudentiæ* aut *Superstitionis* arguere? Nobis, inquiunt, *Augustinum* nunquam eripies, sive etiam pueres à *peccato* vindicari posse, qui hoc tempore Divæ Virgini abjudicant *Immunitatem*, sive non. Putabant quippe & *Mendacii Officiosi* Defensores nihil in eo esse *culpæ*, neque eandem colligi unquam aut extundi ex iis Litterarum Sanctarum locis, quibus *Augustinus* hanc in rem utitur, quæque nos supra jam commemoravimus. Quid ii ad hæc reponant, videsis apud eundem S. Augustinum *cap. 5. & 13. Libri de Mendacio*. Profecto ea omnia ita interpretantur, ut de *damnoso* tantum, non etiam de *Officioso* aut salutari mendacio intelligenda esse contendant. Quid vero *Augustinus*? à sententia ne pilum

unum;

unum; quin etiam sibi inde videri ait *peccatum* esse quodlibet mendacium. Dicit *Sibi ita videri*; neque enim tam Certus erat, ut non etiam cuique permiserit improbare & contra sentire. *Eligat* (inquit indicata Epistola ad Hieronymum) *eligat quod voluerit, qui hoc existimat ubi mentiatur*. Non aliter constituti & qui *præfati Voti* patrocinium suscipiunt. Quippe nihil morantur, quo minus id tibi assumas, ut quavis culpa illos exsolvas, qui tali Virginem privilegio hodieque haud ornatam censent. Hinc & sinunt in quam quisque malit, Sententiam abire. Nihilo tamen minus videtur id sibi sine *peccato* fieri neutiquam posse; proindeque si cum *Augustino* contuleris, eos reperies apprime concordes pergere, ac ne latum quidem unguem ab illo discrepare. Quamobrem in pari caussa (concludunt) par omnino sententia feratur oportet; ut si *Augustinus*, quod nemo negat, sapienter in sua; nos in nostra non inscite, non imprudenter, non prave rem confecisse videamur.

Heic mihi hæret aqua; vidésque, Vir Præstantissime, quam ego non immerenter initio dixerim, nihil minus ac antea, me nunc quoque anxio & suspenso animo esse, eodemque plane irretitum laqueo teneri, quo ante detinebar. Incuso tarditatem meam, mihique quasi ipse succenseo, quod aut tuam rite non ego adsequar mentem, aut nodum forsan, quod ajunt, in scirpo quæram. Utcunque autem res habeat; rogo te atque obsecro, præsto mihi sis, ut e vado tandem emergam, ac pro tua, qua es, humanitate tanta, eripias mihi hunc dolorem, aut minuas saltem.

Cæterum, quod est ad amorem erga te meum, immo rectius ad obsequium atque observantiam, non est profecto, ut ambigas, me unquam defuturum. De-

beo id Virtuti, debeo Sapientiæ, atque omnigenæ, qua undique fulges eruditioni tuæ: primumque ac vel de tui fama Nominis mihi innotuisti, cœpi te non amare solum, sed & venerabundus suspicere, & in oculis gestare; potissimum ubi te propius agnovi, non de facie quidem, sed in Libris abs te editis, teque plane dignissimis. Nunc vero, quum eo devenias, ut (quod summæ dignationis est) tuum mihi vicissim amorem spondeas: an ego ingrati adeo animi, ut unquam te possim non impense diligere, non venerari, non colere? Tuus igitur sum atque ero totus, quoad spirabo. Vale.

Tridenti XVIII. Calend. Januarias CIↃ.IↃ.CC.XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA IV.

sive prælaudati Cl. Viri *Ludovici Antonii Muratorii* responsio altera.

TUas quidem Litteras, ante paucos dies a te datas, accepi, humanissime Vir, sed iis respondere pro merito mihi non licet. Neque enim sat otii est mihi, ut sepositis studiis, quæ nunc occupatum me habent, ad quæstiones tuas debita meditatione, & Librorum consultatione necessaria respondeam. Pauca igitur habeto, quæ prout mens mihi in præsentia suffícit, chartæ commendo. Votum Sanguinarium quæstione *Speculativa* innititur; neque enim pendet e Sacris Litteris, aut ex Traditione Sententia Scotistica, sed ex argumentis & rationibus Scholasticis. Potuit Deus præservare Beatam Virginem, & potuit non præservare. An præservaverit, adhuc in dubio res est. Sive hanc sive illam amplectaris Sententiam, non peccas. Magnum vero Discrimen sentio ego, etiamsi tu non sentire videaris, inter *Moralia*, & *Speculativa*. In *Moralibus* agitur de *peccato*, ut evitetur. Proposita autem quæstione, sit ne peccaminosa, an non aliqua actio, necesse est, ut Christianus, sive suo, sive alieno studio decernat. Indocti Doctos consulere debent. Si statuas, carere *peccato*, agere potes. Sin *peccatum* in ea actione statuas, agendum minime est, & potius mors est toleranda; atque ubi ea de caussa toleretur, expectandum est a Deo præmium. Proptे-

rea

tyas. Si *Augustinus* Mendacium in se malum agnoscens in iis etiam, qui pro aliorum salute mentiuntur, necesse habuit, eadem consectaria admittere.

At, inquis, minime res certa erat, reos revera Mendacii eos fuisse, quum tot alii secus, quam *Augustinus*, crederent. Utique: sed quid inde? Ii certe non tam stulti erant, ut putarent, ea de caussa vitam esse dandam. Verum quod est ad *Augustinum*, certa sibi, si non aliis, erat diversa sententia; & quousque in hac stabilis erat, consectaria prædicta admittere cogebatur. Aliterne tu facias, postquam *Peccatum* in aliqua actione constitueris? Si *Augustinus* Sententiam mutasset, ea quoque Consectaria improbasset. Quod ergo solum ex hoc arguere posses, illud est, non opus esse certitudine *de Fide*, ut quis mortem eligat. Id sane dabo, sed in *Moralibus* tantum. Nam revera innumeris in casibus heic Morali Evidentia, aut majori Probabilitate ad agendum, aut non agendum ducimur. Certum est *de Fide*, Parentes esse honorandos. Non est autem certum *de Fide*, hunc aut illum esse Parentem; & nihilominus cogitur Filius Parenti honorem habere; & vita danda potius Filio foret, ne hujusmodi Præceptum violaret. Quotiescunque vero agitur de *Peccato* vitando, quamquam non sit Certum *de Fide*, illud esse Peccatum; Certum, ut dixi, futurum est præmium in Cœlo. Ideoque si tunc potius homo mortem eligeret, quam in actionem illam consentire, quam ob justas rationes Malam esse credit, Bonum Certum, & vitæ præsentis sæculi majus, eligeret.

Alia autem ratio est quæstionum ad *meram Speculationem* spectantium. Tot nobis suppeditat Scholastica Theologia. Hanc illi Sententiam, oppositam alii sustinent. Nemo peccat, nemo peccare dicendus est, dum Ecclesia nihil decernit. Quum ergo hinc absit *peccandi* metus, nul-

nulloque *Ecclesia* præcepto adigatur Christi Fidelis ad hanc potius, quam illam Sententiam amplectendam: tunc subintrat Præceptum Divinum & naturale de vita servanda, de vita non temere prodigenda. Heic ais, nullo nos præcepto adigi ad *Immunitatem* Virginis tuendam, ac propterea neque ad mortem tolerandam. At potest quidem qui velit eandem tueri etiam morte sua. Ecquando? Num Domini nos sumus vitæ nostræ, ut eam pro arbitrio nostro dare possimus sine Peccato? Hanc pro *Fide*, pro *Pietate*, id est pro evitando Peccato dare opus est, non pro Opinionibus *mere Speculativis*, quæ certi non sumus, Veritatemne, an Errorem contineant. Ejusmodi est Sententia utraque de *Conceptione Deipara*, si quid *Ecclesia* hactenus decrevit, & *Valdesius* pluribus est prosequutus, rite perpendas. *Parthenotimo* ipsi adeo persuasum erat, sanguinem pro *Sententiis Speculativis* sine *Certitudine* non licere effundere, ut *Voti Sanguinarii* Professores docuerit, antequam Votum emittant, persuadere sibi, Certam esse de *Præservatione* Virginis Sententiam. Sed hoc ei effugium præripuit *Lampridius*, si bene meinini, aut *Valdesius*. Innumeris fatuitatibus Sententia hæc aditum aperiret, ut quisque pro lubito suo vitam daret in tot quæstionibus ad credibilitatem, non ad *Peccatum* spectantibus. Quamobrem spero fore, ut accuratius expendens, quantum intersit inter *Moralia*, ubi agitur de Peccato vitando, & quæstiones *Speculativas*, quæ nullum involvunt Peccato, abstineas in posterum relinquendo *Augustino* ad tutelam Voti Sanguinarii.

Quod si ne ista quidem, quæ currenti calamo ad te scripta volui, ne tuam contemnere eruditionem viderer, quam magni facio, minime judicio tuo faciunt satis: rogatum te velim, ne ultra mecum in hac pugna procedas. Nequid enim studia mea patiuntur, ne

alio

alio excutiam; & mihi reliquum temporis, quod vitæ meæ superest, breve sane, utpote hominis senescentis, pretiosum est. Præterea nescio, quem in finem, quem in usum hæc exspiscatum eas. Denique unum intelligo, vix fieri posse, ut in unam conveniamus Sententiam. Video enim te nimis Scholæ tuæ præjudiciis præoccupatum, quando audes dicere: *Peccato esse obnoxium, aut a Peccato non admodum alienum, qui negat Virginem sine labe conceptam;* quum tamen diserte hæc adversentur Decretis *Romanorum Pontificum*, & pœnas ab iis inflictas aspernentur. Cæterum quæ pro *Immunitate* Deiparæ adfers, laudo, atque ut in his ingenium tuum exerceas, hortor. Attamen certum habeo, te nunquam eam Certitudinem Sententiæ huic Piæ atque Piissimæ esse ministraturum, quæ Votum Sanguinarium, a te nunquam factum, purget. At quoniam *Petavium* exeris scribentem, ex communi Fidelium sensu videri Deum revelasse *Immaculatum* Virginis *Conceptum;* Utere quæso ingenio tuo, & nullo negotio perspicies, quam inani supposito ratio illius nitatur. Aut enim Doctos Viros intelligit, & ii partim adversantur, & innumeri Probabiliorem quidem, sed minime *Certam* arbitrantur ejusmodi Sententiam, ut concordes eant cum *Apostolica Sede*. Sin vero sub coetu Fidelium Populos etiam amplectitur; ut nosti, Populus non docet Ecclesiam, sed Ecclesia Populum. Denique Revelatio Divina ad nos nunquam venit, nisi per Sacras Scripturas, aut per legitimam antiquiorum Patrum Traditionem, neque Ecclesia nova instituit Dogmata, sed ea e geminis iis fontibus haurit. Utinam ex uno aut altero deducere possemus Virginis *Immunitatem*! Novimus autem natam post mille a Christo nato annos Sententiam *Marianæ Præservationis*. Novimus

ideo

ideo Populos in ipſam poſtremis hiſce præſertim ſæculis conſenſiſſe, quod hanc unam a ſacris Oratoribus tanta celebritate deprædicatam audierint. *Non eam Deus revelavit Doctis, eoque minus indoctis Populis.* (*) Ego tibi annum novum felicem, fauſtumque e Cœlo precor. Vale.

Mutinæ IV. Kalend. Januarias MDCCXLIV.

(*) Hæc, & ſuperiora, vide refutata Cap. XVIII. *hujuſce Operis* pag. 238. & ſeqq., ubi & *Petavius* vindicatur.

EPISTOLA V.

AC POSTREMA,

quam idem, qui ſupra, *Franciſci* aſſecla ad *Theologum* dedit *Mutinenſem*, ſæpiſſime antea laudatum, a quo nihil reſcriptum amplius.

NON eſt, Vir Clariſſime, ut quicquam fraudis, aut neſcio quid minus ſinceri vel indecori in me ſuſpicere, quod cogitationes meas, ſeu, ut rectius loquar, animi dubitationes conferre tecum auſus fuerim. Ardeo incredibili quadam cupiditate ſciendi: neque alia huc mente acceſſi, quam Veritatis unice avidiſſima. Scilicet id egi, ut ex te ante diſcam quod docturus ſim, ne temeritate quorundam doceam & ego ipſe, quod neſciam. Verum, ſi forte velis & tentandi animo id me feciſſe: ſane dabo. At ne in eo quidem (niſi noſmetipſos valde amabimus) eſt quid cauſſæ, cur aut vitio mihi vertas, aut tibi id offenſioni jure ducas. Scis etenim nihil optandum magis, quam ut inter contendentes ſemper & ubique Veritas ſuperet. Nam ut præclare ab Auguſtino ſcriptum eſt ad Paſcentium *Cont. Arian. Epiſt.* 238. (alias 174.) num. 29.: *Non bonum hominis eſt hominem vincere, ſed bonum eſt homini, ut eum veritas vincat volentem, quia malum eſt homini, ut eum veritas vincat invitum: Nam ipſa vincat neceſſe eſt, ſive negantem ſive confitentem.*

Cæterum quod eſt ad diſcrimen (de quo tu copioſe admodum) *Morales* inter & *Speculativas* quæſtiones; non

eſt

eſt quod pugnem tecum. Certe ab hoc tibi onere temperare poteras: neque enim animo mihi fuit, in te id unquam improbare. Unum a me non ſpernendis rationibus nuper conſtitutum arbitror, *Mariani Conceptus* controverſiam citius, quam *Speculativis*, Moralibus hoc Ævo quæſtionibus eſſe accenſendam; ex quo nempe Deiparæ *Immunitas* quam apertiſſimo *Eccleſiæ* Præcepto ab omnibus Chriſti Fidelibus coli cœpit. Sanctorum autem Cultus quin ad Religionem, ad *Mores* pertineat, nemo unus ambigit: quidni & Virginis omnium longe Sanctiſſimæ? An vero ex hac ſeu Pietate, ſeu Cultu in Virginem, uti ab originis noxa *præſervatam*, liceat, nec ne, vovere vitam, & ſicubi opus, mortem oppetere? *Parthenotimus* dixerit. Neque enim lubet falcem mittere in meſſem alienam.

Deinde & illud reor me confeciſſe ſuperioribus meis ad te litteris, nimirum non ſecus ac in Controverſia *Mendacii Officioſi*, in hac etiam Virgineæ Conceptionis de *peccato* agi; quo fit, ut quemadmodum illa prior, ita & poſterior iſthæc in cenſum *Moralium Quæſtionum* id temporis veniat. Ex quo tandem (ni fallor) prono alveo fluit, *Votum Sanguinarium*, quod tibi inſectandum ſuſcepiſti, in tuto jam eſſe, atque adeo qui ea ratione vovent, nedum carere omni culpa, ſed & certum illos in Cœlo præmium manere; etiamſi incertum fuerit, rem heic eſſe de peccato, modo id tamen ſibi ita eſſe videatur. Quibus vero longe aliter perſuaſum eſt, ultro concedimus, rem ita ipſi componant, ut & putent ſibi non licere tale Votum emittere; & caveant, ne ullum iis faceſſant negotium, quibus jam modo dicta de cauſſa placet ejuſmodi Voto ſeſe illigare.

Atque ita quidem tu mecum hac parte non conſentire non potes, præſertim ex quo hæc diſertiſſima

tumetipse litteris tuis commendasti : *Quotiescunque agitur de peccato vitando , quanquam non sit Certum de Fide illud esse peccatum , certum , ut dixi , futurum est præmium in Cœlo . Ideoque , si tunc potius homo mortem eligeret , quam in actionem illam consentire , quam ob justas rationes malam esse credit , bonum Certum , & vita præsentis sæculi Majus eligeret .* Ut vel hinc probe intelligas , me ne *Augustini* quidem amplius auctoritate indigere ; scilicet re in re (te quoque judice) haudquaquam dubia , uti videar testibus minime necessariis .

Verum , ais , me nimis Scholæ meæ præjudiciis præoccupatum esse , quando ausus sum dicere : *Peccato esse obnoxium aut à peccato non admodum alienum , qui in tanta Mysterij Celebritate negat Virginem sine labe conceptam .* Quod tum dicebam , nunc repeto : tantum abest , ut dixisse me pudeat . At vero non tam ego dixi , quam probavi etiam pluribus (mea quidem Sententia) non omnino contemnendis . Utinam & tu probasses , quæ addis in hæc verba = *Quum tamen diserte hæc adversentur Decretis Romanorum Pontificum , & pœnas ab iis inflictas aspernentur .* Audacter dicam , sed tamen vere : Probabis id nunquam . Proinde vereor , ne quæ in me videris tibi videre præjudicia , in te ipse non videas . Alioqui jam ego dudum didici in his aliisque id genus rebus omnibus (uno Religionis negotio excepto) plus Rationi , quam aut Scholæ amori , aut cujusvis auctoritati esse tribuendum : manetque animo alte infixum aureum illud *Sancti Augustini* monitum Lib. 2. *de Gen. ad Lit.* Cap. 18. num. 38. ajentis : *Nunc autem servata semper moderatione piæ gravitatis , nihil credere de re obscura temere debemus , ne forte quod postea Veritas patefecerit , quamvis Libris Sanctis sive Testamenti Veteris , sive Novi , nullo modo esse possit adversum , tamen propter amorem nostri erroris oderimus .*

De

)(XXXIX)(

De *Parthenothimo* quod adtexis, uti & de *Petavio*, quem modo extollis, modo deprimis pro libito, nihil ad me: Ipsi viderint. Sunt tamen & alia tuis in litteris, quæ mihi non arrident plane: Ut quum ais, *Immunitatis* Sententiam, quam tu *Scotisticam* vocas, non e Sacris litteris pendere, non ex *Traditione* Patrum; *immo hanc ex adverso pugnare*. Equidem vereor, ne & vulgo tu imponas, & tecum ipse pugnes. Attamen ab his nunc persequendis abstineo, quod & præsenti aliena sint instituto, & tu præ ætate, maximisque, quibus distineris, occupationibus, respondere nequeas: quod hercle doleo summopere.

Igitur da veniam, quæso, Vir amplissime, si plus tibi justo hactenus molestus fui, aut si quid scripsi liberius, ac par erat; non quidem ad tui contumeliam, sed ad defensionem vel amorem Veritatis. Ego te & feci, & faciam semper plurimi; meumque in te obsequium & observantiam nulla unquam delebit oblivio. Vale, mi humanissime *Ludovice*: Tibique a Deo Opt. Max. enixim adprecor, ut Reipublicæ Litterariæ bono quam diutissime vivas.

Burgi Ausugii ex *S. Francisci* V. Idus Januarii MDCCXLV.

FINIS.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 52. lin. ult. *singulas illa*,	*singulas illas*.
67. lin. 14. *dispoſta*,	*dispoſita*.
79. in fronte Capitis VIII. *aliter ſentire hoc, eſt ſub alia* &c.	*aliter ſentire*, *hoc eſt*, *ſub alia* &c.
90. lin. 9. *Valdeſii*,	*Valdeſi*.
100. lin. 4. *ta quam*, ſupple	*tanquam*.
144. lin. 4. *plerumque*,	*pleraque*.
166. lin. 7. *damnat*,	*damnas*.
ibid. *omnes omnino ſingulos*,	*& ſingulos*.
2[illegible] ſub. fin. *Eccleſiæ receperit*,	*Eccleſia*.
2[illegible] lin. 3. *frequentet*,	*frequentat*.
249. in *Nota* ad calcem columm. 2. circa med. poſt illa verba: *Nimis enim hi*, adde	*præ illo* ſapientes erant.
302. lin. 16. *porſus*,	*prorſus*.
308. lin. 5. *famigliare*,	*familiare*.
Epiſt. I. pag. IV. lin. 14. *quia præceſſores*, ſcribe	*qua præceſſores*.

Reliqua, quæ irrepſerunt menda, *Typothetæ* ſeu negligentia ſeu imperitia, Lectori perhumano committimus emendanda.

7.4.29

9. 4. 29
Z